del Dottor Chiavo Bonelli

[redacted]

n.° 1488=

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

IOANNIS ANTONII SCOPOLI

MED. DOCT. S. C. R. ET APOST. MAIEST. MONTANÆ CIVITATIS IDRIÆ PHYSICI

ENTOMOLOGIA CARNIOLICA

EXHIBENS

INSECTA

CARNIOLIÆ INDIGENA

ET

DISTRIBUTA IN ORDINES, GENERA, SPECIES, VARIETATES.

METHODO LINNÆANA.



VINDOBONAE,

TYPIS IOANNIS THOMAE TRATTNER, CAES. REG AULAE TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

En obſervationes aliquas circa Inſecta, in Ducatu Carnioliæ, ab Anno 1759 ad 1762 a me primo collecta. Ex his patebit, qualiter noſtra differant ab illis, quæ alibi detecta deſcriptaque fuerunt, quasque notas conſtantes in meis ſpeciebus invenerim, ut genuini earum characteres ita ſenſim innoteſcant; raro enim perfecta

eſt differentia illa ſpecifica, quæ ab uno aliove ſpecimine in Muſæo viſo, aut ab Amicis communicato deſummitur, cum idem in aliis regionibus alio modo ſe habeat; unde inſuperabiles difficultates in determinandis ſpeciebus offendunt illi, qui ex imperfectis illis deſcriptionibus Inſecta diſtinguere & adgnoſcere cupiunt. Et ſane nihil ad Hiſtoriæ Naturalis incrementum magis proficere poſſe putarem, quam, ſi plures homines, in qualibet regione, naturalia omnia ſedulo deſcriberent, poſteris charactères ſpecificos ſtatuendi jure relicto, quibus ignotis, nulla de Generibus, imo neque de Claſſibus certitudo; cum omnis vera cognitio, cognitioni ſpecierum innitatur. Linn.

Or-

Ordines & Genera a Celeberr. LINNÆO *ſtabilita ſecutus ſum, reformatis tamen characteribus, fixisque limitibus, quibus unum ab alio certius diſtingui poſſit. Ad hæc me nullus contradicendi pruritus, aut novitatis ardor impulit, ſed ipſa rerum Natura, ad quam, notarum claritate & diſtinctione ſpecierum, facilior aditus parari debet.*

Nomina trivialia rebus a LINNÆO *data retinui; differentias vero mutavi, quoties dubias notas pro certis adſumptas, & in earum nomino-deſcriptionibus collocatas deprehendi; characterem enim ſpecificum conſtituere debent certæ, nullisque Naturæ viribus mutabiles notæ, eæque ſolæ adſum-*

mendæ, quæcumque demum fuerint, ut firmo tandem ſtet talo ſcientia.

Rariores novasque ſpecies animalium, quas delineare non licuit, breviter equidem, ſed accurate deſcripſi, additis partium præcipuarum menſuris ex pariſino pede petitis, ut proportio partium inde pateat, quæ conſtantiſſima ſemper, & aliis omnibus notis perpetuo anteponenda. Utinam cujusque ſpeciei naturam, proprietates, metamorphoſes, pabulum etiam addere licuiſſet! Cum vero ejusmodi obſervationes ſeceſſum idoneum requirant & otium, quod concrediti mihi muneris ratio negat, ita paucas metamorphoſes, neque eas ſemper debita attentione, rimatus ſum; ſic enim conſtitutum

eſt

eſt Genus humanum, ut plerisque ſcientias augendi voluntas, quibusdam vero occaſio deſit, nec ſemper tractare queat fabrilia faber.

Amavi ego a teneris annis ſtudium Naturæ; peragravi plurimas alpes; deſſudavi; cucurri; Carnioliæ plantas, animalia, lapides primus inveſtigavi; ſed aliis laboribus panem quærere coactus, & absque ullo munificentiæ lumine in tenebris ceſpitans, impegi ſæpius, non malitia voluntatis, ſed defectu præſidiorum. Imprimis vero ad ſtirpes me mira vi traxit innocens voluptas, quarum gratia ſtudium quoque Entomologicum hiſce annis diligentius excolui, cum vix ullum folium vigeat, quod non arrodat aliqua larva, quot-

annis, ita conſtanter, ut Inſectorum obſervatio, ſit altera via ducens Philobotanum ad cognitionem generum, ſpecierum, earumque adfinitatum. Sphinx ſtellatarum Galii genus naturale demonſtrat; papilio Cratægi, bujus cum Bruno adfinitatem indicat; Papilio Napi, Chryſomela Braſſicæ, hoc idem Genus oſtendit. En Lepidopteris ovum, larvam, pupam, animal, exutis involucris, ut in Plantis cotyledones, herbam, florem, ſemen, continuata explicatione; en alarum debilitatem adjuvans elytrum, ut calyx petala fulciens; en denique Inſecta, alarum remigio ab uno loco ad alium volitantia, ut ſemina plantarum per inundationes, commercia, intra viſcera

ani-

animalium, pappo proprio, translata; ſic enim in theatro Naturæ cuncta cohærent, ut veram voluptatem ex eo nemo percipiat, niſi qui omnia ab initio ad finem usque conſpexerit.

Porro voluptas, quæ ex rerum naturalium contemplatione dimanat, perpetuo quoque ſummæ utilitatis ſatellitio ſtipata eſt, cum inde nobis omnia vitæ ſubſidia oriantur. Quis Generi Humano noxia & utilia? quis alimenta, medicamenta, venena? quis Cannabis, Lini, Bombycis uſum detexit? quam Naturæ curioſi. Cui naturam lapidum, metallorum, architecturam civilem & bellicam, commercia, navigationes debemus? quam ſcientiæ Naturali, ut mirum ſane, dari etiamnum

aliquos, qui ſedulos Naturæ cultores flocci facere & deridere non erubeſcunt, Momi vecordes, ipſique plurimo riſu digniſſimi. Noſſe Naturam operæ pretium eſt, quo nullum majus LINN. in introitu ad Syſt. Nat.

Hæc ergo qualiacumque, ſive ſpernant ignari, ſive ſuffocent malevoli, ſive invidæ arrodere conentur tineæ, Hiſtoriæ tamen Naturalis incremento dicata, ut benevole excipiatis obſecro, Viri docti, & ſi quid auribus veſtris minus dignum inveneritis memores eſtote ſemper; me, Naturæ theatrum, non ſtudii, ſed animi cauſa colere, ad lenienda nimirum triſtiſſimæ vitæ faſtidia.

INDEX
ORDINUM, GENERUM, ET SPECIERUM.

ORD. I. COLEOPTERA. Alæ anticæ coriaceæ.

Lucanus. Antennæ denticulis tranſverſis unilateralibus terminatæ.

1 Cervus.
2. Caraboides.

Scarabæus. Antennæ lamellis mobilibus terminatæ.

3. Solſtitialis.
4. Dubius.
5. Faſciatus.
6. Cyathiger.
7. Funeſtus.
8. Hirtus.
9. Argenteus.
10. Adiaphorus.
11. Sylveſtris.
12. Fullo.
13. Squallidus.
14 Naſicornis.
15. Eremita.
16. Melolontha.
17. Auratus.
18. Nobilis.
19 Oblongus.
20. Fimetarius.
21. Alpinus.
22. Lunaris.
23. Rugoſus.
24 Longipes.
25. Illyricus.
26. Stercorarius.
27. Vernalis.
28. Variegatus.
29. Minimus.

Hiſter. Antennæ capitulo indiviſo clavatæ.

30. Unicolor.
31. Fimetarius.
32. Apterus.

Dermeſtes. Antennæ nodis tribus clavatæ.

33. Veſpillo.
34. Lardarius.
35. Murinus.
36. Scaraboides.
37. Pellio.
38. Carbonarius.
39. Roſæ.
40. Sambucci.
41. Variegatus.

42.

42. Cellaris.
43. Agaricinus.
44. Boleti.
45. Braſſicæ.
46. Ciliatus.
47. Lepturoides.
48. Lycoperdi.
49. Calthæ.
50. Cæruleſcens.
51. Violaceus.
52. Plicatus.

Silpha. Antennæ ſubclavatæ. Thorax clypeatus. Fulcrum femorale.

53. Rugoſa.
54. Thoracica.
55. Littoralis.
56. Atrata.
57. Obſcura.
58. Sabuloſa.
59. Scabra.
60. Ferruginea.

Laria. Antennæ ſubclavatæ. Thorax pulvinatus. Femora non fulcrata.

61. Hyoſeris.
62. Dulcamaræ.
63. Salicis.
64. Sileris.

Curculio. Proboſcis cornea, antennifera.

65. Piger.
66. Albinus.
67. Reſinoſus.
68. Iners.
69. Piceus.
70 Erraticus.
71. Collaris.
72. Nitens.
73. Fagi.
74. Populi.
75. Pulverulentus.
76. Centaureæ.
77. Auratus.
78. Violaceus.
79. Carbonarius.
80. Tuberculoſus.
81. Carioſus.
82. Syngeneſiæ.
83. Urticæ.
84. Ceraſi.
85. Icoſandriæ.
86. Purpureus.
87. Cæruleſcens.
88. Oleraceus.
89. Granarius.
90. Gemmatus.
91. Argentatus.
92. Anthracinus.
93. Triſtis.
94 Infidus,
95. Pruni.
96. Cœleſtinus.
97. Glaucus.
98. Rufipes.
99. C. album.
100. Senſitivus.
101. Nemoreus.
102. Momus.
103. Zoilus.
104. Paluſtris.
105. Nucum.
106. Quercus.
107. Punctatus.
108. Faſciatus.
109. Præcox.

Attelabus. Caput pone attenuatum, thoracis craſſitie.

110. Apiarius.
111. Formicarius.
112. Lilii.

113.

113. Aſparagi.
114. Quinquepunctatus.
115. Duodecimpunctatus
116. Quatuordecim punctatus.

Caſſida. Caput thoracis clypeo tectum.

117. Viridis.
118. Noctiluca.
119. Sanguinea.

Cantharis. Caput proſtans. Elytrum molle non truncatum.

120. Fuſca.
121. Obſcura.
122. Livida.
123. Teſtacea.
124. Fulva.
125. Caudata.
126. Ænea.
127. Bipuſtulata.
128. Minima.
129. Faſciata.
130. Marginata.
131. Piloſa.
132. Squallida.
133. Flava.
134. Fraxinea.
135. Serraticornis.
136. Cærulea.
137. Spadicea.
138. Fulvicollis.
139. Rufiventris.
140. Uſtulata
141. Tenebricoſa.
142. Sericea.
143. Parva.
144. Phtyſica.
145. Femorata.
146. Nobilis.

Leptura. Thorax ſubrotundus atterens abſque ſono. Antennæ ſubſetaceæ.

147. Aquatica.
148. Rubra.
149. Melanura.
150. Sanguinolenta.
151. Dubia.
152. Oculata.
153. Parallela.
154. Quadrimaculata.
155. Ruficrus.
156. Bajula.
157. Cylindrica.
158. Cantharoides.
159. Collaris.
160. Cæruleſcens.

Cerambyx. Thorax attritu ſtridens. Antennæ attenuatæ.

161. Coriarius.
162. Cerdo.
163. Heros.
164. Textor.
165. Moſchatus.
166. Alpinus,
167. Curſor.
168. Arenarius.
169. Æthiops.
170. Fulvus.
171. Timidus.
172. Faſciatus.
173. Nebuloſus.
174. Scabricornis.
175. Scalaris.
176. Figuratus.
177. Quadricolor.
178. Carbonarius.

Necydalis. Antennæ Cerambycinæ. Elytra dimidiata.

179. Minor.
180. Minima.

Cicindella. Maxillæ & oculi prominentes. Thorax capite tenuior. Lamella femoralis obtuſa.

181. Campeſtris.
182. Germanica.
183. Hybrida.

Meloë. Caput inflexum. Thorax ſubrotundus. Elytra flexilia.

184. Proſcarabæus.
185. Veſicatorius.
186. Cinnaberinus.

Mordella. Lamella lata femora tegens aut fulciens.

187. Gigantea.
188. Ruſtica.
189. Serraticornis.
190. Roſacea.
191. Cuprea.
192. Aculeata.

Bupreſtis. Caput deflexum. Thorax pulvinatus. Abdomen obtuſum.

193. Syngeneſiæ.
194. Specularis.
195. Aquatica.
196. Umbellatarum.
197. Miliaris.
198. Chryſocollis.
199. Salicina.
200. Cæruleſcens.
201. Biguttata.
202. Moræi.
203. Sanguinolenta.
204. Lunata.
205. Unifaſciata.
206. Quadripunctata.
207. Quinquepunctata.
208. Sexpunctata.
209. Octopunctata.
210. Fur

Chryſomela. Antennæ thorace longiores. Caput porrectum, nec adeo craſſum.

211. Alni.
212. Oleracea.
213. Chryſocephala.
214. Rufipes.
215. Nemorum.
216. Ferruginea.
217. Atricilla.
218. Truncata.
219. Lurida.

Coccinella. Antennæ thorace vix longiores, dilatatæ. Caput porrectum.

220. Graminis.
221. Betulæ.
222. Vulgatiſſima.
223. Riparia.
224. Vitellinæ.
225. Hæmorrhoidalis.
226. Erratica.
227. Rufipes.
228. Populi.
229. Polita.
230. Liturata.
231. Speciofiſſima.
232. Faſtuoſa.
233. Signata.
234. Bipunctata.
235. Septempunctata.
236. Novempunctata.
237. Decempunctata.
238. Tredecimpunctata.
239. Vigintiquatuorpunctata.
240. Sedecimpunctata.
241. Octodecimpunctata.
242. Vigintipunctata.
243. Teſſulata.

244. Quadripuſtulata.
245. Sexpuſtulata.
246. Quatuordecimpuſtulata
247. Faſciata.
248. Quatuordecimguttata.
249. Sexdecimguttata.
250. Quadrimaculata.
251. Decemmaculata.

Tenebrio. Antennæ moniliformes thorace longiores. Caput porrectum. Thorax marginatus planiuſculus.

252. Mortiſagus.
253. Ventricoſus.
254. Bupreſtoides.
255. Æneus.
256 Triſtis.
257. Pomonæ.
258. Capreæ.
259. Molitor.
260. Flavus.
261. Boleti.

Carabus. Corpus agile. Caput longum. Lamina magna femoralis.

262. Nitens.
263. Granulatus.
264. Catenulatus.
265. Coriaceus.
266. Leucophthalmus.
267. Spinipes.
268. Vulgaris.
269. Elegans.
270. Metallicus.
271. Cordatus.
272. Junceus.
273. Germanus.
274. Bimaculatus.
275. Marginatus.
276. Salicinus.
277. Arenarius.

Elater. Sterni mucro e foramine abdominis reſiliens.

278. Pectinicornis.
279. Nitens.
280. Serraticornis.
281. Faſciatus.
282. Thoracicus.
283. Montanus.
284. Obſcurus.
285. Sputator.
286. Caſtaneus.
287. Sanguineus.
288. Advena.
289. Iſtriacus.
290. Gramineus.
291. Ferrugineus.
292. Degener.

Dytiſcus. Gens aquatica, ſegnis. Pedes poſtici ciliato-natatorii.

293. Piceus.
294. Marginalis.
295. Punctatus.
296. Uliginoſus.
297. Minimus.
298 Rufus.
299. Natator.

Staphylinus. Antennæ moniliformes. Elytra dimidiata, alas tegentia. Cauda inermis.

300. Ophthalmicus.
301. Fulvipes.
302. Murinus.
303. Clavicornis.
304. Politus.
305. Boleti.
306. Eryopterus.

307.

307. Rufus.
308. Gregarius.
309. Braſſicæ.
310. Arnicæ.
311. Hellebori.

Forficula. Antennæ ſetaceæ. Elytra dimidiata, alas tegentia. Cauda forcipe armata.

312. Auricularia.

Blata. Thorax planiuſculus marginatus. Cornicula duo ſupra caudam.

313. Orientalis.
314. Sylveſtris.

Gryllus. Caput nutans. Alæ plicatæ. Elytra flexilia.

315. Religioſus.
316. Bipunctatus.
317. Gryllotalpa.
318. Domeſticus.
319. Campeſtris.
320. Viridiſſimus.
321. Verrucivorus.
322. Falcatus.
323. Migratorius.
324. Pellucens.
325. Cæruleſcens.
326. Stridulus.
327. Italicus.
328. Lunulatus.
329. Rufus.

ORD. II. PROBOSCIDEA. Os proboſcide inflexa.

Cicada. Antennæ thorace breviores. Alæ (4) membranaceæ. Gens ſtridula, terreſtris.

330. Sanguinolenta.
331. Spumaria.
332. Arunci.
333. Marginalis.
334. Bicordata.
335. Violacea.
336. Oenotheræ.
337. Lineata.
338. Viridis.
339. Bipunctata.
340. Cornuta.
341. Nervoſa.
342. Marginata.
343. Ocellata.
344. Notata.
345. Plebeja.
346. Orni.
347. Hæmatodes.

Notonecta. Gens aquatica natans in dorſo, pedibus poſticis ciliatis.

348. Glauca.
349. Striata.

Nepa. Pedes antici cheliformes. Corpus depreſſum.

350. Cinerea.

Cimex. Gens terreſtris, curſoria, plerumque fœtens. Antennæ thorace longiores.

351. Lineatus.
352. Maurus.
353. Exanthematicus.
354. Lectularius.
355. Dubius.
356. Biguttatus.
357. Bicolor.
358. Æneus.
359. Juniperinus.
360. Baccarum.
361. Ornatus.

362. Dominulus.
363. Marginatus.
364. Abietis.
365. Denticulatus.
366. Agilis.
367. Rugoſus.
368. Pandurus.
369. Specioſus.
370. Apterus.
371. Saxatilis.
372. Tuberculoſus.
373. Nervoſus.
374. Maritimus.
375. Alpinus.
376. Collinus.
377. Ferrugineus.
378. Iracundus.
379. Perſonatus.
380. Hybridus.
381. Gothicus.
382. Meriopterus.
383. Æquinoctialis.
384. Pabulinus.
385. Umbellatarum.
386. Pratenſis.
387. Striatus.
388. Fulvipes.
389. Geniſtæ.
390. Flavipes.
391. Junceus.
392. Riparius.
393. Teſtaceus.
394. Lacuſtris.
395. Stagnorum.

Aphis. Antennæ thorace longiores. Alæ erectæ. Abdomen pone bicorne.

396. Viburni.
397. Aceris.
398. Vitis.
399. Ægopodii.
400. Archangelicæ.
401. Abſynthii.
402. Cirſii.
403. Jaceæ.
404. Leucanthemi.
405. Scabioſæ.
406. Pruni.
407. Craccæ.
408. Fabæ.
409. Geniſtæ.
410. Urticæ.

Chermes. Alæ deflexæ. Pedes ſaltatorii. Larva lanata.

411. Evonymi.
412. Cratægi.
413. Senecionis.
414. Pruni.
415. Fraxini.
416. Pyri.
417. Alni.

Thryps. Alæ anguſtæ incumbentes. Corpus tenue flexili abdomine ſaltitans.

418. Phyſapus.

ORD. III. LEPIDOPTERA. Corpus piloſum. Alæ ſquamulis coloratis tectæ.

Papilio. Antennæ clavatæ. Alæ erectæ. Pupa expoſita, nuda.

419. Antiopa.
420. Polychloros.
421. Urticæ.
422. C. album.
423. Jo.
424. Atalanta.
425. Hypermneſtra.
426. Cardui.
427. Galathea.

428. Fagi.
429. Dryas.
430. Iris.
431. Mæra.
432. Ægeria.
433. Achinæ.
434. Polymeda.
435. Jurtina.
436. Ligea.
437. Cinxia.
438. Paphia.
439. Aglaia.
440. Lathonia.
441. Euphroſyne.
442. Prorſa.
443. Rivularis.
444. Machaon.
445. Podalirius.
446. Macaronius.
447. Apollo.
448. Cratægi.
449. Mnemoſyne.
450. Braſſicæ.
451. Rapæ.
452. Sinapis.
453. Napi.
454. Cardamines.
455. Hyale.
456. Rhamni.
457. Amyntas.
458. Menalcas.
459. Pruni.
460. Rubi.
461. Argus.
462. Virgaureæ.
463. Comma?
464. Morio.

Sphinx. Antennæ medio craſſiores, ſubpriſmaticæ.

465. Ocellata.
466. Populi.
467. Tiliæ.
468. Convolvuli.
469. Atropos.
470. Liguſtri.
471. Euphorbiæ.
472. Elpenor.
473. Pinaſtri.
474. Stellatarum.
475. Fuciformis.
476. Culiciformis.
477. Scopigera.
478. Carniolica.
479. Filipendulæ.
480. Phegea.
481. Statices.

Phalæna. Antennæ extrorſum ſenſim attenuatæ.

482. Pavonia.
483. Pavoniella.
484. Tau.
485. Quercifolia.
486. Mori.
487. Quercus.
488. Vinula.
489. Pudibunda.
490. Monacha.
491. Diſpar.
492. Rubi.
493. Chryſorrhæa.
494. Prælata.
495. Salicis.
496. Antiqua.
497. Gonoſtigma.
498. Pyri.
499. Laneſtris.
500. Coſſus.
501. Eremita.
502. Anoſtomoſis?
503. Caia.
504. Villica.
505. Plantaginis.
506. Dominula.

507. Alpicola.
508. Fuliginoſa.
509. Pacta.
510. Fulminea.
511. Jacobeæ.
512. Meticuloſa.
513. Lubricipeda.
514. Pulchella.
515. Bucephala.
516. Libatrix.
517. Chryſitis.
518. Pronuba.
519. Guadra.
520. Sannio.
521. Verbaſci.
522. Braſſicæ.
523. Gamma.
524. Aceris.
525. Rubiginoſa.
526. Clavipalpis.
527. Deceptoria.
528. Amataria.
529. Lactearia.
530. Viridata.
531. Repandata?
532. Nebulata.
533. Corticalis.
534. Cervinalis.
535. Fimbrialis.
536. Retialis.
537. Punctinalis.
538. Feneſtrella.
539. Niveata.
540. Lineata.
541. Strigata.
542. Exanthemata.
543. Punctata.
544. Groſſulariata.
545. Ornata.
546. Sylvata.
547. Urticata.
548. St phyllæata.
549. Glaucata.
550. Faſciata.
551. Chlorotata.
552. Mucronata.
553. Variegata.
554. Verberata.
555. Undulata.
556. Cratægata.
557. Maculata.
558. Iſoſcellata.
559. Contaminata.
560. Menſurata.
561. Mœniata.
562. Cruentata.
563. Laccata.
564. Ornata.
565. Aurata.
566. Bilineata.
567. Ochrata.
568. Limitata.
569. pennata.
570. Spataceata.
571. Alpinata.
572. Murinata.
573. Rivulata.
574. Litterata.
575. Lævigata.
576. Inquinata.
577. Tenebrata.
578. Signata.
579. Deſpicata.
580. Nigrata.
581. Æthiopiata.
582. Obfuſcata.
583. Podana.
584. Bergmanniana.
585. Rubiana.
586. Faſciana.
587. Solandriana.
588. Cervana.
589. Lambergiana.
590. Wulfeniana.
591. Rufana.
592. Plumbana.
593. Ruſticana.
594. Miſcellana.

595. Montana.
596. Cana.
597. Pedana.
598. Umbriana.
599. Formoſana.
600. Rivulana.
601. Gramineana.
602. Capilliciana.
603. Oſſeana.
604. Pyraliana.
605. Barbalis.
606. Proboſcidalis.
607. Anthracinalis.
608. Farinalis.
609. Citrinalis.
610. Trabealis.
611. Criſtalis.
612. Lunalis.
613. Viminalis.
614. Extimalis.
615. Sericealis.
616. Ruralis.
617. Trivialis.
618. Nemoralis.
619. Maialis.
620. Perlella.
621. Paſcuella.
622. Pinetella.
623. Semirubella.
624. Roſella.
625. Viduella.
626. Fuſcella.
627. Craterella.
628. Chryſonuchella.
629. Virginella.
630. Culmella.
631. Evonymella.
632. Sadella.
633. Cornutella.
634. Niſella.
635. Marginella.
636. Paliatella.
637. Cervinella.
638. Forficella.
639. Flavella.
640. Gemmatella.
641. Ecclypſella.
642. Bicoſtella.
643. Mucronella.
644. Scabioſella.
645. Viridella.
646. Barbatella.
647. Degeerella.
648. Crœſella.
649. Rufimitrella.
650. Hemerobiella.
651. Vorticella.
652. Obſcurella.
653. Feneſtrella.
654. Scallella.
655. Punctella.
656. Comella.
657. Puſiella.
658. Traſonella.
659. Equitella.
660. Aruncella.
661. Alchimiella.
662. Auratella.
663. Æneella.
664. Leucocerella.
665. Luridella.
666. Zoologella.
667. Rufella.
668. Murinella.
669. Veſtianella.
670. Arbuſtella.
671. Domeſticella.
672. Didactyla.
673. Bipunctidactyla.
674. Ptero-Dactyla.
675. Tridactyla.
676. Hexadactyla.

ORD. IV. NEUROPTERA. Alæ (4). Aculeus nullus.

Libellula. Appendices caudales foliaceæ. 677.

677. Grandis.
678. Depreſſa.
679. Quadrimaculata.
680. Vulgata.
681. Virgo.
682. Puella.

Ephemera. Alæ (4) erectæ: poſtice minimæ. Volatus gravis. Vita brevis.

683. Vulgata.
684. Gemmata.
685. Albipes.
686. culiciformis?
687. Parvula.

Phryganea. Antennæ longæ. Alæ poſticæ plicatæ.

688. Striata.
689. Albicornis.
690. Ruficrus.
691. Ferruginea.
692. Bimaculata.
693. Variegata.
694. Tineoides.
695. Offulcata.
696. Fuliginoſa.
697. Teſtacea.
698. Pyralina.
699. Dubia.
700. Pectinicornis.
701. Martia.
702. Regelationis.
703. Grammatica.
704. Tripunctata.
705. Maxima.

Hemerobius. Alæ planæ, debiles, (4).

706. Fulvicephalus.
707. Flavus.
708. Chryſops.
709. Perla.

Panorpa. Alæ planæ. Cauda uni ſexui forcipata.

710. Communis.

Raphidia. Collum longum. Antennæ breves.

711. Ophiopſis.
712. Mantiſpa.

ORD. V. ACULEATA. Alæ (4). Abdomen uni ſexui aculeo armatum.

Cynips Aculeus reconditus, ſpiralis? Larva intra Gallam.

713. Roſæ.
714. Hieracii.
715. Glechomæ.
716. Quercus pet.
717. Quercus fol.
718. Salicis ſtrobili.

Tentredo. Aculeus reconditus, cultriformis, ſerratus, ſimplex et duplex.

719. Lutea.
720. Amerina.
721. Nitens.
722. Roſæ.
723. Melomela.
724. Montana.
725. Temula.

726. Cingulata.
727. Faſciata.
728. Fulvipes.
729. Atra.
730. Craſſa.
731. Flava.
732. Signata.
733. Carbonaria.
734. Ribeſii.
735. Ceraſi.
736. Fulviventris.
737. Impura.
738. Solitaria.

Ichneumon. Aculeus exſertus: vagina bivalvi.

739. Gigas.
740. Spectrum.
741. Juvencus.
742. Camelus.
743. Uſurpator.
744. Gladiator.
745. Incubitor.
746. Deceptor.
747. Viator.
748. Excitator.
749. Terebrator.
750. Viſitator.
751. Manifeſtator.
752. Cunctator.
753. Speculator.
754. Inquiſitor.
755. Vinulæ.
756. Affectator.
757. Victor.
758. Impoſtor.
759. Vagator.
760. Cannabis.
761. Tipulæ.
762. Pavoniæ.
763. Pectinicornis.
764. Graminum.
765. Antiopæ.
766. Globatus.
767. Glomeratus.

Sphex. Aculeus reconditus. Os muticum. Alæ planæ.

768. Truncata.
769. Craſſicornis.
770. Sabuloſa.
771. Fuliginoſa.
772. Hirſuta.
773. Cincta.
774. Æquinoctialis.
775. Profuga.
776. Furcata.
777. Gregaria.
778. Coarctata.
779. Anthracina.
780. Viatica.
781. Apiaria.
782. Carbonaria.
783. Verſicolor.
784. Nigerrima.
785. Vaga.
786. Gibba.
787. Bilocularis.
788. Abietina.
789. Veſpoides.
790. Tentredoides.
791. Ignita.
792. Nobilis.
793. Violacea.

Apis. Os roſtro deflexo, bivalvi.

794. Longicornis.
795. Sordida.
796. Floriſomnis.
797. Atra.
798. Globoſa.
799. Centuncularis.
800. Farfariſequa.

801.

801. Sabuloſa.
802. Riparia.
803. Calcarata.
804. Præcox.
805. Calceata.
806. Montana.
807. Fulviventris.
808. Veſpiformis.
809. Ænea.
810. Fuſca.
811. Mellifica.
812. Violacea.
813. Lapidaria.
814. Argillacea.
815. Terreſtris.
816. Ruſa.
817. Hortorum.
818. Collaris.
819. Paſcuorum.
820. Hypnorum.
821. Nemorum.
822. Sylvarum.
823. Collium.

Veſpa. Os muticum. Alæ ſuper: ſubplicatæ.

824. Crabro.
825. Vulgaris.
826. Sylveſtris.
827. Parietum.
8[illegible] Muraria.
8[illegible] Tinniens.
830. Coarctata.
831. Maculata.

Formica. Alæ neutris nullæ.

832. Herculeana.
833. Vaga.
834. Nigra.
835. Libera.
836. Rufa.
837. Ceſpitum.

Mutilla. Alæ nullæ.

838. Saltatrix.

ORD. VI. HALTERATA. Clavula ſub ſingulis alis.

Tipula. Os inerme: apice palpigerum, palpis (2) incurvis.

839. Pectinicornis.
840. Idrienſis.
841. Plumoſa.
842. Lacuſtris.
843. Graminea.
844. Convallium.
845. Crocata.
846. Rivoſa.
847. Lunata.
848. Pratenſis.
849. Annulata.
850. Cimicoides.
851. Chirothecata.
852. Lineata.
853. Ferruginea.
854. Oleracea.
855. Faſciata.
856. Inquieta.
857. Vibratrix.
858. Feneſtralis.
859. Tremula.
860. Degener.
861. Boleti.
862. Typhina.
863. Hemerobioides.
864. Phalænoides.
865. Labacenſis.
866. Quadrinodia.

Muſca.

Muſca. Os vagina carnoſa, retractili: apice labiata: baſi palpigera.

867. Meridiana.
868. Carnaria.
869. Variegata.
870. Maculata.
871. Cæſar.
872. Domeſtica.
873. Cæſarina.
874. Coloſſus.
875. Martia.
876. Tuguriorum.
877. Proſtrata.
878. Nigrita.
879. Corni.
880. Angelicæ.
881. Rufiventris.
882. Tripunctata.
883. Rotundata.
884. Deceptoria.
885. Temula.
886. Falcata.
887. Cæruleocephala.
888. Larvarum.
889. Alni.
890. Roralis.
891. Pluvialis.
892. Doronici.
893. Vernicina.
894. Præceps.
895. Plumipes.
896. Scybalaria.
897. Ruta.
898. Amentaria.
899. Ungnicornis.
900. Fumigata.
901. Coryleti.
902. Longipes.
903. Fungorum.
904. Putris.
905. Oenopota.
906. Punctulata.
907. Coleoptrata.
908. Muraria.
909. Curſoria.
910. Formoſa.
911. Cupraria.
912. Rara.
913. Ferruginea.
914. Iridata.
915. Violacea.
916. Bipunctata.
917. Spatula.
918. Albiſeta.
919. Spinipes.
920. Buccata.
921. Virens.
922. Ornitovora.
923. Strumoſa.
924. Lacuſtris.
925. Hortulana.
926. Maritima.
927. Meticuloſa.
928. Merulina.
929. Cannabina.
930. Paluſtris.
931. Pyraſtri.
932. Erratica.
933. Libatrix.
934. Mellina.
935. Vacua.
936. Lucida.
937. Chryſorrhæa.
938. Ænea.
939. Vibrans.
940. Germinationis.
941. Arnicæ.
942. Aphidioides.
943. Luteola.
944. Oppidana.
945. Umbellatarum.
946. Feſtinans.
947. Cynipſea.
948. Spoliata.
949. Saltitans.

Ceria. Roſtrum muſcæ. Antennæ moniliformes.

950. Decemnodia.
951. Septemnodia.

Conops. Roſtrum quadriſetum: vagina retractili: apice labiata.

952. Bifaſciatus.
953. Trifaſciatus.
954. Pertinax.
955. Bombilans.
956. Pennatus.
957. Dryaphyllus.
958. Leucorhæus.
959. Floreus.
960. Vulgaris.
961. Fuſcus.
962. Cupreus.
963. Femoratus.
964. Feſtivus.
965. Gemmatus.
966. Glaucius.
967. Æneus.
968. Præcinctus.
969. Pipiens.
970. Clavatus.

Anthrax. Roſtrum biſetum: vagina baſi retractili: medio palpigera.

971. Morio.

Rhingia. Roſtrum triſetum: vagina univalvi attenuata, canali oris adplicata.

972. Roſtrata.

Erax. Roſtrum triſetum: vagina univalvi, capite non longiore.

973. Proſtratus.
974. Crabroniformis.
975. Forcipatus.
976. Barbatus.
977. Ferox.
978. Conopſoides.
979. Tentredoides.
980. Rufipes.
981. Niger.
982. Aquaticus.
983. Puſillus.
984. Maculatus.
985. Inquinatus.
986. Rufus.

Aſilus. Roſtrum quadriſetum: vagina longa, attenuata, bivalvi.

987. Mucronatus.
988. Punctatus.
989. Ferrugineus.
990. Lineatus.
991. Setoſus.
992. Cinereus.
993. Æſtivus.
994. Pennipes.
995. Flavipes.
996. Fulcratus.
997. Dubius.

Styrex. Roſtrum uniſetum: vagina retractili palpigera.

998. Holoſericeus.

Hirtea. Roſtrum uniſetum: vagina retractili: apice

apice labiata, baſi palpigera.

999. Longicornis.

Empis. Roſtrum uniſetum: vagina baſi retractili, attenuata longa.

1000. Petiolata.
1001. Calcitrans.
1002. Rufipes.
1003. Paluſtris.

Sicus. Roſtrum uniſetum: vagina e medio refracta.

1004. Ferrugineus.
1005. Buccatus.

Tabanus. Roſtrum quinqueſetum: vagina univalvi, palpis baſi tecta.

1006. Bovinus.
1007. Autumnalis.
1008. Tropicus.
1009. Ferus.
1010. Alpinus.
1011. Bromius.
1012. Pluvialis.
1013. Rufus.
1014. Cæcutiens.
1015. Salinarius.
1016. Maritimus.

Culex. Roſtrum quadriſetum: vagina longa, baſi palpis tecta.

1017. Pipiens.

Bombylius. Roſtrum biſetum: vagina bivalvi porrecta, longa.

1018. Maior.
1019. Medius.
1020. Minor.
1021. Ater.

Hippoboſca. Roſtrum uniſetum: vagina bivalvi. Pedes unguibus (4).

1022. Equina.
1023. Hirundinis.
1024. Corvi.

ORD. VII. PEDESTRIA. Alæ nullæ.

Lepiſma. Pedes (6). Os palpis (2). Cauda ſetoſa non ſaltatrix.

1025. Longicornis.
1026. Vulgaris.

Podura. Pedes (6). Cauda ſaltatrix.

1027. Aquatica.
1028. Squamoſa.
1029. Terreſtris.
1030. Arborea.
1031. Termiformis.

Termes. Os maxilloſum. Facies Pediculi.

1032. Pulſatorium.
1033. Sylvarum.
1034. Florum.

Pedi-

Pediculus. Os aculeo exſerendo. Habitatio in Animalibus. Pedes (6).

1035. Hematopus.	*Accipitrum.*
1036. Maximus.	*Falconis* Buteo.
1037. Coarctatus.	*Larii* Collur.
1038. Ocellatus.	*Corvi* Corax.
1039. Dolichocephalos.	*Coraciæ* Orioli.
1040. Faſciatus.	*Cuculi* canori.
1041. Auritus.	*Pici* ma:
1042. Dentatus.	*Anatis.*
1043. Craſſicornis.	*Anatis* Boſch.
1044. Piloſus.	*Fulicæ* atræ.
1045. Colymbinus.	*Colymbi* auriti.
1046. Ardealis.	*Ardeæ* Ciconiæ.
1047. Ovalis.	*Scolopacis* Arguatæ.
1048. Iunceus.	*Tringæ* Vanelli.
1049. Cuſpidatus.	*Ralli* aquatici.
1050. Bidentatus.	*Columbæ* Palumbi.
1051. Albiventris.	*Motacillæ* Traglotid.
1052. Roſtratus.	G. *Gryllo-Talpæ.*
1053. Coccineus.	*Hemerobii.*
1054. Cerambycinus.	*Apis* violac.

Pulex. Roſtrum inflexum, bivalve. Pedes ſaltatorii.

1055. Irritans.

Acarus. Pedes (8), curſorii.

1056. Radiatus.
1057. Ricinus.
1058. Veſpertilionis.
1059. Cornicis.
1060. Locuſta.
1061. Collurionis.
1062. Pici.
1063. Turdi.
1064. Coleoptratorum.
1065. Coccinellæ.
1066. Muſcarum.
1067. Formicarum.
1068. Holoſericeus.
1069. Cancroides.
1070. Nepæformis.
1071. Muſcorum.
1072. Agaricorum.
1073. Lichenum.
1074. Baccarum.
1075. Telarius.
1076. Piger.

Aranea. Pedes (8). Oculi (6-8). Palpi (2) articulati.

1077. *Linnæi.*
1078. *Reaumurii.*
1079. *Swamerdamii.*
1080. *Raii.*
1081. *Leuwenhækii.*

1082.

1082. *Adrovandi.*
1083. *Redii.*
1084. *Merianæ.*
1085. *De Geerii.*
1086. *Friſchii.*
1087. *Roeſelii.*
1088. *Goedarti.*
1089. *Albini.*
1090. *Clerkii.*
1091. *Malpighii.*
1092. *Schæfferi.*
1093. *Liſteri.*
1094. *Rolandri.*
1095. *Solandri.*
1096. *Mouffetti.*
1097. *Forskælii.*
1098. *Petiverii.*
1099. *Kleinii.*
1100. *Osbekii.*
1101. *Kalmii.*
1102. *Haſſelquiſtii.*
1103. *Uddmanni.*
1104. *Deerrhamii.*
1105. *Jonſtoni.*
1106. *Wilkii.*
1107. *Roberti.*
1108. *Sloanii.*
1109. *Catesbæi.*
1110. *Rumpfii.*
1111. *Marcgravii.*
1112. *Blankardi.*
1113. *Joblotii.*
1114. *Ritteri.*
1115. *Blearii.*
1116. *Lyonetti.*
1117. R. P. *Podæ.*
1118. *Knorii.*
1119. *Hombergii.*
1120. *Pluschii.*

Phalangium. Pedes (8). Papillæ textoriæ nullæ. Oculi verticales (2-4).

1121. Opilio.

Scorpio. Palpi duo chelati. Pectines duo ſubtus inter abdomen et thoracem.

1122. Europæus.

Cancer. Palpi (2) chelati. Oculi (2). Cauda inermis.

1123. Mænas.
1124. Depurator.
1125. Pagurus.
1126. Maia.
1127. Gammarus.
1128. Aſtacus.
1129. Squilla.
1130 Bernhardus.
1131. Diogenes.
1132. Iſtrianus.
1133. Nutrix.
1134. Cruentatus.
1135. Mantis.
1136. Locuſta.
1137. Pulex.

Monoculus. Pedes natatorii. Oculi approximati.

1138. Apus.
1139. Quadricornis.

Oniſcus. Corpus ovato-oblongum. Pedes (14).

1140. Bicaudatus.
1141. Tridens.
1142. Aſellus.

1143.

1143. Aſilus.
1144. Armadillo.
1145. Muſcorum.

Scolopendra. Corpus planiuſculum. Pedes e ſingulis plerîſque ſegmentis utrinque ſolitarii.

1146. Forficata.
1147. Aranea.

1148. Nivea.
1149. Clavicornis.
1150. Iulacea.
1151. Marina.

Julus. Corpus ſemicylindricum. Pedes e ſingulis ſegmentis utrinque duo.

1152. Terreſtris.
1153. Lagurus.

EXPLICATIO

colorum, quibus uſus ſum in deſcriptionibus

Lepidopterorum.

Orbiculus ligneus, axi oſſea inſtructus dividendus in octo partes æquales, quarum numerus determinatus, binis, tribus aut pluribus coloribus primariis, obductus, adhibita celeri & æquali rotatione, colorem unicum indicabit.

Colores *primarii* in pingendis trochis adhibiti, ſunt.

1. Cinnaberinus. . .	Cinnaberis.
2. Flavus.	Gummi guttæ.
3. Cæruleus. . . .	Cærul. Berolin.
4. Niger.	Atramentum indicum.
5. Albus. . . . ,	Ceruſa.
6. Viridis.	Compoſitus ex cæruleo & flavo.

Ex his nati ſequentes.

Compoſiti. Roſatus Partes	2 Albi.	6 Rub.
Ruſſeus	4 Albi.	4 Rub.
Corallinus.	6 Rub.	2 Virid.
Hepaticus.	4 Rub.	4 Nigr.
Sanguineus.	6 Rub.	2 Nigr.
Pudorinus.	6 Rub.	2 Flav.
Minius.	6 Rub.	2 Cærul.
Aurantius.	4 Rub.	4 Flav.
Citrinus.	6 Flav.	2 Rub.
Luteus.	6 Flav.	2 Nigr.
Limoniatus.	4 Flav.	2 Virid.
Iſabellæ.	6 Flav.	2 Alb.
Stramineus.	6 Flav.	2 Cærul.
Vireſcens.	6 Virid.	2 Nigr.
Viride mont.	6 Virid.	2 Alb.
Moſchatinus.	4 Rub.	4 Virid.
Murinus.	2 Flav.	6 Nigr.
Oſſeus.	4 Flav.	4 Alb.

De-

Decompoſiti.			
Ochreaceus Partes.	4 Rub.	2 Flav.	2 Vir.
Hæmatiticus.	4 Cærul.	2 Rub.	2 Nig.
Vinaceus.	4 Rub.	2 Cærul.	2 Vir.
Capparinus.	4 Flav.	2 Virid.	2 Cær.
Caryophyllinus.	4 Virid.	2 Rub.	2 Nig.
Cinamomæus.	4 Flav.	2 Rub.	2 Nig.
Glaucus.	4 Cærul.	2 Flav.	2 Vir.
Caſtaneus.	4 Virid.	2 Rub.	2 Fla.
Viridanus.	4 Virid.	2 Cærul.	2 Fla.
Supradecompoſiti.			
Umbrinus.	4 Nigr.	1 Cærul,	1 Vir.
		1 Flav.	1 Rub.

Methodi Inventor R. & Doctiſſ. P. Poda Soc. JESU. Illuſtrator ego.

Plurimum intereſt obſervare colores rerum naturalium, eosque bene diſtinguere. Petrum ex imagine etiam optime delineata, quis adgnoſcet, niſi colores habuerit, quos Petri vultus. Alæ Papil. *Machaonis Rhamni &c.* flavæ dicuntur, ac ſi eodem eſſent colore tinctæ, quod, nemo dicere poterit. Neque claram colorum ideam exhibent termini illi arbitrarii, v. g. ſubfuſcus, ſubrubellus, griſeo-albus, albo-luteus &c. Rogo itaque Eruditos, ut in his conveniamus, & color quilibet unico termino denotetur. Decem orbiculis ſexaginta colores exprimi poſſunt, ſi orbiculi ſuperna & inferna facies in tres partes concentricas dividatur, & harum quælibet, prædictis coloribus, diverſimode tingatur. Si vero, hac methodo, colores non omnes exprimi poſſint, adhibeantur colores rerum uſitatiſſimarum, quibus & ego uſus ſum; v. g.

Aureus. . . .	Aurum purum.
Argenteus. . . .	Argentum.
Cupreus. . . .	Cuprum.
Æneus. . . .	Æs.
Plumbeus. . . .	Plumbum.
Carneus. . . .	Cutis junior ſani Hominis.
Cervinus. . . .	Pili corii cervini.
Croceus. . . .	Crocus Auſtr.
Corticinus. . . .	Cortex Peruvianus.
Cupreſſinus. . . .	Strobilus Cupreſſi.

Caffæa-

Caffæatus.	Pulvis Caffè toſti.
Cereus.	Cera alba.
Ferrugineus.	Rubigo ferri.
Nuceus.	Lignum Nucis.
Griſeus.	Capilli cani.
Bolaris.	Bolus armena.



INSECTORUM CARNIOLIAE.

ORDO I.
COLEOPTERA

ALÆ QUATUOR: SUPERIORES CRUSTACEÆ.

LINN. *Syſt. Nat. p.* 345.

LUCANUS.

Antennæ apice dentibus 4 uno latere pectinatæ.
Maxillæ porrectæ.

1. LUCANUS *Cervus.*
Elytri *longit.* unc. 1. lin. 1. *latit.* lin. $4\frac{1}{2}$.
LINN. Syſt. Nat. p. 353. Scarab. 58.
Faun. Svec. 2. 405.
ROESEL. Scarab. Terr. Cl. I. Tab. 5. fig. 7. 9. maſ. fig. 8. fœm.
MERIAN. Europ. Tab. 168.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 31.
Carniol. Rogatſch.

Digitized by Google

Diagnoſis. Maxillæ (arma) maris thorace duplo longiores, apice furcatæ: dente medio horizontali; villorum ruforum faſciculi bini inter palpos prominentes.

Habitat in putridis Quercubus. Roesel. Linn.

Veſperi circumvolat poſt ſolſtitium æſtivum. Maxillæ maſculæ porrectæ, lin. 9. longæ; fæminæ vero thorace & capite breviores.

2. Lucanus *Caraboides.*

El. *long.* lin. $3\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 354. Scarab. 63.
Faun. Svec. 2. 407.

Diagn. Maxillæ porrectæ, lunatæ: apice truncato, 5-dentato, ut in Formicis plerisque.

In *Carniolia* non rarus.

Totus punctatus, Carabiformis. Capite, thorace, elytrisque obiter lineatis, atro-cæruleis. Abdomine ſupra ferrugineo. Corpore ſubtus atro.

SCARABÆUS. (†)

Antennæ articulo fiſſili majore clavatæ.

(*) *Tibiis anticis unidentatis.*

3. Scarabæus *Solſtitialis.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* lin. $2\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 351.
Faun. Svec. 2. 393.
Frisch Inſect. 9. Tab. 15. fig. 3.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 21.

Dia-

(†) Scarabæi *Floræ* famuli.

Anthophylli nuptias plantarum promovent, *auratus, nobilis, maculatus, littoralis, figulus, argenteus, libator, ſquallidus, alpinus, variegatus.*

Phyllophagi larvas *Lepidopterorum* fugant, *melolontha, eremita, naſicornis, ſolſtitialis, oblongus, minimus.*

Stercorei radices plantarum nutriunt, *ſtercorarius, vernalis, lunaris, fimetarius.*

Diagn. Habitus *Scarab. Melolonth.* ſed minor & pallidior. Antennæ trifidæ (††). Nativitas æſtiva, circa dies caniculares.

In ſylveſtribus locis, præſertim in *Tiliis.*

Elytrum pellucidum, margine exteriore ciliatum, nitens, plicis tribus parallelis ſtriatum, flexile. Thorax & pectus tomentoſum. Abdom. ſubtus albo proſtrato villo pubeſcens, ſerie una transverſa villorum aliorum erectorum & rufeſcentium, in qualibet inciſura. Pedes rufi.

Vidi circa *Idriam*, M. Junio, notabilem varietatem, elytris obſcure lineatis, lin. 4 longis; abdom. ſine pilis albis; tibiis anticis tridentatis.

4. SCARABÆUS *Dubius.*

El. *long.* lin. 4½. *lat.* lin. 2½.

Diagn. Thorax cum elytris ſtriatis glabris punctatus. Corpus ſubtus ſaltem atro-cæruleum.

In *Carniolia* calidiore, anthophyllus.

Caput obtuſum. Elytra abdomine breviora, ut in *Solſtitiali*, quo minor, & varians 1*mo.* Elytris coloratis ut in priore. Thorace atro-cæruleo: margine dorſoque elytris concolore. 2*do.* Colore unico atro-cæruleo; thorace tamen & capite potius vireſcentibus.

(**) *Tibiis anticis bidentatis.*

5. SCARABÆUS *Faſciatus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* fere 2.

LINN. Syſt. Nat. p. 352.

Faun. Svec. 2. 395. Var. alia.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 20.

Diagn. Caput, Thorax, Corpus rufeſcente denſo villo tomentoſa. Elytrum flavicans margine baſi apice faſciaque abrupta nigri coloris. Ani regio macula ſubrotunda acuminata nigra.

In floribus *Spirææ Arunci.*

C 2 Fun-

(††) *Scarabæorum* diviſio alia ex capitulo antennarum *Bifido*; Alpinus.
Trifido; omnes alii, ſequentibus exceptis.
Multifido; Melolonthâ. Fullo.

Fundus ubique niger. Abdom. ſupra nigrum, rugis tranſverſis. Ad apicem nigrum elytris tumor lucidus ovatus. Vidi in uno ſpecimine clavulas binas petiolatas deflexas in fronte.

Variat. 1. Elytris lin. 2½. longis.

2. Iisdem baſi ſemi-nigris.

3. Faſcia ab uno ad alium marginem producta.

4. Thorace in medio macula magna nigra.

6. Scarabæus *Cyathiger*.

El. *long.* lin. 3½. *lat.* fere 2.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 21. Agricola.

Diagn. Elytra paulo ſaturatiora quam in *Solſtitiali*, margine nigra, ſi unita fuerint, maculam communem gerunt cyatho ſimilem, atram.

In floribus & ſpicis *Cerealium.*

Statura prioris. Thorax fuſco virens. Caput apice dilatatum ſurſum flexum. Corpus totum ſubtus, & ani regio, albido villo caneſcens. Elytra ſubſtriata, ſubdiaphana, margine externo magis nigricantia, & minutis transverſis rugulis exaſperata.

7. Scarabæus *Funeſtus*.

El. *long.* lin. 3. *lat.* lin. fere 2.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 20.

Diagn. Totus niger nitidulus, raris villis adſperſus. Thorace punctorum alborum paribus tribus. Elytris albo-punctatis: punctis 4, ad marginem externum ſupra medium, majoribus.

Copioſus in floribus *Spartii Juncei*, circa *Tergeſtum*, prope Mare.

Statura prioris. Caput leniter emarginatum. Puncta elytrorum ſunt albæ cicatrices. Corpus ſubtus villoſius. An *Variabilis* Linn. Faun. Svec. 2. 402?

8. Scarabæus *Hirtus*.

El. *long.* lin. 3¼. *lat.* lin. 1⅔.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 21.

Diagn. Totus fuſcus. Caput antice excavatum. Thorax tomentoſus, immaculatus. Elytra villoſa: punctis aureis albisve.

In floribus *Spirææ Ulmariæ*.

Sta-

Statura *Funeſti.* Thorax pubeſcens ut in *Faſciato* Elytra punctis plerumque repandis.
Variat. 1. tomento thoracis ruſeſcente & albido.
2. Punctis pluribus paucisque, diſtinctis & confluentibus.

9. Scarabæus *Argenteus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1⅖.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 20.

Diagn. Corpus totum ſubtus, & ani regio, argentei coloris.

Frequens in umbellis *Laſerpitii*, *Siler.* & *Latifolii*, in floribus *Spiræae Arunci* & *Ulmariæ*.

Fundus elytri fuſco ferrugineus, aſſidua inter flores volutatione, tandem obducitur aliena pulverulenta & ceracea cruſta, quam antherarum pollen efficit, varii coloris, nempe ſublutei, cæruleſcentis, aut vireſcentis. Corpus ſubtus & femora nigri coloris, tota teguntur ſquamulis argenteo-cæruleſcentibus. Caput antice truncatum. Abdom. ſuperne fuſcum.

10. Scarabæus *Adiaphorus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1⅖.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 20.

Diagn. Totus piloſus. Caput & Thorax cæruleo-viridis coloris. Elytra diaphana ſaturatius colorata ac in *S. Melolontha.*

In floribus.

Statura *Faſciati.* Tardus valde. Tibiæ anticæ ſuperior dens obtuſus. Corpus ſubtus pedesque atro-cærulei. Thorax & caput magis villoſa ſunt, ac elytra, quæ non griſea ut in *S. Horticola.* Linn.

11. Scarabæus *Sylveſtris.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* lin. ½.

Diagn. Elytrum ſtriis elevatis 10: areis interjectis transverſim rugoſis: octava tuberculis binis.

In ſylvis reperitur.

Caput leniter emarginatum. Thorax capiti concolor, fuſcus, punctatus, linea depreſſa dorſali, antico margine pallidiore. Spatia ſeu valleculæ inter ſtrias elytri, foveolis transverſis inſculptæ.

12. SCARABÆUS *Fullo.*

El *long.* unc. 1. lin. 4. *lat.* lin. 8.
ROESEL. Inſ. 4. Tab. 30. fig. 1. 2. 3.
LINN. Syſt. Nat. p. 352.
Faun. Svec. 2. 394.
FRISCH. Inſ. 11. Tab. 1. fig. 1. p. 23.

Diagn. Clavæ antenn. lamellæ plures quam tres. Elytra nigra vel hepatica albo irrorata.

Apud nos rarior.

Caput obtuſum cum thorace fuſcum. Scutellum albidis proſtratis villis adſperſum. Elytra exiguis crebris rugulis ſcabra, punctis lineisque repandis ramoſis albis variegata. Pectus rufo villo tomentoſum. Irritatus ſtridet, attritu abdominis ad Elytra. Vidi etiam tibiis anticis tridentatis.

13. SCARABÆUS *Squallidus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* lin. 1½.
LINN. Sabuloſus? ſed Faun. Svec. 2. 390. alium indicare videtur.

Diagn. Totus niger, corpore ſubtus, thorace, capiteque villoſis.

Reperitur in hortis non frequens.

Thorax linea longitudinali dorſali elevata media. Elytrum margine externo prope baſim leniter ſinuatum.

(***) *Tibiis anticis tridentatis.*

14. SCARABÆUS *Naſicornis.*

El. *long.* lin. 9. *lat.* lin. 5.
LINN. Syſt. Nat. p. 346.
Faun. Svec. 2. 378.
ROESEL. Scarab. Terr. Cl. I. Tab. 7. fig. 8.
FRISCH. Inſ. 3. Tab. 3. fig. 1. magna valde.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 17.

Diagn. Cornu trilineare, recurvum, totum caput baſi ſua occupans.

Circa *Labacum*, & alibi, non rarus.

Totus clypeus capitis elevatur in cornu dictum, ut ideo verticicornis potius dicendus eſſet, niſi maxima ex non neceſſaria nominum mutatione confuſio oriretur. Caput emarginatum. Thorax ma-

maſculus tuberculo triplici: medio minore, lin. fere 5 longus, ſemiunciam latus, cum capite niger. Elytra caſtanea punctata. Corpus ſubtus pedesque villoſi, elytris concolores.

15. SCARABÆUS *Eremita*.

El. *long.* lin. 9. *lat.* lin. 3½.

ROESEL. Scarab. Terr. Cl. I. Tab. 3. fig. 6.

Diagn. Caput concavum: tuberculo utrinque marginali. Thorax rotundatus: ſulco longitudinali medio.

Reperi in cavo trunco *Pyri communis* non ſemel; ROESEL. in ramo *Salicis.*

Statura *S. Naſicornis.* Totus niger. Caput ſubquadratum; margine laterali elatiore & tuberculo terminato. Thorax lin. 4. longus, 5. fere latus, dorſo plicis binis antice auctioribus. Elytra ſcabriuſcula. Abdomen lin. 8. craſſum. Femora poſtica lin. 2. lata.

16. SCARABÆUS *Melolontha*.

El. *long.* lin. fere 7. *lat.* 2½.

LINN. Syſt. Nat. p. 351.
Faun. Svec. 2. 392.
ROESEL. Scarab. Terr. Cl. I. Tab. 1. fig. 7. 9. 10. 11. 12.
SPECTACLE *de la* NATURE. Tom. I. page 8. fig. 2. 8. 11.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 19.
Carniol. Keber.

Diagn. Capitulum antenn. lamellis 6. 7. Abdom. acumine deflexo, obtuſo; inciſuris margine laterali macula alba ſubconica notatis.

Habitat in agris & hortis.

Clypeus capitis ſubtetragonus, antice marginatus: margine pedibus concolore. Elytra ſubpellucida, lineis 4. parallelis elevatis, coloris ad ferrugineum tendentis. Variat tibiis anticis etiam bidentatis. Majo M. prodit, veſperi circumvolat, folia devaſtat, a *Veſpertilione Murino* colligitur & devoratur, autumnales morbos copioſior ſæpe prænuntiat, oleum infuſum cimicifugum reddit.

17. Scarabæus *Auratus.*

El. *long.* lin. 7. *lat.* lin. 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 352.
Faun. Svec. 2 400.
Roesel. Scarab. Terr. Cl. I. Tab. 2. fig. 8.
Frisch. Inſ 12. Tab. 1. fig 2. p. 25.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 19. conjungens cum ſequente

Diagn. Thorax foveolarum paribus duobus. Ani regio punctis binis prominentibus.

Anthophyllus, congregatur in Quercubus, quo loco, e læſo cortice humor exſudat. Coloris ænei potius quam aurati. Thoracis ea parte, quæ ſcutello adjacet, rotunde excavata.

Variat. 1. Foveolis thoracicis albis.
2. Elytris immaculatis, nec non punctis lineolisque albis, transverſis, irregularibus, variegatis.
3. Pectore vireſcente.
4. Segmentis abdominis 3, 4, 5. uno pari punctorum alborum.

18. Scarabæus *Nobilis.*

El. *long.* lin. 6. *lat.* lin. 2½.

Linn. Syſt. Nat p. 353.
Faun. Svec. 2. 401.
Roesel. Scarab. Terr. Cl. I. Tab. 2. fig. 4. 5.

Diagn. Color viridi-auratus. Caput leniter emarginatum Ani regio punctis binis albis remotis.

In floribus *Cymoſis, Umbellatis*, aliisque copioſus.

Sub clypeo capitis lamina cordiformis, margine villoſo. Maxillæ obtuſæ edentatæ. Penis ut in *S. Melolontha.* Thorax abſque foveis, nec margine poſtico prope ſcutellum ita excavatus ut in priore.

19. Scarabæus *Oblongus.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* 2.

Diagn. Facies *Tenebrion. Molitoris.* Caput antice rotundatum. Elytrum ſtriis (9).

Circa oppida & pagos reperitur, non frequens.

Ca-

Capitis clypeus prope baſim dente utrinque inſtructus, antice rotundatus integer. Thorax capiti concolor, nigricans, levis, lin. $1\frac{3}{4}$. longus, $2\frac{1}{4}$. fere latus. Elytra fuſco-caſtanea, ſtriis novem non punctatis exarata.

20. SCARABÆUS *Fimetarius.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* $1\frac{1}{4}$.

LINN. Syſt. Nat. p. 18.
Faun. Svec. 2. 385.
ROESEL. Scarab. Terr. Cl. I. Tab. A. fig. 3.
FRISCH. Inſ 4. Tab. 19. fig. 3. 4. p. 35. 36.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 18.

Diagn. Caput tuberculis tribus. Elytra ſtriata. Corpus nigrum.

Habitat in ſtercore *Bovis*, *Equi*, *Porci.*

Caput truncatum. Thorax punctulatus, pedesque nigri; thoracis tamen margo lateralis ſequitur colorem elytri, quod ſtriis longitudinalibus octonis punctatis exaratum eſt, & modo *rubrum*, quod indicant adducta Synonima, antennis quoque rubris, thorace antice in medio foveolam gerente; in cadavere ſicco, color ruber, in rufo-fulvum tranſit; modo vero *griſeum*, & *ſubfuſcum*, quæ ſpecimina minora ſunt, & fovea thoracis antica deſtituta.

21. SCARABÆUS *Alpinus.*

El. *long.* lin. $1\frac{2}{3}$. *lat.* 1.

Diagn. Capitulum antenn. bipartitum.

Reperi. A. 1761. 20. Julii, in alpibus *Vochinenſibus*, *Carniolia* ſuper.

Statura *Coccinellæ* 10. punctatæ. Color ubique nigricans, ſed elytra prope apicem fulveſcentia, ſtriata: ſtriis 10. punctatis. Thorax punctatus. Caput tuberculorum trium rudimentis exaſperatum, ut ideo, a priore vere diverſum eſſe, dubitem.

(****) *Tibiis anticis quadridentatis.*

22. Scarabæus *Lunaris.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 346.
Faun. Svec. 2. 379.
Roesel. Scarab. Terr. Cl. I. Tab. 1. B. fig. 2.
Frisch. Inſ. 4. Tab. 7. Fig. 1. p. 16.
Petiver. Gazoph. Dec. I. Tab. 83. fig. 4. Rhinoceros.
P. Poda. Muſ. Græc. pag. 18. Tab. 1. fig. 1. bifidus.

Diagn. Caput planum, antice rotundatum, crenulatum, bifidum: vertice cornuto. Elytra ſtriata.

Habitat in ſtercore *Equi, Bovis.*

Niger totus, verticicornis, latitudine capitis fere dupla ad longitudinem; præterea huic thorax latior eſt, quam utrumque elytrum ſimul junctum. Hujus ſpeciei ſpecimina quatuor habeo, quorum duo majora, alia vero minora ſunt; majora minus lucida variant. 1. Thorace ad utrumque latus hemiſphærico ſcalpello veluti exciſo, ita, ut dens unus utrinque in margine thoracis ſit, dum medium ſegmentum craſſius & ſulco medio in duas partes æquales diviſum eſt; in hac varietate thorax antice truncatus apparet. 2. Thorace rotundiore, antice non ita retuſo, & absque dentibus, huic quoque cornu bifidum, & triplo brevius. Minora ſpecimina lucidiora ſunt, ac unum quidem thorace ſuperne depreſſo & complanato, cornu conico integro vix lineam longo; alterum dorſo thoracis nullibi depreſſo, bifidum, ſed æque longum, cornu gerit.

23. Scarabæus *Rugoſus.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* lin 1¼.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 20.

Diagn. Caput rugis duabus transverſis.

Habitat ruri in acervis fimi.

Totus niger, ſubtus lucidior. Capite antice rotundato. Thorace lævi punctulato. Elytris punctatis, ſtriisque 7. punctatis.

24.

24. Scarabæus *Longipes*.

El. *long.* lin. 2. *lat.* $1\frac{1}{4}$. ad baſim.

Diagn. Pedes poſtici corpore longiores. Ani regio marginata.

Habitus prioris, ut & color; ſed diverſus, capite emarginato, abſque rugis, eodemque una cum thorace punctis eminentibus ſcabro, elytris ſubſtriatis, ſcabriuſculis.

25. Scarabæus *Illyricus*.

El. *long.* lin. 2. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Diagn Nucha profert duo cornua ſetacea, incurva, deflexa.

Unicum cepi in via, inter fluvium *Idriam* & montem.

Caput declive, planiuſculum, rotundatum, integrum, apice leniter acuminatum & adſcendens. Thorax punctatus, lævis, tuberculum obſoletum habet in margine laterali. Elytra fuſco-caſtanea, punctata, obiter ſtriata. Alæ ſubhyalinæ. An mas *S. Rugoſi?*

(*****) *Tibiis anticis multidentatis.*

26. Scarabæus *Stercorarius.*

El. *long.* lin. 6. *lat.* $3\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 349.
Faun. Svec. 2. 388.
Frisch. Inſ. 4. Tab. 6. Fig. 3. p. 13-15.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 18.

Diagn. Caput pentagonum: grano medio notatum. Elytra ſtriata.

Habitat in ſtercore *Bovis, Equi, Hominis*, vix excreto a longe advolans.

Var. 1. Elytris fuſco-caſtaneis. Corpore ſubtus viridi-cæruleo.
2. Colore ſuperne nigro, ſubtus violaceo.
3. Colore ſuperne viridi, ſubtus viridi-aurato.

27. Scarabæus *Vernalis*.

El. *long.* lin. $5\frac{1}{2}$. *lat.* $3\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 349.
Faun Svec. 2. 389. non idem cum noſtro. P.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 19.

Diagn. Caput pentagonum: plica media longitudinali. Elytra lævia.

Supra virens, nitens, ſubtus violaceus. Femoribus vireſcentibus.

Variat. Elytris lin. 4. longis, 2½. latis.

28. Scarabæus *Variegatus.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Diagn. Albo nigroque varius eſt. Ani regio cinerea punctis binis atris.

Collegi 14. Maji in umbella *Chærophylli ſylv.*

Caput nigrum. Anten. nigræ: capitulo trifido. Caput poſtice denticulo marginali utrinque, occipite transverſa villorum linea barbato. Thorax albidus, villoſulus; in medio plicis duabus, binisque punctis atris in latere quolibet. Elytrum nigrum, ſtriatum, planiuſculum, abdomine brevius, baſi & in medio punctis albis contiguis variegatum. Abdom. cinereum. Punctum album trigonum ſub quolibet elytro inter pedes poſticos mediosque. Pedes nigri. Tibiæ anticæ 5-dentatæ. Femora poſtica faſciis duabus albis. Accedit *Hemiptero* Linn. ſed idem non eſt.

29. Scarabæus *Minimus.*

El. *long.* lin. 1¼. *lat.* lin. ¾.

Diagn. Lucidus totus & levis Elytris ſubſtriatis, caſtaneis.

In foliis plantarum.

Omnium minimus, *Coccinellæ Saltatoriæ* L. facie. Anten. clava trifida. Caput, thorax punctatus, & corpus nigri coloris. Elytra ſubpunctata, obſolete ſtriata.

HISTER.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 358.

Antennæ, articulo unico, indiviſo, craſſiore clavatæ.

30. Hister *Unicolor.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* 1.

Linn. l. c. Faun. Svec. 2. 440.

Diagn.

Diagn. Niger, lucidus, glaber. Elytro ſtriis 5 exterioribus obſoletis. Tibiis anticis multidentatis.

Circa hortos.

Neglectis antennis a *Scarabæo* nemo diſtinguet. Caput deflexum, ſemi-retractum, obtuſum. Thorax marginatus, punctatus. Elytra abbreviata. Abdom. punctatum. Anten. articuli capitulum inter & baſim fulvi. *Acaro Coleopt.* infeſtatur. Elytra ad apicem punctata, ſupra ſtriis quinque curvis, punctatis.

31. Hister *Fimetarius.*

El. *long.* lin. 1. *lat.* ½.

Diagn. Niger. Elytris apice rufis. Tibiis ſpinoſis.

In fimo vaccino.

Ovatus, nitens. Elytrum ſtriis 8. tenuibus exaratum.

32. Hister *Apterus.*

El. *long.* lin. fere 1. *lat.* ½.

Diagn. Fulvus eſt, & alis deſtitutus.

Vidi in ſcypho *Pezizæ campan*, villoſæ 28. Septembris.

Pediculo humano minor, oblongus, fulvus. Antenn. clava acuta, villoſa. Caput lateraliter utrinque corpus cornu ſimile obtuſum, antennas clava longius, profert. Oculi nigri. Elytra dimidiata. Pedes glabri, craſſiuſculi. Curſus celer.

DERMESTES.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 354.

Antennæ tribus articulis craſſioribus clavatæ.

33. Dermestes *Veſpillo.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 359. Silpha. 2.
Faun. Svec. 2. 444.
Roesel. Suppl. Tom. 4. Tab. 1. fig. 1. 2. 3. 4.
Frisch. Inſ. 12. Tab. 2. fig. 1. p. 28.

P. Poda. Muſ. Græc p. 23. Tab. 1. fig. 2. Silpha 4.

Diagn. Olet ut moſchus, acaris infeſtatur, elytra truncata corpore breviora gerit.

Volat æſtate circa hortos, domosque.

Totus niger. Anten. clava articulis ſubquaternis, primo nigro, cæteris elytri colore. Thorax obtuſe tetragonus: margine aucto, lin. 2½. longus & æque latus Elytra fulva baſi, apice, faſciaque media dentata, nigri coloris, apice adeo truncata, ut tria fere ultima abdominis ſegmenta nuda relinquat. Ad baſim femorum poſticorum, corpuſculum acuminatum. Ambigit *Dermeſtem* inter & *Silpham*.

34. Dermestes *Lardarius.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 354.
*Faun Svec. 2. 408.
Frisch. Inſ. 5. p. 25.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 22.

Diagn. Niger. Elytris baſi fuſco-cinereis aut rufeſcentibus, ibidemque punctis tribus atris.

In lardo, carnibus fumo & ſale conditis, pane ſaccharato, inſectis avibusque aſſervatis neque ſatis cuſtoditis.

Maxillæ edentulæ. Thorax punctis 3. ſubcinereis. Scutello obtuſo. Elytra ſubtus ſtriata, abdomine longiora. Abdom. inciſuræ 3. 4. ſubtus in medio foveolam habent, e cujus centro faſciculus pilorum rufforum conniventium oritur. Penis bifidus, ſubteres, convergens: ſegmentis pilo terminatis.

35. Dermestes *Murinus.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1¼.

Linn. Syſt. Nat. p. 355.

Diagn. Statura prioris. Habitatio in cadaveribus. Caput pilis fulvis pubeſcens.

Elytra ſubtus lucida ſtriata. Abdom. ſubtus a pedibus mediis ad anum usque albicans: margine maculis punctisque nigris variegato. Anus niger.

36. DERMESTES *Scaraboides*,

El. *long.* lin. 1⅓. *lat.* ⅔.

LINN. Syſt. Nat. p. 356.

Diagn. Fuſcus eſt, & in quolibet elytro punctum ſubfulvum habet.

In domibus, & farciminibus allio & pipere conditis, (*cervelladi* Ital.) male compoſitis. Punctum elytri colore pedum.

37. DERMESTES *Pellio.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* ¾.

LINN. Syſt. Nat. p. 355.
Faun. Svec. 2. 411.
FRISCH. Inſ. 5. Tab. 8. fig. 6.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 22.

Diagn. Puncta tria alba in thorace; unum in quolibet elytro, prope marginem internum.

In pellibus & veſtimentis, quæ inſtrata papyri folia præſervant. FRISCH. l. c. p. 33.

Anten. clava nigra: margine albo, ſtipite ruſeſcente. Caput & thorax nigricant. Elytra nunc fuſco-caſtanea, nunc fuſca, nunc denique nigra.

38 DERMESTES *Carbonarius.*

El. *long.* lin. ¾. *lat.* ⅓.

Diagn. Totus niger. Clavæ articulus quilibet pilum e latere proferens.

In corollis *Atropæ* 2. *Fl. Carn.* 1.

Thorax & elytra marginata. *Pſylio* LINN. proximus eſt, ſed elytri clava priorum.

39. DERMESTES *Roſæ.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* 1.

Diagn. Ovatus, ferrugineus, villoſulus. Oculis nigris.

Copioſum vidi in floribus *Roſarum ſylv. Hellebori roſei, Scabioſæ rubræ, Laſerpitii latifolii.*

Anten. clava nigra. Thorax cum elytris marginatus & proſtratis villis pubeſcens. Elytra ad lentem ſtriis transverſis exarata, margine ſaturatiore.

40. Dermestes *Sambucci.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* ½.

Diagn. Corpus oblongum. Color ferrugineus. Occiput tuberculoſum.

In floribus *Sambucci nigræ.*

Color prioris. Caput minus. Oculi fuſci. Occiput tuberculis binis, ſubfuſcis, modice prominentibus. Conf. Derm. 432. *Faun. Svec. 2.*

41. Dermestes *Variegatus.*

El. *long.* lin. 1⅓. *lat.* ¾.

Diagn. Nigro-albo-rubroque varius.

In floribus *Chærophylli ſilv.* & *Dauci carot;* ſed & in cubilibus circumvolat ut *Pellio.*

Caput nigrum, deflexum, punctulis rubellis lateralibus. Antenn. clava nigra ovata, ſtipite, ſi luci oppoſitus fuerit, rubello. Thorax in medio niger linea dorſali longitudinali punctis albis facta, inter hanc & latus punctum rubellum utrinque, margo poſticus rubellus, ſed anguli ibidem albidi. Elytrum nigrum; margine, præſertim interiore, rubro; faſciis 2. dimidiatis albis; baſi punctis pluribus, apice unico, coloris albi. Alæ hyalinæ puncto ad coſtam ferrugineo. Corpus ſupra nigrum, ſubtus pallide roſeum, nigroque varium. Femora eodem modo variegata. Variat defectu rubri coloris.

42. Dermestes *Cellaris,*

El. *long.* lin. ⅘. *lat.* ⅕.

Diagn. Rufus. Oculis fuſcis. Thorace dentato.

In cellis vinariis ad cylindros cavos, unde vinum educitur, non rarus.

Linea paulo longior eſt, dimidiam craſſus, villoſulus, rufo-ferrugineus. Oculis fuſcis. Anten. articulis 10. lateraliter acuminatis & pilo ibidem terminatis. Thorace marginato; angulis acutis parvoque dente in medio marginis lateralis. Elytris lucidioribus, ad lentem ſubrugoſis, minime ſtriatis. Alis brevibus debilibus.

43. Dermestes *Agaricinus.*

El. lin. ⅓. *long.* ⅓. *lat.* ⅕.

Linn. Syſt. Nat. p. 360. Silpha.

Diagn.

Diagn. Niger eſt, gregarius, in fungis habitans; elytris brevibus; pedibus rufis.

In *Agaricis* putreſcentibus.

Lineam vix longus, nitens, agilis, autumnalis, acaris propriis adfligitur. Thoracem & elytra marginata gerit; caput vero oculosque prominulos; ex antennis tamen huc retuli.

44. DERMESTES *Boleti.*

El. *long.* lin. $\frac{2}{3}$. *lat.* $\frac{1}{3}$.

Diagn. Niger, villoſulus, punctulatus, oblongus; maxillis exſertis, incurvis: apice bidentatis.

Habitat in *Boletis* & *Agaricis* ſeſſilibus perennibus, cuniculos ibidem fodiens, & ſcobi immixtus latens.

Oculi prominuli pluribus veluti tuberculis facti. Palporum articulus ultimus craſſior & longior. Pedes, antennæ, & palpi ruſeſcentes.

Varietatem fuſcam, elytris lineam longis, *Labaco* miſit R. P. WULFEN. S. J.

45. DERMESTES *Braſſicæ.*

El. *long.* lin. $\frac{2}{3}$. *lat* $\frac{1}{3}$.

Diagn. Atro-cæruleus, lucidus, punctatus; pedibus ſubrufis.

Copioſus in floribus *Braſſiacæ oleraceæ*, & congeneribus.

Thorax & elytra marginata, punctata: punctis exiguum villum proferentibus.

46. DERMESTES *Ciliatus.*

El. *long.* lin. $\frac{2}{3}$, *lat.* $\frac{1}{3}$.

Diagn. Fuſcus; thorace baſi deflexo; oculis unico pilo ciliatis.

In floribus *Laſerpitii ſiler.* 2. Junii.

Linea paulo longior. Caput inclinatum. Elytrum ſtriis 10.

47. DERMESTES *Lepturoides.*

El. *long.* lin. $\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{1}{4}$.

Diagn. Elytra truncata. Tibiæ poſticæ ciliatæ.

Vidi in flore *Hellebori roſei.* 14. April. & in floribus *Pulmonariæ officin.*

Vix lineam longus, nigricans; thorace & elytris marginatis ſubvillofis; antennis ferrugineis. In flore *Pulmonariæ* fuit lin. $1\frac{1}{4}$. longus.

48. Dermestes *Lycoperdi.*

El. *long.* lin. $\frac{2}{3}$. *lat.* $\frac{1}{3}$.

Diagn. Villoſus; thorace fuſco; elytris caſtaneis.

Habitat in carne *Lycoperdi* 1. Var. *f. Fl. Carn.*

Larva alba, piloſa. Inſectum linea vix longius; capite intra thoracem modice retractili; elytris marginatis, ſubſtriatis.

49. Dermestes *Calthæ.*

El. *long.* lin. $\frac{2}{3}$. *lat.* $\frac{1}{3}$.

Diagn. Fuſcus, punctatus, niteus; abdominis apice pedibusque ferrugineis.

In flor. *Calthæ paluſtris* 13. April. non rarus.

Lineam longus, ovatus. Clavæ anten. articuli baſi obſcuriores, & ferruginei. Thorax cum elytris marginatus, punctatus. Pedes breves, craſſiuſculi.

50. Dermestes *Cæruleſcens.*

El. *long.* lin. $\frac{2}{3}$. *lat.* $\frac{1}{3}$.

Diagn. Atro-cæruleus; throrace lævi; pedibus rufis.

Captus 17. April. in flore *Hyacinthi.*

Lineam longus, ſubovatus, nitens, thorace glabro.

51. Dermestes *Violaceus.*

Fl. *long.* lin. $1\frac{1}{4}$. *lat.* $\frac{2}{3}$.

An idem, qui Linn. Syſt. Nat. p. 356?

Diagn. Violaceus; thorace elytrisque villoſis.

In floribus & plantis.

Caput deflexum. Palpi articulus ultimus major, ſubtriqueter. Anten. baſi atro-violaceæ, villoſulæ: articulis inter baſim & clavulam ruſeſcentibus. Thorax cum elytris villoſus: margine laterali ſubtrilobo: lobo medio majore. Corpus totum atro-cæruleum, ſed manus ſub-rufæ,

52. Dermestes *Plicatus.*

El. *long.* lin. 1. *lat.* ½.

Diagn. Fuſcus; elytris obiter ſtriatis; plica frontali transverſa bifida inter antennas collocata.

Habitat in hortis. Julio M.

Antennarum articuli tres ultimi pedesque rufi.

SILPHA.

Antennæ extrorſum craſſiores. Thorax clypeatus. Fulcrum acuminatum ad baſim femoris poſtici.

53. Silpha *Rugoſa.*

El. *long.* lin. 6½. *lat.* 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 361.

Faun. Svec. 2. 455. ubi non videtur diſtinguere a mea *Scabra.*

Diagn. Thorax leniter emarginatus. Elytrum lin. 3. elevatis: exteriore breviore.

In hortis & cadaveribus.

Tota nigra. Thoracis cum elytris punctati longitudo, elytri latitudini æqualis, aut fere æqualis, latitudo vero quaſi dupla.

Variat 1. magnitudine elytri dicta. Anten. articulis (4) ultimis evidenter craſſioribus.

2. Elytro lin. 4½. longo. Anten. articulis inſenſibiliter extrorſum craſſioribus.

54. Silpha *Thoracica.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 360.

Faun. Svec. 2. 452.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 23.

Diagn. Thorax ferrugineus. Elytrum ruga una infracta, cui fracturæ inſeritur linea media brevior, dum tertia a baſi ad apicem elytri decurrit fere recta.

In hortis.

Antennæ nigræ, (4) articulis clavatæ. Occiput ferrugineis pilis pubeſcens. Thorax tenuiſſimo, ferrugineo, ſericeo, proſtrato, villo adſperſus: angulis

anticis elatioribus, in medio ibidem recta excavatus. Elytrum rugulis transverſis criſpatum, nec punctatum; baſi ferrugineo colore tinctum. Alæ apice rubellæ.

55. Silpha *Littoralis.*

El. *long.* lin. 4½. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 360.
Faun. Svec. 2. 450.
Frisch. Inſ. 6. Tab. 5. fig. 1.

Diagn. Nigra; anten. clava ferruginea; thorace orbiculato; elytris abdomine brevioribus.

In cadaveribus, circa ripas fluviorum.

Anten. articuli exteriores ſenſim craſſiores, nigri: latere acuminati; ſed tres ultimi ferruginei: latere rotundati. Thorax nitens, lævis, ad lentem punctatus, antice leniter excavatus. Elytrum punctatum, lin. 3. elevatis integris. Tuberculum inter duas elytri lineas poſtice collocatum.

56. Silpha *Atrata.*

El. *long.* lin. 4½. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 360.
Faun. Svec. 2. 451.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 23.

Diagn. Thorax antice rotundatus. Elytra rugulosa & lin. 3. elevatis rectis, ad apicem uſque non extenſis.

Paſſim occurrit.

Tota nigra eſt. Antennis articulis extrorſum ſenſim dilatatis: tribus ultimis minus villoſis. Thorax punctis confluentibus cicatrizatus. Elytra rugulis puncta referentibus exaſperata.

57. Silpha *Obſcura.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 361.
Faun. Svec. 2. 45.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 23.

Diagn. Thorax antice ſubtruncatus. Elytra punctata: ſtriis 3. obſcuris elevatis: media longiore.

Nigra eſt, ſed abſque nitore. Anten. articulus ultimus ovatus, cæteri truncati. Thorax punctis crebrioribus minoribusque.

Va-

Variat elytro ſtriis 2. utraque baſi & apice deleta, ſtatura minore; an hæc *Opaca* Linn. ?

58. Silpha *Sabuloſa.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 561.

Faun. Suec. 2. 456.

Diagn. Thorax antice rotunde excavatus. Elytrum ſtriis 3. elevatis: lateralibus ad apicem elytri conjunctis, omnibus utrinque tuberculoſis.

In ſabuloſis, incultis.

Tota nigra. Anten. articulus ultimus obtuſus. Thorax punctulis eminentibus ſcaber. Elytrum punctulis minoribus ſparſis, & majoribus juxta latera ſtriarum poſitis, exaſperatum.

59. Silpha *Scabra.*

El. *long.* lin. 3½. lat. 1½.

Diagn. Thorax ſubcinereus, tuberculis atris ſeriatis ſcaber. El. ſtriis 3. elevatis ramoſis.

Sæpe vidi in cadaveribus.

Anten. articulis tribus evidenter clavatæ. Frons pilis rufis pubeſcens. Thorax ſubvilloſus, antice (minus tamen ac in priore) excavatus.

60. Silpha *Ferruginea.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* ½.

Linn. Syſt. Nat. p. 561.

Faun. Svec. 2. 458.

Diagn. Tota ferruginea; thorace in medio elytriſque nigro variegatis; ſtriis 6. obſoletis in quolibet elytro.

In herbidis ſylveſtribus.

Thorax antice excavatus. Elytrorum ſtriæ villoſæ.

LARIA.

Antennæ extrorſum craſſiores. Thorax pulvinatus. Fulcrum femorale nullum, aut obſcurum.

61. Laria *Hyoſeris.*

El. *long.* lin. ½. lat. ½.

 Diagn.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Diagn. Nigra; tibiis ferrugineis.
In floribus *Lapſanæ fœtidæ Fl. Carn.* quæ *Hyoſer.* LINN.
Lineam longa. Palpi ſub-ferruginei. Thorax angulis poſticis acutis. Elytra marginata.
Alæ debiles. Pedes craſſiuſculi, non ſaltatorii.

62. LARIA *Dulcamaræ.*

El. *long.* lin. $\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{1}{4}$.

Diagn. Thorax cum elytris punctatis, caſtanei fere coloris.
In floribus *Solani dulcamaræ*, Aug. M.
Minor priore.

63. LARIA *Salicis.*

El. *long.* lin. $1\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{3}{4}$.

Diagn. Caput deflexum. Thorax elytris concolor; albo puncto in medio marginis poſtici. Elytra ſtriata, fuſco griſea, abdomine breviora; punctis (5) poſticis albis contiguis ad inſtar faſciæ transverſæ.
Habitat in *Salice viminali*, Majo M.
Caput inclinatum, fuſceſcens. Anten. baſis & articuli primi tres rufi, alii nigri. Figura thoracis quæ *Scarabæorum;* denticulo laterali obſoleto. Elytra punctatim ſtriata, uno puncto albo antico ad marginem internum. Abdominis ſegmenta ſubtus puncto albo utrinque notata. Anus albus; punctis nigris duobus. Femora poſtica dente inſtructa.

64. LARIA *Sileris.*

El. *long.* lin. 1. lat. $\frac{1}{2}$.

Diagn. Fuſca; elytris abbreviatis, immaculatis, ſtriatis.
Habitat in floribus *Laſerpitii ſileris.*
Priore triplo fere minor, tota fuſca & nigricans, ſine punctis albis & absque dente femorali.

CUR-

CURCULIO.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 377.

Proboſcis antennifera. Thorax cotyleformis. Manus 3 articulis. Corpus tardigradum, cadendo contractis artubus ab hoſte fugiens.

* *Recticornes.*

(†) craſſo & brevi roſtro (x)

65 Curculio *Piger.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* 2.

Diagn. Roſtrum ſtriis elevatis ſenis : lateralibus apice conjunctis. Femora antica clavata.

In *Caricibus* & *Cirſio* 5. 6. *Acanthoide Fl. Carniol.*

Fuſcus eſt, & ſuperne ubique punctis elevatis ſcaber, ſubtus villoſus. Elytra difficulter ſeparabilia & fere coalita. Valleculæ inter ſtrias roſtri rufo villo pubeſcentes, media vero omnium minus. Oculi margine albo. Femora omnia mutica (xx). Nunquam volat.

66. Curculio *Albinus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 385.
Faun. Svec. 2. 632.

Diagn. Anten. corporis longitudine. Thorax tuberculis tribus.

In hortis & pomariis.

Supra murinus eſt, ſubtus albicans. Anten. lin. 4½. longæ, nigræ: articulorum apicibus albis, ſeptimo infra medium albo. Proboſcis & caput albi coloris. Oculi nigri. Elytrum apice, punctisque tribus albis, tuberculis 4, in ſeriem, margini interno parallelam, ordinatis: antico remotiore.

(x) Proboſcis *craſſa* nobis dicitur illa, quæ femoribus craſſior; *brevis* vero, quæ thoracis longitudinem non æquat (menſura ducta ab oculis excluſive ad apicem uſque), & econtra.

(xx) In omnibus craſſi - & breviroſtribus noſtris.

67. Curculio *Reſinoſus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 2.

Diagn. Niger, ſcaber; abdomine ſubtus elytrisque apice albidis.

Habitat in arboribus *reſiniferis*, *Abiete*, *Pino*, *Picea.*

Antennæ nigræ. Thorax duas fere lineas longus, rotundatus; dorſo planiuſculo; lateribus obtuſis. Elytra ſcabra, ut & Thorax, ſed impreſſis punctis lineata; apicibus deflexis, albis. Pedes nigri. 2. Julii captus circa *Idriam*, in ſylvis.

68. Curculio *Iners.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* 1½.

Diagn. Roſtrum linea unica elevata. Elytrum ſtriis 10 punctatis.

Captus in via publica, 5. Maji.

Caput & thorax fuſco-griſei coloris. Striga fuſca in thorace, ab oculis ad baſim uſque utrinque decurrens. Elytra coadunata, obſcuriora. Corpus ſubtus villoſum. Pedes poſtici remotiores. Femora antica craſſiora.

69. Curculio *Piceus.*

El. *long.* —. *lat.* —.

Diagn. Thorax & elytra picea. Abdomen nigrum: ſubtus albidum. Femora clavata.

Iconem & deſcriptionem miſit R. P. Wulfen. S. J.

Parvus eſt, oblongus: ſubtus fuſcus, ſed albido polline adſperſus. Thorax elytris concolor, margine obſcure flaveſcente, baſi tuberculo oblongo luteſcente. Elytra lineata. Alæ hyalinæ. Femora glabra. Proboſcis medio obſolete ſulcata, pedesque ad microſcopium villoſi.

70. Curculio *Erraticus.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* ½.

Diagn. Roſtrum apice concavum. Elytrum villoſulum, ſtriatum: ſtria tertia tuberculata.

In aridis, incultis, ruri degit.

Supra fuſco-ferrugineus, ſubtus albido proſtrato villo caneſcens. Tibiæ elytro concolores.

71.

71. CURCULIO *Collaris*.

El. *long*. lin. 2½. *lat*. 1.

LINN. *Attelabus Coryli*.

Faun. Svec. 2. 638.

Diagn. Caput ovatum lucidum, nigrum collo inſtructum.

In *Corylo* ſæpe vidi.

Thorax ruber, nitens, lævis: puncto dorſali nigro. Elytrum rubrum: ſtriis longitudinalibus punctatis decem. Femora baſi & apice nigra, alibi rubra, craſſa. Tibiæ, abdomen, pectus, roſtrum antennæ, nigra.

72. CURCULIO *Nitens*.

El. *long*. lin. 1⅔. *lat*. 1.

Diagn. Niger; thorace & elytris rubris.

Facies prioris, ſed diverſus anten. articulis tribus primis rubris; capite nec ovato nec collo impoſito; thorace ſine puncto nigro; elytro ſtriis 8; femoribus nigris; domicilio incerto.

73. CURCULIO *Fagi*.

El. *long*. lin. 1½. *lat*. ⅔.

LINN. Syſt. Nat. p. 381.

Diagn. Totus niger; femoribus poſticis craſſioribus.

In *Corylo* captus, 30. April.

Totus villo brevi pubeſcens. Caput gerit roſtro nihilo brevius. Elytra ſtriatim punctata. Femora poſtica elliptica. Alæ fuſceſcentes. Foveola ad marginem internum elytri, medio loco poſita.

Maris femora craſſiora ſunt; nec pallidiora; ſed neque dicendus *Longiroſtris*, noſter ſaltem.

74. CURCULIO *Populi*.

El. *long*. lin. 1½. *lat*. ⅔.

Diagn. Color, facies, & omnia prioris, ſed femora æqualia.

In *Populo alba* captus 10. Maji.

Roſtrum antice magis dilatatum, quam in priore. Fovea elytri nulla.

(††) craſſo & longo roſtro.

75. CURCULIO *Pulverulentus*.

El. *long*. lin. 5. *lat*. fere 2.

Diagn. Thorax punctis prominulis ſcaber. Elytra transverſim rugoſa.

Cum flores continuo frequentet, ita polline antherarum ubique adſperſus occurrit.

Fuſcus totus, & Gentis ſuæ cunctator. Roſtro tereti. Anten. ruſeſcentibus. Elytris ſubcoadunatis, ſubtus tenui proſtrato, ſubruſo villo pubeſcens. Femoribus muticis.

76. Curculio *Centaureæ.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Diagn. Fuſcus totus ovatus, tenui, ſubruſo villo adſperſus; roſtro deflexo, marginato: linea ad apicem elevata media.

Duos legi in floribus *Centaur. ſcabioſæ.*

Oculi nigri. Elytrum ſtriis decem. Femora mutica. Vix dici poteſt, an roſtrum thorace longius ſit, aut eidem æquale.

77. Curculio *Auratus.*

El *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Diagn. Totus viridi-auratus; antennis roſtrique apice dilatato nigris.

In plantis variis.

A *Cupreo* diverſus eſt, cum neque obſcure æneus, neque ſubtus obſcurior ſit, ſed totus homogeneo aurato-viridi colore nitens, & villoſus. Caput, thorax, & elytra congeſtis prominentibus punctis ſcabra. Oculi nigri. Roſtrum baſi ſulco laterali antenna terminato nigra. Femora mutica.

78. Curculio *Violaceus.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 378.
Faun. Svec. 2. 579.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 28.

Diagn. Totus ex cæruleo-violaceus; antennis nigris.

In *agro Vipacenſi*, & alibi in vitibus.

Statura prioris. Proboſcis thorace certe modice longior, ſulco laterali & apice dilatato ut in *Aurato*, ſeu *Cupreo Cl* P. Poda. Villoſus ſuperne non eſt, totus tamen ibidem punctatus: punctis prominulis, ad elytra quaſi in lineas diſpoſitis. Femora

mora mutica. In hac & priore ſpecie ſolus apex roſtri femoribus omnibus craſſior eſt, non vero baſis.

(†††) tenui et longo roſtro.

(α) femoribus dentatis.

79. Curculio *Carbonarius.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 382.

Faun. Svec. 2. 614. deſcriptio non conſentit.

Diagn. Totus niger & punctatus; elytris apice albicantibus; roſtro deflexo.

In *Carniolia ſuper.* non frequens.

Roſtrum, caput & thorax, punctis prominulis ſcabra. Thorax dorſalibus transverſis tribus papillarum faſciculis, tubercula referentibus. Elytra punctatim ſtriata: punctis profunde inſculptis. Femora omnia macula pallida, binisque dentibus.

80. Curculio *Tuberculoſus.*

El. *long.* lin. 1⅔. *lat.* 1.

Diagn. Niger; thorace lateribus albidis; elytro ſeriebus 4 tuberculorum.

Reperi in *Scrophularia nodoſa.*

Globoſus eſt, roſtro inflexo, ut in *Hemipteris.* Femora poſtica unidentata. Pectus ſub elytro maculis 2 lateralibus, marginis eiuſdem concoloribus.

81. Curculio *Carioſus.*

El. *long.* lin. 1⅓. *lat.* ⅓.

Diagn. oblongus; roſtro porrecto, tereti, nitidulo; elytris ſtriatis; femoribus anticis craſſioribus & majore dente notatis.

In truncis carioſis *Pyri communis.*

Fuſco-rufeſcens. Elytrum ſtriis 10 punctatis. Pedes fulvo-ferruginei.

82. Curculio *Syngeneſiæ.*

El. *long.* lin. 1.½. *lat.* ⅓.

Diagn. Cervinus, breviſſimis villis aſperſus; roſtro nigro: apice nitido.

In Floribus *ſyngenes.*

Ely-

Elytra ſtriata. Corpus ſubtus pallidius. Femora exiguo, obtuſiuſculo dente notata.

83. Curculio *Urticæ.*

El. *long.* lin. 1. *lat.* lin. ½.

An *Curculio Ovatus* Linn. ?

Diagn. Roſtrum incurvum. Elytra nigra: puncto lineaque lunata ad apicem albis.

Inveni copula junctos in *Urtica dioica.*

Totus fuſcus, ovatus, niger. Elytra lucido exiguo villo adſperſa, ſtriata; puncto albo in medio lineaque alba arcuata ad apicem poſita. Thoracis latera albo-argentea. Pedes nigri; femoribus omnibus unidentatis; tibiis, manibusque rufis.

(β) femoribus muticis.

84. Curculio *Ceraſi.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* ½.

Linn. Syſt. Nat. p. 378.
Faun. Svec. 2. 583.

Diagn. totus niger & opacus; thorace punctis ſcabro; elytris ſtriatis ſcabriuſculis.

In *Pruno ceraſo* ſæpe vidi.

Roſtrum deflexum. Elytrum ſtriis 10. Corpus ſubtus punctatum.

85. Curculio *Icoſandriæ.*

El. *long.* lin. ¾. *lat.* ⅓.

Diagn. Color atro-cæruleus. Roſtrum porrectum. Elytrum ſtriis. 8.

In Arboribus, *calyciſloris & bacciferis.*

Oblongus eſt, & punctulatus, parvus, agilis, anten. baſi ita adpreſſa roſtro, ut recticornis videatur (*).

86. Curculio *Purpureus.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* ½.

Linn. Syſt. Nat. p. 378.
Faun. Svec. 2. 585.

P. Po-

(*) Quod in *Curcul. Longi- & Tenuiroſtribus* omnibus facillime accidit, ut forte et mihi.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 29.

Diagn. Totus ruber; elytris ſtriatis: ſtriis 8 punctatis; oculis nigris.

In herbido colle 24. Aprilis aliquos reperi, circa *Idriam*.

Noſtris nitor nullus. Caput & thorax punctatus. Roſtrum apice modice nitens. Ungues nigri.

87. Curculio *Cæruleſcens.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* ½.

Diagn. Color obſcure cæruleus. Roſtrum deflexum. Elytrum ſtriis decem.

Inveni in *Pyro communi* 27. Aprilis.

Diverſiſſimus a *Curc. Icoſandriæ.*

88. Curculio *Oleraceus.*

El. *long.* lin. 1. *lat.* ½.

Diagn. Globoſus eſt, nigricans; elytris puncto lineaque lunata ad apicem albi coloris.

In *Urtica dioica.*

Mas thoracis latere utroque unidentato. *Fœm:* thorace mutico; utrique Roſtrum inflexum. Thorax, coſtæ, & corpus ſubtus griſei coloris, elytra ſtriata: ſtriis 10. Tibiæ ferrugineæ.

(**) *Infracticornes.*
† Craſſiroſtres, calcarati.

89. Curculio *Granarius.*

El. *long.* lin. 1. *lat.* lin. ½.

Linn. Syſt. Nat. p. 378.

Diagn. Totus piceus, punctatus, fere cylindricus; thorace longitudinem elytorum vix non æquante.

Habitat in granis *Tritici* & *Avenæ.*

Longitudo animalis, non computato roſtro, duas lineas; latitudo dimidiam habet.

Elytra connata video tam in propriis exemplaribus, quam in eo, quod ex *Styria* miſit R. P. Poda. Thorax denſius punctatus. Elytra ſtriatim puncta ta: margine exteriore pedibusque rufeſcentibus. Femora antica craſſiora.

90.

90. Curculio *Gemmatus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 2.

Diagn. Apterus, niger; elytris coadunatis ſcabris maculatis: maculis argenteo-viridibus.

Frequens in plantis et fruticibus, ſylvoſis umbroſisque locis.

Mas minor; maculis cæruleſcentibus. *Fæmin.* viridi auratis.

Totus punctis ſcaber. Anten. villoſæ, thorace duplo longiores. Caput villoſulum. Roſtrum lineam longum, apice dilatatum. Thorax punctulis parvis cæruleſcentibus variegatus. Corpus & femora villis proſtratis adſperſa, eaque omnia unidentata.

Variat thorace ſine punctis cæruleis, iiſdemque paucis & exiguis ad Elytra.

91. Curculio *Argentatus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 384.
Faun. Svec. 2. 624.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 30.

Diagn. Niger eſt, ſed villo tenui proſtrato argenteo, præſertim ſubtus, adſperſus; femoribus antenniſque rufis.

Reperi in *Corylo*, & alibi, ſed in *Urtica* nondum.

Elytrum punctorum ſeriebus longitudinalibus novem lineatum, baſi & apice magis quam in medio argenteo nitore fulgens. Anten. clava, una cum roſtri apice, nigra. Femora poſtica unidentata: dente minus evidente, ac in priore.

92. Curculio *Anthracinus.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Diagn. Totus niger. Elytra punctatim ſtriata. Femora omnia unidentata.

In *Carniolia ſuper.*

Roſtri apex villis paucis inſtructus. Thorax punctis prominulis ſcaber. Elytra minime ſcabra, ſtriis 9, fere coalita. Alæ vix ullæ. Antennæ villoſæ.

93. Curculio *Triſtis.*

El. *long.* lin. $2\frac{1}{2}$. *lat* $1\frac{1}{3}$.

Diagn. Fuſcus. Elytra punctis ſcabra, ſubſtriata, villoſula, coadunata.

Circa *Idriam* collegi.

Statura prioris, apterus, fuſco-niger; thorace elytrisque ſcabris & ita villoſis, ut nudo oculo inſpecta, punctis pallidioribus variegata ſe prodant. Femora omnia dentata, lucidiora villoſa.

94. Curculio *Inſidus.*

El. *long.* lin. $2\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{3}$.

Diagn. Nudis oculis inſpectus obſolete cupreus, ad lentem vero cæruleſcentibus nitidis proſtratis villis ſuperne adſperſus adparet.

In plantis, rarior.

Oculi nigri. Antenn. clava fuſca, cæteri vero articuli una cum pedibus rufeſcentes. Femora omnia dentata.

95. Curculio *Pruni.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* $\frac{3}{4}$.

Diagn. Villoſulus, niger; antennis, elytris, pedibusque rufis.

Habitat in *Pruno domeſtica*, cuius folia criſpat, convolvit, vitiat.

Oculi nigri. Caput & thorax punctis ſcabra. Elytrum pellucens, punctatim ſtriatum: punctorum duplicatorum ſeriebus 9, margine externo nigricante. Femora omnia unidentata.

96. Curculio *Coeleſtinus.*

El. *long.* lin. $2\frac{1}{4}$. *lat.* 1.

Diagn. Totus cæruleus; antennis pedibusque ferrugineis.

In plantis & fruticibus non rarus.

C. *Argentato* proximus, ſed in utroque ſexu idem color. Femora ſubdentata.

97. Curculio *Glaucus.*

El. *long.* lin. $2\frac{3}{4}$. *lat.* 1.

Diagn. Fuſcus eſt, ſed glauceſcente tenui proſtrato

ſtrato villo adſperſus, nullibi ſcaber; elytris punctatim ſtriatis.

In foliis arborum.

Statura *Curc. Argentati.* Elytrum humero prominulo & ſubdentato. Corpus altum, ſubtus nigrum. Femora nitidula, craſſa, magno dente notata.

98. CURCULIO *Ruſipes.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* $\frac{1}{2}$.

Diagn. Fuſcus eſt, villoſulus, parumper nitens; antennis pedibusque rufis.

In foliis *Pruni domeſticæ.*

Caput & thorax punctis prominulis ſcabra. Elytra punctatim ſtriata. Femora omnia dentata.

(††) craſſiroſtres inermes.

99. CURCULIO *C album.*

El. *long.* lin. $3\frac{1}{2}$. *lat.* 2.

Diag. Cupreo-nigroque varius; angulo externo baſeos elytri ſinguli linea arcuata alba, litteram C referente ſignato.

Habitat circa oppida & pagos. *Græcio* quoque miſit Doctiſſ. & R. P. PODA.

Statura *Gemmati.* Corpus totum laxis villis adſperſum & ſcabriuſculum. Elytra coadunata; punctorum impreſſorum ſeriebus (7). Femora ſingula uno dente armata.

100. CURCULIO *Senſitivus.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Niger eſt; femoribus fulvis: apice nigris.

Habitat in ſylvis.

Elytra planiuſcula, ubique ſtriata. Roſtrum indiviſum. Alæ nullæ. Elytra coadunata.

Captus ſe valde torquet, & a longe ab hoſte fugit, unde ratio nominis.

101. CURCULIO *Nemoreus.*

El. *long.* lin. $4\frac{2}{3}$. *lat.* 2.

Diagn. Apterus, niger, opacus; roſtro bifido; capite glabro; thorace, elytrisque ſcabris, acuminatis.

Habi-

Habitat inter *Abietes.*

Antennæ elytri longitudine. Elytra apice duntaxat ſtriata, acutiuſcula. Femora omnia clavata; neque tamen *Paraplecticus* LINN.

102. CURCULIO *Momus.*

El. *long.* lin. $3\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{3}$.

Diagn. Proboſcis ſuperne ſulcis duobus. Abdomen inter pedes poſticos fulvo villo tomentoſum. Femora antica craſſiora.

In *Carniolia* calidiore.

Totus fuſcus eſt, ſed cinereo-ruſo, proſtrato villo, pollinis in modum, ita tectus, ut cineraſcens videatur. Antennæ thoracis longitudine. Thorax antice utrinque lineola una ſublunata, poſtice vero punctis binis pallidioribus. Elytrum in medio macula rotunda, & ad apicem puncto pallidiore. Alæ nullæ.

103. CURCULIO *Zoilus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Roſtrum deflexum. Elytrum ſtriatum, & punctis nigris variegatum: uno maiore communi ad apicem.

In *Auſtriaco Littorali.*

Totus villoſus, ſupra terrei coloris; lateribus lineisque elytrorum pallidioribus. Striæ elytri alternæ nigris punctis variegatæ: ſpatiis interiectis punctatis. Elytra coadunata. Alæ nullæ. Ingenium vecors.

104. CURCULIO *Paluſtris.*

El. *long.* lin. 3'. *lat.* $1\frac{1}{4}$.

Diagn. Proboſcis thorace longior. Thorax linea laterali, pallidiore.

In aquoſis locis & paludoſis, ſupra *Carices.*

Roſtrum apice dilatatum. Thorax elytris obſcurior: linea albida laterali. Elytra coadunata, cineraſcentia, albo puncto in medio ſignata. Abdomen ſubtus maculis (4) ſubluteis lateralibus. Femora annulo albo faſciata. Penis incurvus, bifidus.

(†††) Tenuiroſtres, calcarati.

105. Curculio *Nucum*.

El. *long.* lin. $2\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{4}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 383.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 29.

Roesel. Suppl. Scarab. Terr. Cl. IV. Tab. 67. fig. 5 6.

Diagn. Griſeus, ovatus; roſtro longitudine corporis.

Habitat in *Coryli avellanæ* nucleis.

Roſtrum lin. $3\frac{1}{2}$. longum, rubens, politum. Oculi nigri. Scutellum quadratum: angulis anticis obtuſis.

106. Curculio *Quercus*.

El. *long.* lin. $1\frac{2}{3}$. *lat.* $\frac{3}{4}$.

Diagn. Niger; ſcutello trilobo: lobo antico minore albo; elytro unipunctato: puncto albo.

Habitat in *Quercu robur*.

Roſtrum nitens, nigrum, corpore paulo brevius. Elytra pallidiore villo pubeſcentia. Punctum album utrinque ſupra femora media ad baſim elytri.

107. Curculio *Punctatus*.

El. *long.* lin. $1\frac{3}{4}$. *lat.* 1.

Diagn. Niger; thorace albido; elytro ſtriis elevatis 5 nigris, albo punctatis.

Circa *Idriam* repertus 18. Maji.

Roſtrum nigrum, deflexum, thorace longius, elytris brevius. Antennæ rufeſcentes. Caput nigricans. Thorax albidis villis pubeſcens. Elytra villoſula. Abdom. ſupra rufeſcens. Pedes fuſco-alboque varii.

108. Curculio *Faſciatus*.

El. *long.* lin. $1\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{2}{3}$.

Diagn. rufus, villoſulus; elytro faſciis duabus obſcurioribus, obſoletis.

In ſylvis.

Oculi & apex roſtri, nigri coloris. Pedes antici longiores & craſſiores.

109. Curculio *Præcox*.

El. *long.* lin. $1\frac{1}{6}$. *lat.* $\frac{1}{2}$.

Diagn. Ferrugineus; elytra ſtriata, villoſula.

Nativitas ſub finem *Aprilis*. In

In Salice *Viminali.*

Roſtrum, & caput coloris obſcurioris. Thorax punctatus.

ATTELABUS.

Caput poſtice attenuatum, oculis prominentibus. Thorax, diametro capitis (ab uno ad alium oculum deſumpta) nihilo latior, & cylindraceus.

110. ATTELABUS *Apiarius.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* 1½.

LINN. Syſt. Nat. p. 388.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 31.

Diagn. Atro cæruleus, villoſus; elytris rubris: apice faſciisque binis, atris.

In Floribus *Centaureæ jaceæ, Cardui mariani, Achilleæ millefol.* aliorumque, quorum nectare, & ſemiſoluto antherarum polline victitat, vere *Anthophilus.*

Caput inclinatum: apice emarginatum. Maxillæ unidentatæ. Palpi minores: articulis duobus ferrugineis: ultimo trigono. Antennæ ferrugineæ: articulis 3. fuſcis majoribus clavatæ. Elytra, apice dempto, ubique ejusdem latitudinis, ut in ſequentibus etiam ſpeciebus. Alæ fuſceſcentes. Abdomen ſupra rubrum, ſubtus una cum pedibus atro-cæruleum & nitens. Femora poſtica longiora, craſſiora, curvula.

111. ATTELABUS *Formicarius.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* ½.

LINN. Syſt. Nat. p. 387.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 31.

Diagn. Niger; elytro faſciis duabus albidis: baſi rubro; corpore rubro; lingua longiſſima P. PODA.

Habitat ruri.

Thorax ſubcordatus. Elytri faſcia una tenuior & ſubtus rubella; idem ſubtus nitens lineisque pallidioribus ſtriatum. Manus rubellæ.

112. ATTELABUS *Lilii,*

El. *long.* lin. 2⅔. *lat.* 1.

LINN. Syſt. Nat. 375. Chryſom. *Merdigera* 62.

J. BAUCH. hiſt. plant. 2. p. 696. inſecti rubella.

Diagn. Niger, nitens, thorace elytriſque rubris.

In *Lilio chalcedonico, baccifero, & ſociis.*

Thorax in medio leniter coarctatus, ſeu utrinque impreſſus. Elytrum ſtriis 10. punctatis: punctis ſubtus flavicantibus punctoque nigro ocellatis.

113. ATTELABUS *Aſparagi.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* fere 1.

LINN. Syſt. Nat. p. 376. Chryſom. 70.

ROESEL. Scarab. Terr. Cl. III. Tab. 4. fig. 3.

Diagn. Atro-cæruleus; thorace fulvo; elytro margine externo faſciis 2. dimidiatis, punctoque ad baſim, aurei coloris.

Habitat in *Aſparago officin.* ROESEL. FRISCH.

Elytri faſciæ apice ſuo obtuſo & dilatato non attingunt marginem oppoſitum. Thorax in hoc & ſequentibus, latera impreſſa non habet.

114. ATTELABUS 5-*Punctatus.*

El. *long.* lin. 2. lat. ⅔.

Diagn. Niger; thorace fulvo; elytris pallidioribus; punctis 5: uno communi & majore.

In *Auſtriaco Littorali.*

Elytri apex niger, punctum baſeos minus, poſticum majus, ſubrotundum, medium vero & commune maximum ovatum. Thorax ad baſim puncto nigro notatus.

115. ATTELABUS 12-*Punctatus.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* ⅔.

Diagn. Fulva ſunt, caput, thorax & elytrum quodlibet punctis ſex nigris.

Habitat cum priore.

Elytri punctum baſeos ſolitarium in angulo externo, hoc ſequuntur duo oppoſita, alia vero alternantia ſunt. Oculi, & antennæ nigri coloris.

Variat.

Variat. 1. Pectore, pedumque geniculis nigris.
Linn. Syſt. Nat. p. 376. Chryſom. 67.
2. Corpore toto ſubtus pedibusque nigris.

116. Attelabus 14-*Punctatus*.

El. *long*. lin. 2. *lat*. fere 1.

Diagn. Thorax fulvus punctis tribus nigris. Elytrum pallidius punctis ſeptem: uno in apice ſito.

Ibidem.

Caput fulvum; macula verticis, oculis, antennis, palpisque nigris. Abdom. ſubtus fulvum. Femora fulva: baſi & apice nigra.

CASSIDA.

Caput ſub thoracis clypeo plano reconditum.

117. Cassida *Viridis*.

El. *long*. lin. 3. *lat*. 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 362.
Faun. Svec. 2. 467.
Roesel. Scarab. Terr. Cl. III. Tab. 6. fig. 4. 5.

Diagn. Clypeus cum elytris virens. Corpus nigrum. Anten. infra medium, abdominis margo, pedesque ferruginei coloris.

Paſſim occurrit.

Antennæ extrorſum craſſiores & obſcuriores. Elytra punctata, ſubtus plica corpus protegente. Variat elytri angulo ſcutelli rubro.

118. Cassida *Noctiluca*.

El. *long*. lin. 5. *lat*. 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 400. Canth. 1.
Faun. Svec. 2. 699.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 39. Canth. 1.
Carniol. Kerſchnitza.

Diagn. Segmenta duo ultima abdominis alba lucem in tenebris ſpargunt.

Circumvolat noctu, circa ſolſtitium æſtivum.

Antenn. apice attenuatæ. Thorax ſubpellucens, elytris pallidior, antice rotundatus. Elytra fu-

fuſceſcentia, flexilia, lin. 3. elevatis. Abdomen margine dentato.

119. Cassida *Sanguinea.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 1.
Linn. Syſt. Nat. p. 401. Canth. 13.
Faun. Svec. 2. 704.
Frisch. Inſ. 12. Tab. 7. fig. 2. p. 39.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 40. Canth. 3.

Diagn. Thorax & elytra coloris ſcarlatini, alibi ubique nigra.

Inveni in *Fago*, & *Salice caprea.*

Thorax plicis quatuor in formam crucis. Elytrum lineis elevatis (4): binis ſeriebus punctorum inter binas quasque lineas. Variat elytris lin. 2½. longis.

CANTHARIS.

Thoracis clypeus convexus, caput minime tegens. Elytrum membranaceum, flexile, non truncatum apice.

(*) *Thorace lateribus rotundatis.*

120. Cantharis *Fuſca.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* 1½.
Linn. Syſt. Nat. p. 401.
Faun. Svec. 2. 700.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 40.
Carniol. Schuſter.

Diagn. Anten. baſis & thorax fulvi coloris. Caput & elytra fuſca.

Fulvum colorem habent baſis antenn. harumque articuli 2, 3, 4, caput infra antennas, thorax, abdomen, femorum pars maxima. Fuſca vero ſunt alia omnia. In adultis clypeus maculam nigram in medio gerit. Oris labium inferius integrum. Penis ferrugineus: vagina bivalvi, terminatus glande carnoſa ſubumbilicata.

Variat 1. Thoracis macula ovata, transverſa.
2. — — — obcordata.
3. Femoribus tibiisque fulvis.
— — — maxima parte fuſcis.

121.

121. Cantharis *Obſcura.*

El. *long.* lin. 4½. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 402.

Faun. Svec. 2. 706.

Diagn. Tota fuſca eſt, ſed thoracis & abdominis margo ruber.

In *Carniolia Iſtriaca.*

Cæterum qui videt fuſcam, & hanc videt. Ill. Linnæus parvum ſpecimen deſcripſit, quod & ego poſſideo, elytris lin. 3. longis, quæ tamen nigra dici non poſſunt.

122. Cantharis *Livida.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* ¾

Linn. Syſt. Nat. p. 401.

Faun. Svec. 2. 701.

Diagn. Tota teſtacea; thorace obſcuriore; oculis nigris.

In *Carniolia* calidiore.

Tota villoſa. Palpi articulus ultimus apice niger

123. Cantharis *Teſtacea.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* ½.

Linn. Syſt. Nat. p. 22.

Faun. Svec. 2. 714.

Diagn. Elytra Livida. Thorax pallide luteus: macula nigra conica: apice bifida.

Thoracis macula nitens. Abdominis apex pedesque ferruginei. Antennæ fuſcæ: articulis (5) primis ferrugineis.

124. Cantharis *Fulva.*

El. *long.* lin. 3¼. *lat.* ¾.

An eadem, quæ *Rufa* Linn. Syſt. Nat. p. 401?

Diagn. Rufo-ferruginea, thorace fulvo, elytris apice oculisque nigris.

In floribus plantarum *Umbelliferarum*, præcipue *Athamantæ oreoſel.*

Antennæ fuſcæ. Palpi nigricantes. Caput fulvum & nitens, ut thorax. Elytra villoſa. Alæ fuliginoſæ.

125. Cantharis *Caudata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* ⅓.

Diagn. Abdomen terminatum cauda brevi bifida.

Circa aquas, in umbroſis.

Tota ferruginea. Oculis, abdomine elytrisque media parte aut fere penitus nigris. Thorax villoſulus, rufeſcens, immaculatus. Anten. articuli plerique nigri. Elytra villoſa, pellucida.

126. Cantharis *Ænea.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 402.

Faun Svec. 2. 708.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 40.

Diagn. Viridi ænea; capite ſub antennis, thoracis margine laterali, elytrisque margine externo apiceque rubris.

In paniculis *Graminum*, & *Spinacea olerac.*

Maxillæ luteæ. Antennæ fuſcæ, thorace duplo longiores, externo latere ſubdentatæ. Elytra ſubtus nigra ſunt, ubi ſupra viridi-ænea.

127. Cantharis *Bipuſtulata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 402.

Faun. Svec. 2. 709.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 40.

Diagn. Viridi-ænea; capite ſub antennis flaveſcente, elytris apice rubris.

In paniculis *Graminum*, non rara.

Antennæ articuli duo primi fere omnino lutei. Capitis antica & flava portio punctis duobus atris.

128. Cantharis *Minima.*

El. *long.* lin. 1. *lat.* ⅓.

Linn. Syſt. Nat. p. 402.

Faun. Svec. 2. 713. noſtræ Varietas.

Diagn. Nigra; thorace, antennis, elytrisque apice fulvis.

In paniculis *Poæ.*

An-

Antennæ elytro longiores, aut æquales. Thorax ſine macula nigra. Abdomen macula laterali aliaque media ſubtus colore thoracis.

129. CANTHARIS *Faſciata.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* ¾.

LINN. Syſt. Nat. p. 402.
Faun. Svec. 2. 711.

Diagn. Nigra; elytri apice, & faſcia abrupta, rubris.

Inveni in floribus *Scabioſæ officin.*

Hæc villoſa non eſt. E nigro colore thoracis obſcurus quidam viror tranſlucet. Elytri faſcia non attingit marginem oppoſitum. Duo prima abdominis ſegmenta marginem in medio rubrum habent.

130. CANTHARIS *Marginata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* ¾.

Diagn. Nigra; elytris fulvis: margine interno nigris, punctorum impreſſorum ſeriebus 9.

In *Carniolia ſuper.*

Antennæ villoſulæ. Thorax in medio lævis, lucidior: margine ſcabriuſculo. Elytra raris, exiguis villis adſperſa.

131. CANTHARIS *Piloſa.*

El. *long.* lin. 2¼. *lat.* ¾.

Diagn. Nigra, longis pilis ubique pubeſcens; antennis extrorſum craſſioribus.

Circa *Tergeſtum* in paniculis *Bromorum* & *Feſtucarum* copioſa Majo & Junio.

Anten. elytro breviores, ſubdentatæ: articulo ultimo ovato. Eædem extrorſum dilatatæ ut in *Silphis* & *Coccinellis*, ſed elytra, thorax, habitus *Cantharidis.*

132. CANTHARIS *Squallida.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* ¼.

Diagn. Fuſca; antennis baſi tibiiſque ferrugineis.

Non rara in hortis, Aprili M.

Antennæ elytro breviores: articulis æqualibus. Thorax marginatus. Elytra villoſula, punctata. Alæ fuſceſcentes.

Varietatem nigram, elytris teſtaceis, reperi in floribus *Chærophylli ſylv.* ut & æneo fuſcam, in *Pyri*, *Pomi* floribus.

133. CANTHARIS *Flava.*

El. *long.* $2\frac{1}{4}$. *lat.* 1.

Diagn. Flava; culis palporumque articulo ultimo nigris.

In floribus plantarum *Umbellatarum*, præſertim *Dauci carot*, & *Athamantæ oreoſelini.*

Quo referrem, hæſitavi. Facies longa & thorax ut in *Carabo*, ſed elytra flexilia. Thorax marginatus, victus ex floribus, lamellæ denique femoralis abſentia *Carabis* propria, *Cantharidem* eſſe docent. Antennis elytro obſcurioribus. Maxillis prominentibus, acutis, edentulis, elytris obiter ſtriatis, ad lentem villoſis. Manibus nigris: unguibus rufis.

134. CANTHARIS *Fraxinea.*

El. *long.* lin. $5\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{2}{3}$.

Diagn. Nigra; elytris ſubdiaphanis, ſtriatis, fulvis.

Reperi in paniculis *Fraxini petal.* in M. *Nanas*, ſupra *Prewald.*

Agilis valde, facie *Carabi Minoris*, aut *Lepturæ Friſchianæ quintæ Inſ. 12. Tab. 6. pag. 36.* ſed character *Cantharidis.* Subtus villoſa, ſuperne nitidula. Antennis extrorſum craſſioribus. Palpis minoribus, triarticulatis: articulis æqualibus.

135. CANTHARIS *Serraticornis.*

El. *long.* lin. $4\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Nigra; capite, thorace orbiculato, elytrisque fulvo-rufis; antennis totis, vel apice uno latere ſerratis.

Apud nos non rara, præſertim in hortis.

Si antennæ eſſent pectinatæ, *Pectinicornem* LINNÆI ex hac facerem.

Antennæ articuli (5-6) ultimi, uno latere, in dentem elongati. Thorax linea media depreſſa, pone in foveam trigonam deſinente, ſulcatus. Scutellum tuberculis tribus. Elytra, ad lentem magis augentem, villoſula.

(**) *Tho-*

(**) *Thorace lateribus ſubparallelis.*

136. CANTHARIS *Cærulea.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* ¾.

LINN. Syſt. Nat. p. 403?

Diagn. Caput, thorax utrinque, elytra coloris cærulei. Abdom. ſubtus æneo-virens lucidum.

Inveni in floribus *Menthæ ſpicatæ*, & *Dauci carot.*

Antennæ fuſceſcentes. Elytrum tribus lineolis elevatis. Alæ hyalinæ. Pedes ferruginei; ſed tibiæ poſticæ ſemifuſcæ.

137. CANTHARIS *Spadicea.*

El. *long.* lin. 2¾. *lat.* 1.

Diagn. Nigra; elytris teſtaceis, pellucidis, piloſis.

Circa *Tergeſtum.*

Antennæ extrorſum leniter dilatatæ. Thoracis craſſities, eſt dimidia pars latitudinis elytri.

138. CANTHARIS *Fulvicollis.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 1.

Diagn. Nigra; thorace fulvo; elytris fuſcis.

In Floribus plantarum *Umbellatarum.*

Caput, thorax, corpus ſubtus, pedesque nitent. Elytrum opacum: lineis tribus elevatis ſtriatum, ad lentem villoſum. Abdominis apex thoraci concolor.

139. CANTHARIS *Rufiventris.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* ¾.

Diagn. Thorax rufeſcens: linea dorſali longitudinali nigra. Abdomen rufum.

Cum priore.

Antennæ cum capite nigri coloris. Alæ hyalinæ. Abdom. ſupra fuſceſcens. Femora nigra.

Variat. 1. Elytris nigricantibus.
2. — teſtaceis.
3. — teſtaceo-fuſcis.

140. CANTHARIS *Uſtulata.*

El. *long.* lin. 3¾. *lat.* ¾.

Diagn.

Diagn. Nigra; thorace rufo: linea dorſali nigra; elytris nigricantibus: interno margine ferrugineo.

In Floribus *Dauci.*

Priore major, & omnino diverſa. Variat thorace nigro, & minore ſtatura.

141. CANTHARIS *Tenebricoſa.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* ⅓.

Diagn. Nigricans; femoribus anticis ferrugineis.

In Floribus.

Antennæ elytro æquales. Thorax ſcaber. Elytrum villoſulum: linea una elevata. Femora media faſcia ferruginea, aut rufa.

142. CANTHARIS *Sericea.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* ⅔.

Diagn. Fuſca & ſericeo proſtrato brevi villo ubique adſperſa; antennis baſi, femoribusque baſi rufis.

In plantis *Umbelliferis.*

Antennæ elytri longitudine, extrorſum leniter dilatatæ.

143. CANTHARIS *Parva.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* ½.

Diagn. Æneo-fuſca, villoſa; antennis elytro duplo brevioribus.

Inveni in floribus *Laſerpitii latifolii.*

Thorax ſubrotundatus, hinc ambigens inter hunc & priorem ordinem. Anten. extrorſum dilatatæ: articulis 8. Elytra abſque lineis. Tibiæ anticæ ſubrufæ.

(***) *Elytris apice attenuatis.*

144. CANTHARIS *Pthyſica.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* ⅞.

Diagn. Nigra; elytris teſtaceis marginatis: margine nigro.

In plantis *Umbellatis.*

Alæ hyalinæ. Subtus nitens corpus.

145.

145. Cantharis *Femorata.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* ¼.

Diagn. Nigra; elytris ſpadiceis; femoribus poſticis craſſiſſimis, gibbis.

Cum priore.

Elytrum totum colore elytri *Scarab. Melolonth.* Femora diſtinguunt a priore.

146. Cantharis *Nobilis.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* ¾.

Diagn. Solo homogeneo cæruleo colore diverſa a priore.

In Plantis.

LEPTURA.

Thorax ſubrotundus, attritu ad poſticam ſubjectam laminam nullo, aut nullum ſonum edente. Elytra rigida. (†)

(*) *Elytris apice truncatis.*

147. Leptura *Aquatica.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 397.

Faun. Svec. 2. 677.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 36-37.

Diagn. Femora poſtica dente notata.

In paludibus & lacubus.

Antennæ elytro breviores. Elytrum ſtriis 9. punctatis, minutisque transverſis rugulis ad lentem criſpatum. Oculi nigri, prominuli. Diverſimode coloratæ in copula reperiuntur, nempe.

1. Cæ-

(†) Hos video limites ſeparantes *Cantharides* a *Lepturis*, has vero a *Cerambycibus*; nec alios hactenus detegere potui; ſed & antennæ *Cerambycibus* evidenter attenuatæ, quæ potius ſectaceæ in *Lepturis*. Sic omnino inſuperabilis eſt difficultas in ſtatuendis eſſentiis eorum Generum, quas ineffabilis & occulta quædam habitui inhærens notarum determinat harmonia.

1. Cæruleſcens.
2. Aurato-virens.
3. — rubra.
4. — rufa.
5. Fuſca.
6. Violacea. P. Poda. l. c.

Nihil obſtaret eſſe ſpeciem *Cicindelæ*, ſi lamellam femoralem hujus Generis (noſtrarum) gereret.

148. Leptura *Rubra.*

El. *long.* lin. $5\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 397.
Faun. Svec. 2. 681.

Frisch. Inſect. 12. Tab. 6. fig. 6. p. 37.

Diagn. Nigra; thorace, elytris, tibiisque rubris.

In *Carniolia*, non rara.

Occiput ſæpe rubrum. Pilis ſericeis, ſubaureis, parvis ubique pubeſcens. Linea depreſſa in occipite & thorace per medium decurrit, obſcura tamen. Thorax & elytra punctata. Femora poſtica modice incurva.

149. Leptura *Melanura.*

El. *long.* lin. $3\frac{1}{2}$. lat. $1\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 397.
Faun. Svec. 2. 678.

Diagn. Nigra; elytris ſordide flaveſcentibus: apice nigris.

In Floribus

Caput, thorax, elytra punctata villoſa.

Variat. 1. Elytris lividis: apice & externo margine nigris.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 37.

Inveni in ſpica *Plantaginis majoris.*

2. Elytris obſolete flavis: apice nigris.

In umbellis *Athamantæ oreoſel.* priore minor.

150. Leptura *Sanguinolenta.*

El. *long.* lin. $3\frac{1}{2}$. *lat.* 1.

Linn. Faun. Svec. 2. 679.

Diagn. Nigra; elytris rubris.

In *Umbelliferis* plantis.

Differt

Differt a *Lept. Rubra* ſolis elytris rubris, defectu ſulci occipitalis & lineæ thoracicæ, abdominis apice truncato, ſtatura minore.

151. LEPTURA *Dubia.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* $1\frac{1}{3}$.

Diagn. Tota nigra, ſed ſtria rubra per medium elytri longitudinaliter, a baſi ad apicem uſque producta.

Inveni in floribus *Spiraeæ arunci.*

An vere diverſa a priore? an proles hybrida *Melanuræ* & *Vexillatæ?*

Variat elytro lin. 3. longo, margine interno apiceque nigro, alibi rubro.

152. LEPTURA *Oculata.*

El. *long.* lin. $5\frac{1}{2}$. *lat.* 1.

LINN. Syſt. Nat. p. 394. Cerambyx. 38.

Diagn. Rufa; capite, antennis, elytriſque nigris; thorace punctis duobus atris.

In floribus.

Caput inclinatum. Antennæ non evidenter attenuatæ. Thorax an ſtrideat, fateor, me nondum obſervaſſe. Elytrum ſeriebus novem punctorum impreſſorum: apice truncatum & fere bidentatum. Abdomen apice deflexo, truncato.

153. LEPTURA *Parallela.*

El. *long.* lin. $4\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{3}{4}$.

Diagn. Nigra; abdominis baſi ſuperne pedibusque flaveſcentibus.

Pariter Anthophila.

Capitis, thoracis, elytrorum, abdominiſque latitudo ubique eadem fere. Antennæ elytro nihilo breviores, ſetaceæ. Caput inclinatum. Thorax ſubcylindricus. Elytrum ſeriebus (6) punctorum impreſſorum, margine baſeos exteriore pedibus concolore. Abdomen obtuſum.

154. LEPTURA 4-*Maculata.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* $1\frac{1}{8}$.

Diagn. Nigra; elytro ſordide flaveſcente: maculis 4. nigris.

Inveni in *Athamanta oreoſel.*

An

An *Quadrimaculata* Linn. *Syſt. Nat.* p. 397 ?

Maculæ elytri anticæ duo binnatæ, media duplo major ſolitaria, quarta apicem occupans.

Thorax ſubrotundus. Totum animal rufo ſericeo tenui villo pubeſcens.

155. Leptura *Ruficrus.*

El. *long.* lin. 5½ *lat.* lin. 1¼.

Diagn. Fuſca; antennis baſi, oculis, femoribusque rufis.

Habitat in floribus. Eandem *Græcio* miſit. R. P. Poda.

Antennæ elytro longiores. Maxillæ nigræ, nitidæ, prominentes. Oris labium ſuperius hemiſphæricum, palpique rufi. Elytri margo exterior ad baſim rufus, idem villo, lucido, albo pubeſcens. Thorax ſubtus & abdomen lucido pariter villo fulgent. Abdomen apice rufum. Genua nigra. Tibiæ rufæ, apice nigræ.

(**) *Elytris apice rotundatis.*

156. Leptura *Bajula.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 396. Ceramb. 48.
Faun. Svec. 2. 672.
Frisch. Inſect. 13. Tab. 10. p. 17.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 36. Cer.

Diagn. Totus nigricans. Thorax tuberculis duobus lucidis atris, diametro ſua latitudine capitis fere duplo majore.

Fateor, ob elytri flexilitatem, malle me potius ad *Cantharides*, quam *Cerambyces*, referre. Hic tamen poſui ob elytra baſi rigida, antennasque minime attenuatas, harumque articulum ſecundum primo & tertio breviorem. Huic caput & thorax magis villoſa ſunt quam elytra, quæ punctis prominulis ſcabra.

Variat elytro fuſco-caſtaneo, macula ſubtrigona cineraſcente ſupra medium ad marginem internum.

157. Leptura *Cilindrica.*

El. *long* lin. 3. *lat.* ¾.

Linn. Syſt. Nat. p. 394.

Roesel.

Roesel. Scarab. Terr. Cl. II. Tab. 3. fig. 6. 7.

Diagn. Antennæ, caput, thorax linea alba, nigri coloris. Elytra & corpus ſubtus nigro-cinerea. Femora rufa.

In medulla ramorum *Coryli.* Roesel. l. c. & ego in *Corylo* reperi.

Caput inclinatum. Antennæ toto corpore nihilo breviores, obſcure attenuatæ. Sub oculis macula albida. Elytra punctata. Femora rufa: baſi nigra. Totum animal villoſulum.

158. Leptura *Cantharoides.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1.

Diagn. Nigricans; antennis, thorace rotundato, pedibusque fulvis.

In pratis ſubalpinis.

Caput antice fulvum, poſtice nigrum. Antennæ elytro longiores: articulis inſenſibiliter attenuatis: apice fuſcis. Thorax capite amplior, ut in *Bajula.* Elytra fuſceſcentia, punctata, flexilia; hinc ſi quis hanc una cum *Bajula*, *Cantharidibus* adjungeret, non utique erraret. Abdomen nigrum: apice fulvum.

159. Leptura *Collaris.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 398.

Diagn. Atro-cærulea; thorace globoſo abdomineque fulvis.

In floribus *Chærophylli ſylveſtris.*

Thorax villoſus, punctatus, capite paulo amplior. Elytrum punctatum villoſum, ſubflexile.

160. Leptura *Cæruleſcens.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* ½.

Diagn. Thorax lineolis tribus pallidioribus.

In floribus.

Oculi nigri. Thorax cylindraceus. Elytrum ſtriis duabus obſoletis, punctatum, ſubtus fuſcum. Corpus antennis nihilo longius.

CERAMBYX.

Antennæ attenuatæ, graves. Thorax, attritu ad laminam poſticam, ſtridorem edens.

(*) *Thorace dentato.*

161. Cerambyx *Coriarius.*

El. *long.* lin. 9½. *lat.* 3.
Linn. Syſt. Nat. p. 389.
Faun. Svec. 2. 647.
Roesel. Scarab. Terr. Cl. II. Tab. 1. Fig. 1. 2.
Frisch. Inſect. 13. Tab. 9. p. 15.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 31.

Diagn. Thorax marginatus: dentibus tribus lateralibus: medio maiore. Antennæ breves: articulis ſubangulatis, ſemicordatis.

In putridis *Betulis*, *Quercubus.*

Palporum articuli apice ferruginei: ultimo truncato. Caput dente laterali utrinque infra maxillas. Antenn. articuli plerique referunt valvam capſulæ *Thlaſpi burſæ paſtoris*, ſed angulo ſuperiore acutiore. Thorax lin 2. longus, in utroque ſexu utrinque tridentatus. Elytrum caſtanei coloris plus minus obſcuri, lin. tribus elevatis obſoletis, antennis nihilo brevius. Femora articuli primi antennarum apice non craſſiora.

162. Cerambyx *Cerdo.*

El. *long.* lin. 7. *lat.* 2.
Linn. Syſt. Nat. p. 392.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 33.

Diagn. Niger; thorace rugoſo: rugis transverſis.

• In ſylvis.

Definitio Celeberr. Linnæi, huic & ſequenti convenit, qui tamen conjungi nullo modo poſſunt; en notas diverſitatum. Præſens totus niger, duplo & triplo minor, habet antenn. articulos 4 primos cæteris breviores, & brevi villo caneſcentes; tarſum ſubtus albidum.

163. CERAMBYX *Heros.*

El. *long.* unc. 1. lin. 3. *lat.* lin. 4.

Diagn. Thorax nodoſus; elytra caſtanea, baſi obſcuriora.

Circa *Labacum* repertus.

Antennæ articuli quatuor primi glaberrimi, politiſſimi: quarto exterioribus nihilo breviore. Alæ margo exterior fuſcus, qui niger in priore. Abdom. apex villis rufis pubeſcens. Femora antica, exteriore latere, infra medium, transverſis rugis lineata. Manus ſubtus fulvo-ferrugineæ. Tibiæ poſtica dextra (in meo ſpecimine) verſus apicem, dente inſtructa; quibus notis differt a priore.

164. CERAMBYX *Textor.*

El. *long.* lin. 10. *lat.* 3.

LINN. Syſt. Nat. p. 392.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 33.

Diagn. Nigricans; punctis elevatis ſcaber; tibiis mediis obtuſo dente notatis.

In putridis ædium antiquarum lignis abietinis, nec non in ſylvis.

Oris labium ſuperius mobile cordatum: margine lacero-ciliato. Maxillæ craſſæ, edentatæ. Antennæ articulis 10, de more gentis, teretiuſculis, obtuſis, glabris. Thoracis margo anticus pilis rufeſcentibus brevibus ciliatus. Elytra obtuſa. Penis oſſeus, longus, linearis, terminatus corniculis membranaceis mobilibus, albidis, ligamento longo radicatus.

Variat 1. Elytro maculis ſubrotundis binis atris.

Huic elytra nigricantia aut cineraſcentia, punctulis nigris elevatis. Antennæ corpore longiores; alias breviores.

2. Elytro immaculato.

Huic antennæ corpore nunquam longiores. Elytrum ſubtus lineis 4 ferrugineis.

165. CERAMBYX *Moſchatus.*

El. *long.* lin. 10. *lat.* $2\frac{1}{2}$.

LINN. Syſt. Nat. p. 391.

Faun. Svec. 2. 652.

F 2 FRISCH.

Frisch. Inſect. 13. Tab. 11. p. 17-18.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 32.

Diagn. Elytra viridia. Odor moſchi.

In *ſalice viminali.*

Totus nitens, & cæruleo-virens, elytris & quandoque etiam thorace vireſcentibus. Palpi articulus ultimus ad apicem canali inſculptus. Elytrum tuberculoſo-rugoſum, ſubtus fuſcum. Variat antennis corpore longioribus, brevioribusque.

166. Cerambyx *Alpinus.*

El. *long.* lin. 10. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 392.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 32. piloſus, ſed in Epiſt. alpinum vocat.

Diagn. Subcæruleus; antenn. articulis apice nigris, piloſis; elytris faſcia media lata maculisque binis atris.

Apud nos non rarus, ſed nunquam in alpibus a me viſus.

Maxilla prope baſim exterius dente notata. Antennæ cæruleæ: baſi nitida, nigra, articulo primo baſi nigro. Thorax antice macula hemiſphærica, nigra; punctulis elevatis ſcabriuſculus. Elytrum eodem modo punctatum; faſciæ & macularum margo lucidior elytri colore, idemque repandus. Antennæ corpore ſæpius longiores ſunt.

167. Cerambyx *Curſor.*

El. *long.* lin. 7. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 393.
Faun. Svec. 2. 658.

Diagn. Elytrum rufum: margine interno lineaque nigris.

In ſylveſtribus.

Antennæ rufæ, breves. Caput cum thorace nigricans, villoſulum. Thorax prope marginem anticum & poſticum leniter coarctatus, ſeu depreſſior, dorſo longitudinali ſulco exaratus. Ab elytri axilla tumida decurrit linea nigra, ad apicem uſque non producta; apex elytri non eſt obtuſus, ſed mucronatus. Abdom. ſubtus rufum, villoſum. Pedes abdomini concolores.

168.

168. Cerambyx *Arenarius.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* 1½.

Linn. In Epiſt. *Cerambyx Apterus*, quem ex *Hiſpania* & *Gallia* habui, apud nos non viſus.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 34. pedeſtris.

Diagn. Niger, apterus; capite & thorace linea media longitudinali alba; elytris margine albo; antennis brevibus.

In viis & collibus arenoſis *Carnioliæ* calidioris.

Subtus cinereo veluti polline adſperſus. Tibiæ mediæ tuberculo inſtructæ.

Variat 1. Superficie ſupera lucidiore, antennis baſi, pedibusque fuſvis.

2. Superne opaco corpore, antennis pedibusque ubique nigris, occipite lineis binis lateralibus cum intermedia, inter antennas, coeuntibus.

Retinuiſſem nomen *Apteri* ab Ill. Linnæo datum, niſi binis etiam ſequentibus conveniret.

169. Cerambyx *Æthiops.*

El. *long.* lin. 6½. *lat.* 2.

Diagn. Totus niger, nitidulus, punctatus, apterus; antennis brevibus.

Circa *Labacum.*

Caput linea longitudinali, media, depreſſa exaratum. Abdomen villoſum, præſertim apice.

170. Cerambyx *Fulvus.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* 1½.

Diagn. Fulva ſunt elytra, antenn. baſes, abdomen, femora & tibiæ; reliqua nigra.

In *agro Vipaſcenſi.*

Apterus, punctatus; elytris ſubpellucidis, obtuſis, nitidis, abdomine brevioribus.

171. Cerambyx *Timidus.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* 2.

Diagn. Niger; elytro flaveſcente: maculis binis atris.

In floribus *Laſerpitii latifolii.*

Facies *Lepturæ.* Caput antice elongatum, nitens, ſub maxillis dente notatum, villoſum. An-

tennæ breves. Thorax villoſus. Elytra punctata, ſordida, apice truncata. Corpus totum ſubtus rufo villo pubeſcens. *Timidum* dixi, cum a longe fugiat ab hoſte, ſub umbella ſeſe recipiens.

172. Cerambyx *Faſciatus*.

El. *long.* lin. 6. *lat.* 1½.

Linn. Faun. Svec. 2. 687. 688. Leptura 4. faſciata & attenuata.

Diagn. Niger; thorace bidendato: dente uno medio laterali obſoleto, altero longiore ex angulo poſtico; elytris flavis, nigro faſciatis.

In umbellis *Athamantæ oreoſel.*

Mas. Elytro flavo, apice faſciisque tribus atris. Pedibus flavis; femoribus poſticis antice nigris.

Fæmina. Elytro ſordide flavo, maculis 5 nigris: una communi ſubcordata, nec non faſcia apiceque nigris. Pedibus rufis, femoribus poſticis antice nigris; tibiis poſticis dente notatis. Variat elytro maculis tribus: una communi, faſciisque binis atris. Quandoque maculæ duæ minores communes ſunt, & econtra. Vidi etiam abſque dentibus lateralibus.

Utrique ſexui caput & thorax niger. Palpi flavi: articulo ultimo nigro. Antennæ flavæ: articulis apice nigris. Elytra lucida, apice truncata. Corpus ſubtus atrum.

173. Cerambyx *Nebuloſus*.

El *long.* lin. 4½. *lat.* 1⅛.

Linn. Syſt. Nat. p. 391.

Diagn. Cinereo-nigroque varius; elytro faſcia nigra.

Antennæ corpore longiores: articulis ſupra medium nigris, infra cinereis. Thorax niger: punctis albidis. Elytrum cinereum: punctis multis faſciaque nigris. Pedes cinereo-nigroque varii. Moriturum animal, in uno ſexu ſaltem, exerit poſtice lamellam trilinearem, ſemilineam vix latam, apice truncatam, valva cinerea acuminata ad baſim ſuperne tectam. In hoc & ſequente thorax angulos poſticos dentatos habet, non vero latera.

174. Cerambyx *Scabricornis*.

El. *long.* lin. 11. *lat.* 2½.

Diagn.

Diagn. Fuſco-ruſeſcens; antennis æqualibus, nitidis, interiore latere denticulatis, ſcabris: articulo primo longitudine ſecundi & tertii ſimul ſumpta.

In *Carniolia* media.

Antennæ articulus primus lin. 5. longus. Thorax marginatus, 3 lin. latus, 1¾. longus: angulis poſticis dentatis. Elytrum lineis duabus, elevatis, tuberculoſis, antice deletis: apice obtuſum, thorace & capite pallidius. Pedes antennis concolores.

(* *) *Thorace mutico.*

175. Cerambyx *Scalaris.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 394.
Faun. Svec. 2. 697. Leptura.
Frisch. Inſ. 12. Tab. 3. fig. 1. p. 29-30.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 34.

Diagn. Niger; capite flavo; oculis & triangulo ad nucham nigris. Elytro margine toto, punctisque, flavis.

In hortis.

Antennæ æquales flavæ: articulis apice nigris. Thorax latere & margine utroque flavis. Elytrum punctis 10 flavis, quorum quinque libera, cætera cohærentia cum margine interno ſcalam repræſentant; præter has maculas eſt & lineola flava verſus apicem elytri poſita. Corpus ſubtus nigrum, ſed flaveſcente villo pubeſcens.

176. Cerambyx *Figuratus.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* ¾.

Diagn. Niger; elytri faſcia, linea obliqua clavata curva, punctoque ad baſim, albis.

In floribus plantarum *Umbellatarum.*

Thorax ovatus, villoſus. Elytra apice truncata. Abdominis ſegmenta tria prima margine albo. Si ab uno angulo externo lineæ obliquæ elytri duceretur alia recta, tunc in elytris unitis reſultaret rudis figura vultus. Elytri etiam apex albidus eſt.

Leptura Ruſtica Linn. Faun. Svec. 2. 692. huc pertinere videtur.

177. CERAMBYX *Quadricolor.*

El. *long.* lin. 4½. *lat.* 1.

LINN. Faun. Svec. 2. 693. Leptura *Myſtica.*

Diagn. Niger; elytro coloribus quatuor tincto, nempe, rufo, albo, nigro, fuceſcente.

Cum priore captus.

Antennæ articuli (6. 7. 8.) albidi: apice nigro; cæteri toti nigri. Thorax prioris. Elytrum baſi fulvo-rufum; demum lineola alba obliqua punctisque duobus & tribus albis; demum ſequitur faſcia alba repanda; inter hanc faſciam et lineam elytrum ſeminigrum eſt ad marginem internum; elytri apex fuſco cinereus: antice pallidior; inter hunc & faſciam elytrum ubique nigrum eſt.

178. CERAMBYX *Carbonarius.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 1.

Diagn. Niger totus & opacus; antennis brevibus.

In floribus.

Thorax cylindraceus, cum elytris villoſulis. Elytra truncata.

NECYDALIS.

LINN. *Syſt.* *Nat.* p. 421.

179. NECYDALIS *Minor.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* ⅜.

LINN. Syſt. Nat. p. 421.

Faun. Svec. 837.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 48.

Diagn. Lineola alba obliqua ad apicem elytri.

Habitat circa ſepes.

Antennæ nigræ: articulis ſenſim brevioribus. Caput nigrum, deflexum. Thorax niger: tumore obſoleto, nitido utrinque. Scutellum apice albidis villis pubeſcens. Abdomen nitens: inciſuris ad latera ſubtus margine albis. Femora clavata, nitida,

nitida, rufa: clava nigra; poſtica anticis duplo longiora.

180. Necydalis *Minima.*

El. *long.* lin. 1. *lat.* $\frac{1}{2}$.

Schæffer: *Ceramb. ſpurii* alterius deſcriptio, in Epiſt. ad Cl. de Reaumur. p. 12. data, huic magis, quam priori, convenit.

Differt a priore, antennarum articulis duobus (non computata baſi) primis, aliis omnibus brevioribus. Thorace longiore prominentia lanceolata media, aliisque minoribus ſparſis. Elytro rufo, teſtaceo, apice fuſco, abſque linea alba. Abdomine ubique nigro. Femoribus teſtaceis, clava non ovali ut in priore, ſed oblonga. Utraque antennas gerit corpore longiores, alasque hyalinas.

Habitat ad ſepes.

CICINDELLA.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 407.

Maxillæ prominentes, dentatæ. Oculi protuberantes. Thorax capite tenuior.

Lamella obtuſa, oblonga, (noſtris) ad baſim femorum poſticorum.

181 Cicindella *Campeſtris.*

El. *long.* lin. $3\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 407.

Faun. Svec. 2. 746.

Diagn. Rubro aurato colore fulgent antennæ infra medium, pectoris latera, femora & tibiæ; elytra viridia; thorax & caput viridis pariter coloris, ſed aurato quodam rubore immixto.

In cavis viis, & ſabuloſis, ſylveſtribus in locis, aut inter prata ſteriliora.

Labium ſuperius & maxillæ, apud nos, aurei coloris: dentibus nigris. Thorax in latitudinem magis, quam longitudinem extenſus, medio ſulco longitudinali in duos veluti lobos diviſus; inter marginem poſticum & anticum, hosque lobos, depreſſa linea transverſa exaratus. Elytrum punctis exi-

exiguis prominulis, margine toto aureo, punctoque medio rotundo aureo, eoque modo unico, modo pluribus, nempe ſecundo ad angulum baſeos, duobusque aliis minoribus in margine externo. Puncta quinque ponit Ill. Linnæus, eaque alba, quæ in noſtris a me viſa nondum.

182. Cicindella *Germanica.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 407.

P. Poda. Muſ. Græc p. 42.

Diagn. Viridis; puncto albo & lineola concolore in apice cuiusque elytri.

Habitat cum priore.

Labium ſuperius album: punctis ſubmarginalibus, impreſſis, fuſcis, decem. Maxillæ albæ. Palpi albo-ferruginei, villoſi: articulo ultimo nigro extrorſum dilatato, truncato. Thorax in longitudinem magis, quam latitudinem extenſus, absque lobis, nec adeo antice & poſtice marginatus. Corpus totum ſubtus obſcure cæruleſcens. Femora viridi-aurata. Tibiæ ferrugineæ. Variat elytris cyaneis.

183. Cicindella *Hybrida.*

El. *long.* lin. $4\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 407.

Faun. Svec. 2. 747.

Diagn. Elytrum punctis duobus, faſcia repanda, & in apice linea conica capitulo concolore terminata, albi coloris.

Cum præcedentibus copioſa.

Campeſtri perpetuo maior. Labium oris ſuper. leniter repandum, acumine terminatum, albidum, marginatum: margine nigro. Palpi piloſi, pallide ferruginei: articulo ultimo atro-cæruleo, imberbi, lucido, obtuſo. Caput aurato-virens, inter oculos depreſſum & villoſum. Thorax æque latus ac longus, pilis erectis lateralibus albidis. Elytrum obſcurius virens ad baſim ac thorax, & verſus apicem fere absque ullo virore, puncto uno in angulo baſeos; altero in margine externo lineæ intervallo a priore diſtante; faſcia media apice rotundata non attingit marginem oppoſitum elytri. Thoracis latera ſub-

ſubtus aurato rubra, ſternum & abdomen viridi-aurata. Femora aurato-rubra. Tibiæ & manus viridi-auratæ.

MELOE.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 419.

Caput inflexum, pone dilatatum. Thorax baſi & apice attenuatus. Elytra mollia.

184. MELOE *Proſcarabæus*.

El. *long.* lin. 5. *lat.* 2½.

LINN. Syſt. Nat. p. 419.

Faun. Svec. 2. 826

FRISCH. Inſ. 6. Tab. 6. fig. 4. 5.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 47.

Diagn. Apterus, atro-violaceus, unctuoſus, mollis.

Caput pone rotundatum. Thorax in longitudinem magis, quam latitudinem extenſus. Elytrum ſubtus inflexum, poſtice attenuatum. Pedes elytris longiores.

Fœmina maior, abdomine ſeminudo craſſiore. *Mas* elytris abdomine longioribus, ſubtus introrſum magis inflexis, ſicque abdomen protegentibus. Hunc vidi in floribus *Sambucci ebuli*, illam in herbidis & circa domos Maio M.

185. MELOE *Veſicatorius*.

El. *long.* lin. 7. *lat.* 2.

LINN. Syſt. Nat. p. 419.

Faun. Svec. 2. 827.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 47.

Diagn. Viridis totus & nitens.

In *Sambucco*, *Liguſtro*, *Syringa*.

Huic (& priori) antennarum articulus primus cæteris minor. Caput ſubcordatum, ſulco medio ad nucham exaratum. Thorax fere æque latus ac longus: linea media dorſali depreſſa. Elytrum ubique æque latum, apice rotundatum, lineis binis elevatis. Alæ fuſceſcentes.

186. Meloe *Cinnaberinus.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* 1.

Diagn. Elytra & caput utrinque, thorax ſuperne, rubra. Oculi, antennæ, thorax ſubtus, abdomen totum, pedesque nigri.

Octobri M. in *Braſſica oleracea* capitata repertus & adlatus.

Habitus *Cantharidis.* Caput depreſſum & fere cordatum. Maxillæ nigræ, prominentes, apice bidentatæ. Palpi rubri (4): articulo extimo cuneiformi, obtuſo, maiore. Antennæ moniliformes; articulis ſubovatis, æqualibus, villoſis. Oculi prominentes. Thorax depreſſus, tetragonus, punctatus; margine laterali nigro, ſulcis duobus parallelis in medio longitudinaliter exaratus, ſubtus macula rubra media notatus. Elytra coccinea, quaſi holoſericea, rigida, non punctata, plica una ſubmarginali. Abdomen margine minime papilloſum, villoſulum. Femora clavata. Alarum coſtæ rubellæ.

MORDELLA.

Ad baſim femorum poſticorum lamina lata ſupera aut infera.

(*) *Lamina ſupera.*

187. Mordella *Gigantea.*

El. *long.* lin. 8. *lat.* $2\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 408. Bupreſtis 1.

Diagn. Cuprea; elytris nigro-punctatis: apice rugoſo, bidentato.

Tergeſti capta, & data mihi A. 1761.

Tota punctis prominulis & in rugulas confluentibus lucidis exaſperata, cuprei coloris magis ſubtus quam ſupra. Elytrum nigris nitidis punctis variegatum, ad apicem ſtriato-rugoſum, apice ipſo bidentato, ſubtus fuſcum ſtriatum. Abdomen ſupra virens, ſubtus cupreum. Thorax ſubtus e medio inferens ſterno laminam ſubcanaliculatam.

188.

188 Mordella *Ruſtica.*

El. *long.* lin. 6. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 409. Bupreſtis. 8.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 43. Bupr. 1.

Diagn. Caput & thorax punctata, elytrum ſtriatum: apice oblique truncatum.

Habitat *Idriæ* in intimis cuniculis Fodinarum *Hydrarg*: dicta ab operariis *Schpanſcha mucka;* reperitur & alibi circa hortos, imo & ſub arborum corticibus.

Maxillæ nigræ, edentatæ, interne marginatæ. Oculi igneo-aurati; a morte nigri. Thorax ſæpe virens, capiti concolor, marginatus, punctatus, ſubtus e medio mucronem proferens. Elytrum modo æneum, modo fuſcum, modo æneo-virens, 10-ſtriatum, apice truncatum. Abdomen ſupra violaceum, ſubtus violaceo-virens, punctatum, nitens. Huic & priori, antenn. articuli ſemicordati, (12).

189 Mordella *Serraticornis.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 1.

Diagn. Tota punctata, ſupra punctis prominulis, corpore cylindraceo, colore metallico, elytris apice ſerrulatis.

In *Salice viminali.*

Statura *Elateris Sanguinei.* Antennæ articulis trigonis, qui ſimul uniti ſerrulæ dentes repræſentant. Oculi, in mortuo, nigri, oblongi. Thorax ſubtus mucrone plano. Alæ fuſco-hyalinæ. Abdomen ſupra violaceum.

Variat 1. Elytris aurato-viridibus, corpore ſubtus cupreo.

2. Corpore ſupra aurato-rubro, ſubtus æneo.

190 Mordella *Roſacea.*

El. *long.* lin. 2⅓. *lat.* 1.

Diagn. Thorax pone marginatus. Elytra marginata, apice rotundata. Abdomen ſupra æneo-fuſcum.

In Floribus, quos *Roſaceos* dixit *Tournef.*

Tota

Tota punctata: punctis ſupra prominulis congeſtis, ſubtus impreſſis. Anten. articuli ſemicordati. Oculi & manus nigri coloris. Thorax latus, pro ratione corporis ideuque planior quam in prioribus. Animal iners, anthophilum, diu in uno loco hærens.

Variat 1. Colore ſupra & infra viridi, abdominis ſuperna parte tamen æneo-fuſca. An hæc *Bubreſtis Viridis.* Linn.?
In floribus *Roſarum* hortenſium.
2. Capite & thorace viridi, elytris fuſco-cupreis, ſubtus æneo-virens.
3. Fuſca tota, ſubtus lucidior.
In flore *Ranunculi flammulæ.*
4. æneo-fuſca, ſubtus æneo-virens.
In flore *Anemones ſylv.*

191. Mordella *Cuprea.*

El. *long.* lin. 9. *lat.* 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 410.) Bupreſt.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 43.)

Diagn. Elytrum fuſcum, rugoſum, nitens, mucrone exiguo terminatum. Corpus totum ſubtus, pedesque, cuprei coloris.

Rarior apud nos, in *Carniolia* calidiore. *Græcio* quoque miſit Cl. P. Poda.

Caput, thorax, elytris concolor. Thorax lateribus ſcabriuſculis. Caput rugoſo-punctatum. Antenn. articuli teretiuſculi: apice dilatati. Scutellum eſt tuberculum planum, rotundatum, ſtipitatum. Elytrum margine externo ad baſim duplicatura, dente utrinque terminata, auctum, apice mucronatum. Corpus ſubtus cuprei pulcherrimi coloris, foveis varioloſis & excavatum cicatrizatum.

(**) *Lamina infera.*

192. Mordella *Aculeata.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* vix. 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 420.
Faun. Svec. 2. 832.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 47.

Diagn. Nigra; capite inflexo; abdomine mucronato; pedibus ſaltatoriis. In

In floribus apud nos, frequens.

Antenn articuli (10.), quorum ſeptem exteriores craſſiores. Lamina femoralis, ſub femoribus, & ultra eadem exporrecta. Corpus agile, ſaltu ſeſe in aera librans.

Variat 1. Statura fere decuplo minore.
2. Elytro macula media, tetragona, caneſcentibus nitidis villis facta, alio in ſitu oculi penitus evaneſcente.

BUPRESTIS.

Antennæ thorace nunquam breviores. Caput deflexum, dimidio intra thoracem retractum. Thorax pulvinatus. Abdomen obtuſum.

(*) *Unicolores.* (†)

193. BUPRESTIS *Syngeneſiæ*.

El. *long.* lin. $2\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Violacea aut virens, punctata; elytris abdomine brevioribus; antennis nigris.

Caput, poſt mortem, totum retrahitur intra thoracem. Antennæ thorace longiores dilatatæ.

Thorax cum elytris punctatus, nitens: punctis impreſſis, angulo baſeos tumido. Abdomen villoſulum, ſed magis poſtice. Sub abdomine ad apicem foveola ovalis.

Variat 1. Colore ovato-aurato.
LINN. Syſt. Nat. p. 370.
Faun. Svec. 2. 516.
Chryſom. *Hypochæridis.*
2. — Atro-cæruleo.
In floribus *Gymnomonosp. Radiatis.*
3. — Violaceo.
In floribus *Buphthalmi ſalicifol.*
4. — Viridi.
Ibidem.

194.

(†) Colore eodem capitis, thoracis, elytri.

194. Bupreſtis *Specularis.*

El. *long.* lin. $1\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{3}{4}$.

Diagn. Ovata, æneo-obſcure virens, nitidiſſima, ſubtus ferruginea.

Circa *Idriam* reperi, A. 1760.

Nihilo major ſemine *Cannabis*, perfecte ovalis, ſuperne *Dytiſco Natatore* fere lucidior, & ſpeculum referens, minutiſſimis punctulis impreſſis notata, ſubtus tota ferruginea.

195. Bupreſtis *Aquatica.*

El. *long.* lin. $\frac{2}{3}$. *lat.* $\frac{1}{3}$.

Diagn. Pulice minor, ovata, nigra; antennis tibiisque rufis.

Ad fontium ſcaturigines, ſub ſaxis, in aqua degit.

Antennæ, huic uni, breves. Thorax cum elytris ſubvilloſus. Elytrum binis tribusque lineolis elevatis ſtriatum, ſubtus fuſcum.

196. Bupreſtis *Umbellatarum.*

El. *long.* lin. $1\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{3}{4}$.

Diagn. Splendor & magnitudo *Specularis*, ſed ſubtus atra.

In floribus plantarum *Umbelliferarum*, præſertim *Cari carvi.* Majo M.

Elytra punctatim ſtriata.

197. Bupreſtis *Miliaris.*

El. *long.* lin. 1. *lat.* $\frac{1}{2}$.

Diagn. Ovata, nigra, nitens; antennis apice albidis.

In floribus *Aſtrantiæ acaulis. Fl. Carniol.*

Tota nigra, minime punctata. Antennæ thoracis longitudine.

(**) *Bicolores.*

198. Bupreſtis *Chryſocollis.*

El. *long.* lin. $1\frac{1}{3}$. *lat.* $\frac{2}{3}$.

Diagn. Caput & thorax aureo-rubra. Elytra atro-cærulea. Tibiæ ferrugineæ.

In floribus.

Oculi

Oculi nigricantes. Corpus oblongum. Thorax cum elytris marginatus. Elytra punctatım ſtriata. Abdomen ſubtus lucidius. Pedes antici & medii toti, poſticorum ſolæ tibiæ, ferruginei coloris. Valde ſimilis Chryſom. *Nitidulæ* Linn. Faun. Svec. 542. ſed non eadem.

199. Buprestis *Salicina.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* fere 1.

Diagn. Atro-cærulea; antennis baſi, thorace, abdomine ſupra, pedibusque rufis.

In *Salicibus* non rara.

Thorax & elytra punctata. Abdomen pone acutiuſculum.

Chryſom. *Nitida β.* P. Poda. Muſ. Græc. p. 27. huc pertinet.

200. Buprestis *Cæruleſcens.*

El. *long.* lin 2. *lat.* lin. 1.

Diagn. Tota cæruleſcens; elytris flavis.

Habitat in *Carnioliæ* ſalicetis.

Tota villoſula & nitens. Elytra minus villoſa, punctata: punctis ſparſis, excavatis.

(***) *Maculatæ.*

201. Buprestis *Biguttata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Diagn. Nigra, nitens; elytris ſubſtriatis punctatis: apice rubris.

Reperi in *Corylo.*

Antennæ elytri longitudine, baſi rubræ. Thorax nitidior. Ad apicem elytri macula lunata rubra, in cadavere flaveſcens.

202. Buprestis *Moræi.*

El. long. lin. 1½. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 374. Chryſom. 52.
Faun. Svec. 2. 550.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 28. hæc, vel prior.

Diagn. Nigra, oblonga, nitens; elytris apice & macula marginali rubris flaviſve.

In *Dactyli glomerata.*

Antennæ articuli primi tres ſubtus flavi, alibi, cum aliis omnibus ubique, nigri. In fronte puncta duo flava, baſi coalita, ut ſic cordis figuram referant. Thoracis margo anticus flavus, ut & anguli poſtici. Elytrum ſtriatum: ſtriis punctatis, apice flavis, macula marginali conica flava, apice ſuo baſeos angulum contingente. Tibiæ anticæ luteæ. Variat ſtatura duplo minore, cæterum eadem.

203. Buprestis *Sanguinolenta.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 371. Chryſom. 26.
Faun. Svec. 2. 529.

Diagn. Nigra; elytris fulvis, margine, medioque nigris.

Antennæ elytri longitudine. Elytrum ſtriis decem punctatis, punctorum ſeriebus in media nigra parte ſenis, in fulva vero utrinque binis.

Habitatio in *Salice viminali.*

204. Buprestis *Lunata.*

El. *long.* lin. $1\frac{1}{4}$. *lat.* $\frac{2}{3}$.

Diagn. Nigra, ſubopaca; linea frontali lunata elytriſque apice luteis; pedibus ferrugineis.

In *Salice viminali* copioſa, usque ad floreſcentiam *Scabioſæ ſucciſſæ.*

Elytrum punctatum, ſtriis binis prope ſuturam exteriorem.

Variat 1. Thorace maculis binis luteis.
2. — — immaculato.
3. Elytro maculis binis.
4. — punctis in unum congeſtis lineaque antica, flavi coloris.
5. — immaculato.

205. Buprestis *Unifaſciata.*

El. *long.* lin. $1\frac{2}{3}$. *lat.* $\frac{3}{4}$.

Diagn. Nigra; thorace fulvo; elytro flavo: baſi faſciaque nigris.

In *Salicibus,* & *Athamanta oreoſel.*

Antennæ thoracis longitudine: articulis primis duobus minoribus & ſubrufis. Faſcia elytri marginem utrumque intactum ſinit, una cum macula ba-

baſeos, quarum color non raro atro-cæruleus eſt. Elytra neque punctata, neque ſtriata. Femorum apices & tibiæ totæ fulvæ.

206. BUPRESTIS *Quadripunctata.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 1½.
LINN. Syſt. Nat. p. 374. Chryſom. 50.
Faun. Svec. 2. 547.

Diagn. Nigra, nitens; elytro rubro: macula antica magna ovata utrinque obtuſa punctoque ad angulum baſeos, nigri coloris.

In *Salicibus.*

Caput ſcabriuſculum. Antennæ longitudine thoracis. Thorax politiſſimus. Elytra punctata. Alæ fuſceſcentes. Corpus ſubtus villoſum.

207. BUPRESTIS *Quinquepunctata.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Diagn. Nigra; elytris fulvis, margine punctisque (5.) nigris: uno communi.

Cum priore.

Macula frontalis ovata, antennæ baſis, margo lateralis, anticus, lineaque longitudinalis abrupta thoracis, fulvi coloris. Antennæ thorace longiores. Thorax & elytra punctata.

208. BUPRESTIS *Sexpunctata.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* 1½.

Diagn. Nigro-cærulea, oblonga, villoſula; elytris flavis: punctis tribus atris.

In *agro Vipacenſi*, circa vias publicas, ad frutices.

Antennæ thoracis longitudine. Elytri punctorum par unum anticum, aliud ad angulum baſeos.

209. BUPRESTIS *Octopunctata.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Diagn. Nigra; elytro fulvo punctis (4) nigris: interioribus minoribus.

In Salicetis.

In fronte macula ovata transverſa fulveſcens. Thorax nitens, margine antico laterali lineaque media abrupta, fulvi coloris, alibi niger. Elytrum punctatum, fulvum, margine nigro, duobusque pa-

 ribus

ribus punctorum nigrorum, quorum interior minor eſt.

210. Bupreſtis *Fur.*

El. *long.* lin. $1\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{3}{8}$.
Linn. Syſt. Nat. p. 393. Cerambyx 33.
Faun. Svec. 2. 657.

Diagn. Thorax latere unidentatus: tuberculis poſticis binis.

In herbariis, collectionibus inſectorum & avium, nimium frequens; muſæorum peſtis.

A *Cerambycibus* removent antennarum articuli æquales: primo baſi minime dilatato, & caput intra thoracem ſemiretractum.

Color ruſeſcens. Thorax pone plicis duabus mediis. Elytrum ſtriatum: ſtriis villoſis, verſus baſim faſcia alba, ad apicem vero puncto albo; idem ſubtus punctis ocellatis: pupilla lucida, iride obſcuriore.

Variat 1. Colore ferrugineo, abſque faſciis, & tuberculis thoracinis obſcurioribus.
2. Faſciis elytri (2) albis.

CHRYSOMELA.

Antennæ thorace etiam duplo longiores, articulis plerisque æqua'ibus. Caput porrectum, & nunquam adeo craſſum, deflexum, & intra thoracem reconditum, ut in *Bupreſtibus*.

(*) *Ambulatoriæ.*

211. Chryſomela *Alni.*

El. *long.* lin. $2\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{4}$.
Linn. Syſt. Nat. p. 369.
Faun. Svec. 2. 511.
Frisch. Inſ 7. Tab. 8. fig. 4. 5.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 26.

Diagn. Punctata, oblonga, & homogeneo violaceo colore tincta.

In *Alno.*

Ca-

Caput in cadavere leniter deflexum, ſed thorace duplo anguſtius, fronte impreſſa.

(**) *Saltatoriæ.*

212. Chrysomela *Oleracea.*
El. *long.* lin. 1½. *lat.* ½.
Linn. Syſt. Nat. p. 372.
Faun. Svec. 2. 534.
Diagn. Tota cæruleo-vireſcens.
In plantis variis.
Thorax punctulatus: ſulco transverſo prope marginem poſticum. Elytrum punctis excavatis ſparſis.

213. Chrysomela *Chryſocephala.*
El. *long.* lin. 1½. *lat.* ¾
Linn. Syſt. Nat. p. 372.
Faun. Svec. 2. 535.
Diagn. Atro-cærulea; capite antice, antennis infra medium, tibiisque rufis.
In plantis.
Elytrum tenuiter ſtriatum, punctatum.

214. Chrysomela *Rufipes.*
El. *long.* lin. 1½. *lat.* ½.
Linn. Syſt. Nat. p. 373.
Faun. Svec. 2. 545.
Diagn. Elytra ſtriata atro-cærulea. Thorax, antennæ, caput, pedesque rufi coloris.
In floribus, & plantis.
Oculi nigri, opaci. Antennæ villoſulæ. Elytrum ſtriis (10) punctatis. Abdomen ſupra rufum, apice ſubtusque nigricans.

215. Chrysomela *Nemorum.*
El. *long.* lin. brevior. *lat.* ½.
Linn. Syſt. Nat. p. 373.
Faun. Svec. 2. 543.
Diagn. Nigra; elytris linea media, longitudinali, teſtacea.
In floribus *Cardamines*, aliorumque *Naſturtiorum*, copioſa.

Vere acrivora, infenſa *Tetradynamiis;* thorace elytrisque punctatis; varians elytri linea albida teſtacea ochroleuca.

216. CHRYSOMELA *Ferruginea.*
El. *long.* lin. 1½. *lat.* ¾.

Diagn. Tota ferruginea; oculis nigris.
In *Carniolia* non rara, in plantis.
Elytra ſtriata: ſtriis punctatis. Alæ immaculatæ, albo-hyalinæ.

217. CHRYSOMELA *Atricilla.*
El. *long.* lin. 1. *lat.* ½.

LINN. Faun. Svec. 2. 537.
Diagn. Caput, corpus utrinque, & femora poſtica, nigro colore tincta; reliqua teſtacea.
In gramineis; Aprili. M.
Elytra margine nigro, ad lentem obiter punctata Acu transfixa antennas in omnem partem continuo & celeriter agitat.

218. CHRYSOMELA *Truncata.*
El. *long.* lin. ¾. *lat.* ⅓.

Diagn. Nigra; elytris truncatis: apice ferrugineis; pedibus antennisque rufis.
In corticibus arborum pomiferarum.
Tota alias nigra, lucida, ovata; elytris neque punctatis, neque ſtriatis.

219. CHRYSOMELA *Lurida.*
El. *long.* lin. ¾. *lat.* ½.

Diagn. Fuſco-rufa; abdomine oculisque nigris.
In *Salvia ſclarea.*
Statura *Chryſ. Nemorum*, habitus *Atricillæ;* ſed caput & pedes omnes, una cum thorace, elytris concolores. Elytrum punctatum, ſubpellucens.

COCCINELLA.

Capite porrecto, thorace duplo anguſtiore,

convenit cum *Chryſomela*, a qua differt antennis thorace vix longioribus, extrorſum craſſioribus.

(*) *Unicolores.*

220. Coccinella *Graminis.*

El. *long*. lin. 4. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 359. Chryſom. 4.
Faun. Svec. 2. 509.

Diagn. Viridis, nitens; alis rubellis.

In herbidis.

Aureus nitor, ex virore, præſertim elytri, translucet. Thorax, una cum elytris, punctatus, ſed in elytris puncta majora ſunt. Abdomen ſupra nigrum. Alæ rubellæ: apice excolores. Antennæ juſto longiores, valde adfinem faciunt cum *Chryſ. Alni*, ut & iſta, huc etiam trahi poſſit, *Chryſomelis Saltatoriis* in unum gregem congregatis.

221. Coccinella *Betulæ.*

El. *long*. lin. $3\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{4}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 396. Chryſom. 7.
Faun. Svec. 2. 514.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 26.

Diagn. Tota violacea, ovata; antennis nigricantibus.

In *Betula.*

Elytrum ſtriatum, ne quidem lente, invenio; ſed punctis ſparſis & majoribus inſculptum ac thorax. Venter pedesque pariter violacei. Antennæ nigricantes. Alæ ſine rubore.

222. Coccinella *Vulgatiſſima.*

El. *long*. lin. $2\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{8}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 370. Chryſom. 13.
Faun. Svec. 2. 517.

Diagn. Obſcure cærulea, ovato-oblonga; antennis baſi ferrugineis; abdominis apice rubello.

In ſylveſtribus non rara.

Cavendum, ne confundatur cum *Coccin. Betulæ*, a qua, ex data diagnoſi, vere differt.

223. Coccinella *Riparia.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Diagn. Oblonga, nitens, obſcure cærulea tota; elytris punctatim ſtriatis.

Ad ripas fluviorum in *Salicibus*, non rara.

Chryſom. *Sericea* Linn. proxima eſt, non tamen eadem, ut ejus deſcriptio, in nova *Faun. Svecica* data docet.

224. Coccinella *Vitellinæ.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 370. Chryſom. 14.
Faun. Svec. 2. 519.

Diagn. Ovata, e rubro-ænea, nitens.

In *Salice* & *Populo.*

Color æneus ad cupreum vergens, cum aliquo rubore immixto. Elytra, thorax, & corpus ſubtus punctatum.

225. Coccinella *Hæmorrhoidalis.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 369. Chryſom. 3.
Faun. Svec 2. 508.

Diagn. Ovata, nigra, nitida; antennis baſi flaveſcentibus; ano rubro. Ill. Linn. l. c. optime.

In *Salice viminali.* Aprili. M.

Elytrum ſeriebus novem longitudinalibus punctorum excavatorum. Thoracis latera punctata. Antennæ baſis, una cum articulis tribus primis ruſo-flaveſcentibus. Anus quandoque fulvus.

226. Coccinella *Erratica.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* ½.

Diagn. Oblonga nitida viridi-ænea; elytris punctatim ſtriatis.

In ſylvis, & ruri degit, incertæ ſedis animal.

Elytra pone dehiſcentia.

227.

227. Coccinella *Ruſipes.*

El. *long.* lin. 1$\frac{3}{4}$. *lat.* $\frac{3}{4}$.

Diagn. Oblonga, nigra, nitida; antennis pedibusque rufis.

Inveni in alpibus *Carnioliæ ſuper.* An. 1761.

Palpi pedibus concolores. Elytra ad lentem tenuiſſime punctulata.

(**) *Bicolores.*

228. Coccinella *Populi.*

El. *long.* lin. 4$\frac{1}{2}$. *lat.* 2$\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 370. Chryſom. 20.
Faun. Svec. 2. 523.

Diagn. Noſtrarum gigas; elytris rubris: apice nigris; ano rubro; alibi atro-cærulea.

In *Salice viminali.*

Thorax elytris nitidior: lateribus punctatis. Elytra punctata, in cadavere rufeſcunt. Abdominis margo & apex, elytri colore tincti. Propriis acaris, effœta, infeſtatur, de quibus ſuo loco. In utroque ſexu elytra rubra ſunt.

229. Coccinella *Polita.*

El. *long.* lin. 3$\frac{1}{4}$. *lat.* 1$\frac{2}{3}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 370. Chryſom. 18.
Faun. Svec. 2. 522.

Diagn. Aurato-viridis; elytris rufis.

Ego in *Mentha aquatica* reperi.

Elytra punctata, fuſco-ferruginei, & rufi coloris, in utroque ſexu. Alæ rubræ.

230. Coccinella *Liturata.*

El. *long.* lin. 3$\frac{1}{2}$. *lat.* fere 2.

Diagn. Aurato-virens; thorace elytroque faſciis binis, longitudinalibus, violaceis.

In floribus *Veratri nigri.*

Oblonga. Caput virens. Oculi antennæque nigri coloris. Thorax violaceus, punctatus: margine laterali aurato-viridi. Elytrum punctis excavatis, nitidum, aurato-virens: faſciis (2) longitudinalibus fuſco-violaceis, ad baſim elytri liberis, nec eam penitus occupantibus, ad apicem, quem pariter non

 attin-

attingunt, conjunctis & attenuatis. Alæ rubræ: apice excolores. Abdomen ſubtus pedesque aurato-virides. Pectus obſcure violaceum, & quaſi nigricans. Aliam *Hemipteram.* LINNÆUS habet, ſed ovatam, violaceam, & abſque lituris.

231. COCCINELLA *Specioſiſſima.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1½.

Diagn. Ovata; elytris auratis: margine lineaque media cærulei coloris.

In ſylvis noſtris, non rara.

Oculi nigri. Caput & thorax aurato-viridis coloris. Elytra punctata, ſplendidiſſima: lineæ mediæ violaceæ margine cæruleo. Alæ abſque rubore. Antennæ pedesque aurato-virides. Pectus & abdomen ſubtus ſericeo-cæruleſcentis coloris.

232. COCCINELLA *Faſtuoſa.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1½.

Diagn. Ovato-oblonga, fulgida, aurato-virens; elytris aureis: margine lineaque viridibus; alis rubris.

Copula junctas, copioſe reperi non ſemel in *Galeopſide tetrahit*, & quidem Variet. (a) *Floræ Carniol.* Auguſt. M.

Elytrum villis remotis adſperſum.

Variat. 1. Colore ubique aureo.
2. Aurato-viridi.
3. Thorace aurato-viridi: margine laterali elytrisque aureis.

233. COCCINELLA *Signata.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1½.

Diagn. Ovata, rubra; thorace punctis binis, capite, corpore ſubtus, pedibus nigris.

In Salicetis.

Elytra punctatim ſtriata. Scutellum nigrum. Abdominis apex & margo elytri colore; alibi nigrum. Color ruber in cadavere tranſit in rufum.

(***) *Maculatæ.*

(†) Elytris rubris.

234. COCCINELLA 2-*Punctata.*
El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1½.

LINN. Syſt. Nat. p. 364.
Faun. Svec. 2. 471.
FRISCH. Inſect. 9. Tab. 16. fig. 4.

Diagn. Elytrum unico nigro puncto medio notatum.

In *Salice*, *Alno*, *Prunis hortenſibus.*

Variat 1. Thorace in medio punctum oblongum album gerente, & maculam lunatam poſticam.
2. — abſque hoc puncto, &, loco maculæ lunatæ, punctis binis baſi conjunctis.
3. — macula laterali alba, & flaveſcente.
4. — punctis (2) albis anticis, lineaque alba poſtica marginali.
5. Elytris flaveſcentibus FRISCH. l. c. ſed rariſſime.

235. COCCINELLA 7-*Punctata.*
El. *long.* lin. 3. *lat.* 2.

LINN. Syſt. Nat. p. 365.
Faun. Svec. 2. 477.
ROBS. Scarab. Terr. Cl. III. Tab. 2. fig. 3.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 24. cum metamorphoſi.

Diagn. In elytris ſunt puncta nigra 6 diſtincta, ſeptimum vero utrique commune, ad angulum ſcutelli, reliquis maius.

In plantis variis.

In Svecicis ſpeciminibus, puncta duo in fronte, & latera thoracis alba ponit Ill. LINNÆUS, quæ in noſtris flavicant. Larva quoque LINN. cinerea, P. PODA cæruleſcens, apud nos nigricans, & in pupam fulvam tranſiens, nigro-maculatam.

236.

236. Coccinella 9-*Punctata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 365.
Faun. Svec. 2. 478.

Diagn. Elytra punctis (8) diſtinctis: nono communi prope ſcutellum.

In *Salicibus.*

Caput ſub oculis macula flava utrinque, inter quas minor trigona frontalis. Palpi colore manuum. Thorax margine laterali & antico flaveſcente. Elytra ad angulum ſcutelli flava.

Variat 1. Thorace punctis binis flaveſcentibus.
2. — margine albo, maculisque duabus albis ſupra antennas.
3. elytro punctis tantum tribus liberis, ſeu absque puncto baſeos.

237. Coccinella 10-*Punctata.*

El. *long.* lin $2\frac{1}{2}$. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 371. Chryſom. 22.
Faun. Svec. 2. 525.

Diagn. Elytrum duobus paribus punctorum nigrorum, quinto ſolitario marginali.

Oblonga potius, quam ovata. Elytris punctatis punctis vagis, aliisque in lineas longitudinales diſpoſitis.

Variat 1. Thorace toto nigro.
2. — lateribus ſolis fulvis.
3. — lateribus & margine antico fulvis.
4. Elytro punctis binatis anticis, ad apicem binis oblongis alternis.
5. — punctis (5), ſed duobus ad apicem majoribus & confluentibus.

Elytra huic fulva potius, quam rubra.

238. Coccinella 13-*Punctata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 366.
Faun. Svec. 2. 481.

Diagn.

Diagn. Thorax latere flaveſcens: punčto nigro ibidem. Elytrum punčtis (6) liberis: ſeptimo communi ad angulum ſcutelli.

Celeberr. Linnæus elytra rubra non vidit, ut ego nunquam flava.

239. Coccinella 24-*Punctata.*

Fl. *long.* lin. — *lat.* —

Linn. Syſt. Nat. p. 366.

Faun. Svec. 2. 487.

Diagn. In quolibet elytro puncta (12), nigra.

Oculi nigri. Thorax puncto poſtico nigro. Puncta elytri, in noſtris, ita ſe habent. Prope baſim tria diſtincta: exteriore minore; in medio quatuor: tribus majoribus ſubæqualibus non ſemper coalitis; tria verſus apicem: binis coalitis; duo ad apicem libera & coalita.

(††) Elytris flavis

240. Coccinella 16-*Punctata.*

El. *long.* lin. — *lat.* —

Linn. Faun. Svec. 2. 483.

Diagn. Thorax flavus; punctis (6) atris. Elytra punctis nigris (16).

Deſcriptionem *Labaco* communicavit Amiciſſ. P. Wulfen S. J.

Antennæ & pedes flavi coloris. Corpus ſubtus atrum. Puncta ad elytri baſim duo, dein tria, & denuo tria, oblique transverſim ſita.

241. Coccinella 18-*Punctata.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* 1.

Diagn. Puncta (8) nigra in quolibet elytro pleraque cohærentia.

Circa *Idriam*, in pomariis.

Caput flavum, oculis punctisque binis atris. Thorax flavus, punctis (7), inæqualibus, nigris. Elytri punctum apicis perpetuo liberum, cætera ſæpius coalita. Abdomen nigrum: apice fulveſcente, pedibus concolore. Proxima eſt *Coccinellæ* 19-*punct.* Linn.

242.

242. Coccinella 20-*Punctata.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1⅓.

Diagn. Elytrum flavum; punctis oblongis, nigris (10).

In *Salicibus.*

Oblonga magis, quam ovata, nigro-cæruleſcens, nitida. Caput in medio impreſſum. Thorax elytris lucidior, punctulatus: margine laterali flavo. Elytrum margine interno nigro, punctis excavatum, cujus margini toto adſtant puncta octo, duobus aliis in medio horum ſitis; punctum anguli baſeos reliquis lucidius, punctum vero apicis ſublunatum. Apex abdominis, tibiæ, femorum baſes fulvum colorem habent.

243. Coccinella *Teſſulata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 366. 14-Punctata.
Faun. Svec. 2. 482.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 25.

Diagn. Elytrum flauum: margine interno punctisque angulatis (7), plerisque contiguis.

In *Salice*, & *Urtica dioica.*

Incertus punctorum elytri numerus horum cohæſio varians & etiam nulla, quadrata denique figura & unio ſæpe talis, ut quadratæ pariter & ejusdem magnitudinis ſint areæ interjectæ flavæ, novum nomen genuerunt. Oculi nigri. Thorax flavus: macula nigra lata poſtica emarginata, aut lobata. Elytri ſutura interior nigra. Pedes flavi, femoribus exterius atris. Variat tribus paribus punctorum nigrorum in capite, femoribus apice nigris.

(†††) Elytris nigris.

244. Coccinella 4-*Puſtulata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 367.
Faun. Svec. 2. 499.

Diagn. Nigra; elytro maculis binis, rubris: anteriore majore.

In *Urtica.*

Anten-

Antennæ rufeſcentes: apice nigræ. Thorax antice punctis duobus albidis, pone pari uno punctorum excavatorum.

Variat 1. Thoracis margine laterali albido.
2. — punctis anticis aureis.
3. Elytri macula baſeos ſubquadrata, aut angulo ſcutellum reſpiciente deſtituta, ejusque loco ſinu excavata.
4. Abdom. apice rubro.

245. Coccinella 6-*Puſtulata.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 367.
Faun. Svec. 2. 500.

Diag. Nigra; elytro maculis tribus rubris: anteriore majore.

In *Salicibus*, & circa hortos.

Major priore eſt. Thorax margine laterali rubro. Caput prope oculos puncto flavo. Elytri macula apicis, & alia ei proxima, ſubrotundæ, antica triplo minores, ſubæquales; macula antica, ſeu baſeos, ſubquadrata, & puncto nigro antice notata. Abdominis margo ruber.

246. Coccinella 14-*Puſtulata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 368.
Faun. Svec. 2. 502.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 26. 14-maculata?

Diagn. Elytrum nigrum: macularum fulvarum paribus tribus, impare ſeptima ad apicem.

Ruri degit.

Maculæ vicinæ margini interno elytri ſubrotundæ ſunt, his vero oppoſitæ potius hemiſphæricæ. thoracis margo lateralis ſimili macula utrinque notatus, ejusdem margo anticus, nec non in fronte, fulvo colore tinctus. Tibiarum apicibus, manibusque fulvis.

147. Coccinella *Faſciata.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1½.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. p. 371. Chryſomela 24.
Faun. Svec. 2. 527.

Diagn. Nigra; elytro faſciis binis repandis, maculaque in apice, fulvis.

Habitat in *Boleto ſalicis.*

Caput vertice depreſſo. Thorax punctatus, niger. Elytrum punctatim ſtriatum: baſi faſcia integra latiore dentata; in medio alia faſcia tenuiore, ſed ſupra margines non extenſa; in apice macula conica; elytri margine ibidem manente nigro. Abdomen ſupra fulvum, ut & caput ſubtus.

(††††) Elytris alterius coloris.

248. Coccinella 14-*Guttata.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1¼.

Linn. Syſt. Nat. p. 367.
Faun. Svec. 2. 492. errore calami, 14-*punctata* dicta.

Diagn. Elytrum rufum, rubrum. Linnæo, flavum P. Poda. *Muſ. Græc.* p. 25. punctis ſeptem albis.

In hortis, & pratis.

Statura *Coccin.* 2-*Punct.* Oculi fuſci. Thoracis latera alba. Elytri punctum unum in angulo ſcutelli, dein tria, mox duo, ſeptimum vero impar prope apicem, omnia ſubrotunda, albida. Cadaver clytra ferruginea gerit.

249. Coccinella. 16-*Guttata.*

El. *long.* lin. fere 3. *lat.* 1½.

Linn. Faun. Svec. 2. 493.

Diagn. Elytrum rufum; maculis octo, albis.

Inveni in foliis *Pyri communis.*

Tota rufo-flava. Oculi nigri una cum poſtica capitis parte ſub thoracis clypeo reconditi, & ex eo tranſparentes, ut ideo ad *Caſſidas* etiam referri poſſit. Thorax eſt clypeus planiuſculus, lucidus, antice emarginatus, maculis luteis ſex, quarum tres poſticæ. Elytra cum thorace punctata lucida. Palpi articulus ultimus hemiſphæricus.

250. Coccinella 4-*Maculata.*

El. *long.* lin. 2¼.

Diagn.

Diagn. Elytrum fuſcum; maculis fulvis.

Circa *Idriam*, reperta Majo M.

Caput nigrum, antico margine maculaque oculis adjacente fulvi coloris. Thorax niger: margine laterali fulvo. Elytrum tenuiter punctatum: baſi macula magna tetragona fulva, aliaque rotunda infra medium, interno margini incumbente, minore. Corpus, pedesque nigri. Manus rufeſcentes. Valde dubito, eſſe varietatem *Coccinellæ 4-puſtulatæ*.

251. Coccinella 10-*Maculata*.

El. *long.* lin. 1⅓. *lat.* 1.

Diagn. Elytrum fuſco-rufum; maculis (5), flavicantibus.

In *Salicibus.*

Caput flavum. Oculi nigri. Thorax flavus. Duobus paribus punctorum nigrorum. Elytrum punctulatum, & maculis flavis ita variegatum, ut color fuſcus ab iis relictus crucem efformet baſi latæ impoſitam. Corpus nigrum. Pedes elytris concolores.

TENEBRIO.

Linn. *Syſt. Nat. p.* 417.

(*) *Apteri.*

252. Tenebrio *Mortiſagus.*

El. *long.* lin. 8. *lat.* 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 418.
Faun. Svec. 2. 822.
Frisch. Inſ. 13. Tab. 25. p. 27.
P. Poda, Muſ. Græc. p. 47.

Diagn. Niger, apterus; elytris latere inflexis & abdomen ibidem tegentibus, acuminatis: acumine trigono.

Inter hortorum rejectanea.

Statura & habitus *Carabi Majoris.* Antenn. articulus primus baſi tuberoſus, cæteris duplo certe longior. Caput punctatum. Thorax tetragonus, baſi truncatus, latere antice rotundatus, antice leniter excavatus, punctatus, margine antico ſupra & infra villis parvis rufis ciliato. Elytra punctata,

 con-

connata: acuminis angulis obtuſis & nodoſis, ſubtus rugoſis. Thorax ſubtus mucrone incurvo, inter duos tumores villoſos, ſubrotundos, poſitos ad baſes femorum anticorum. In medio marginis inciſuræ primæ abdominis ſubtus faſciculus pilorum ruforum.

253. Tenebrio *Ventricoſus*.

El *long.* lin. 5. *lat.* 2½.

Linn. Faun. Svec. 2. 824. gibbus? certe parum differt.

Diagn. Nigricans, apterus; elytris apice deflexis, connatis; abdomine ovato, turgido.

In ſuffocatis.

Antennæ villoſulæ. Caput vertice depreſſo & complanato. Thorax cum capite punctatus, baſi ſubrotunde truncatus, latere rotundatus, antice leniter excavatus. Elytra punctulata, opaca, latere inflexa, coalita, apice deflexa. Abdom. ſubtus atrocæruleum: apice nudo, ſeu ab elytris minime tecto. Femora nitida, cæruleo-violacea, ſubclavata. Manus ſubtus fuſceſcentes.

254. Tenebrio *Bupreſtoides*.

El. *long.* lin. 4½. *lat.* 2½.

Diagn. Apterus, atro-cæruleſcens, punctatus; capite deflexo; thorace lato, pone rotundato.

In arvis, & hortis, rarus.

Priore paulo minor, nitens. Caput nullibi depreſſum. Thorax latitudine dupla ad longitudinem, poſtice rotundatus, laterali margine craſſiore & tumidiuſculo, antice emarginatus. Elytra non adeo connata, ut in prioribus, abdomine longiora. Corpus ſubtus pedesque cæruleo-violacei, nitidi.

255. Tenebrio *Æneus*.

El. *long.* lin. 4½. *lat.* 1¾.

Diagn. Apterus, ſuperne æneus; elytris mucronatis, ſtriatis; manibus mediis ruſo villo barbatis.

In *Carnioliæ* ſuffocatis.

Palpi clavati articulo ſubtrigono. Thorax denſe punctatus. Elytrum arcuatum, mucrone teretiuſculo

culo terminatum, ſub quo interne denticulus videtur. Antennæ lineas quatuor longæ, fuſceſcentes. Corpus ſubtus & femora fuſco-rufa. Manus omnes piloſæ, magis vero mediæ. Variat colore ad nigrum vergente.

(**) *Alati.*

256. Tenebrio *Triſtis.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 1½.

Diagn. Niger, ſubopacus, totus punctis excavatis varioloſus.

In ſylveſtibus & apricis.

Thorax baſi & apice truncatus. Scutellum obtuſum. Elytra abdomine longiora.

257. Tenebrio *Pomonæ.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 2.

Diagn. Supra piceus, infra niger; elytris ſtriatis: ſtriis elevatis, quinis.

In foliis *Pyri*, *Pomi.*

Habitus & ſtatura prioris, pariterque punctatus, ſed non unicolor. Elytrum ſtriis (5) elevatis, quarum quatuor ad apicem elytri conniventes uniuntur, ſeu apicibus cohærent, una vero ad marginem internum, ſolitaria & brevior.

In folio convoluto latent larvæ duo treſve, reticulo laxo tectæ, mutandæ in Pupas ovatas flaveſcentes, verrucoſas: verrucis piloſis, capite inflexo, pedibus incurvis, abdomine acuto; unde, poſitis exuviis prodit animal totum pallide luteum; demum dictos colores acquirens.

258. Tenebrio *Capreæ.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Diagn. Teſtaceo thorace & elytris; alibi niger; thorace punctis impreſſis, (4).

Circa fœniſecium, in *Salice caprea*, copioſus.

Thorax quatuor foveolis transverſim varioloſus. Elytrum punctatum, non ſtriatum, ſubpellucidum, punctulis ſanguineis vagis verſum apicem adſperſum.

259. Tenebrio *Molitor.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 417.

Faun. Svec. 2. 815.

Diagn. Elytrum ſtriatum: ſtriis (10). Femora antica craſſiora. *Carabi* minoris ſtatura & habitus.

Habitat in molendinis, piſtrinis, fermento panis, apud nos, plerumque ex farina *Milii* cum vino in grandes rotulas figurata, compoſito.

Larva uncialis, teres, rufa, faſciis ſaturatioribus, nitens, pedibus (6) pectoralibus, lin. $1\frac{1}{2}$ craſſa, agilis: maxillis apice nigris, gratiſſima prandia *Luſciniarum. Inſecto* antennæ articulis æqualibus, glabris, fuſco-rufis. Caput punctatum, pone binis, parvis, oblongis prominentiis. Thorax cum capite niger, & punctatus, fere æque latus ac longus. Elytrum nigrum, & caſtaneum, obiter tenuiterque punctatum. Corpus ſubtus fuſco-rufum, magis nitens; Femora media tenuiora: poſtica ſine lamina ad baſim, ut in *Carabis.*

260. Tenebrio *Flavus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* $1\frac{1}{6}$.

Diagn. Totus flavus; oculis nigris.

In umbellis *Dauci Carotæ*, & *Athamantæ oreoſelini*, apud nos frequens.

Eſſet omnino *Carabus*, niſi antennæ attenuatæ non forent, & careret lamina femorali *Carabis* propria. Huic antennæ extrorſum fuſceſcentes. Palpi articulus ultimus niger. Caput punctatum. Thorax punctatus, baſi & apice truncatus, ad latus utrumque fovea notatus. Elytrum obſolete ſtriatum, ſubpellucidum, flexile. Abdomen ſupra nigrum. Tibiæ uno in latere ſpinoſo-ciliatæ.

261. Tenebrio *Boleti.*

El. *long.* lin. $2\frac{1}{2}$. *lat.* lin. $\frac{3}{5}$.

Diagn. Ferrugineus; elytris nigris: margine undique ferrugineo.

Octo reperi in averſa facie *Boleti* mei *fuliginoſi.*

Oculi nigri, reniformes. Antennæ fuſcæ: articulis ſubovatis: ultimo acuminato & rufeſcente. Inter oculos macula fuſca, obſoleta. Thorax punctatus,

ctatus, in medio fuſceſcens & ellipticam foveam habens; lateribus rotundatis, angulis poſticis acutis. Elytra punctata, ſubſtriata. Palpi duo, triarticulati, duo alii vix manifeſti. Abdomen villoſulum.

CARABUS. (x)

Linn. *Syſt. Nat.* p. 413.

Caput elongatum, palpis agilibus. Thorax (clypeus) latus, antice truncatus, marginatus. Elytra marginata. Ad baſim femorum poſticorum lamina magna Elliptica.

(*) *Majores*
ſeu
Lineis ſeptem nunquam breviores.

262. Carabus *Nitens*.

El. *long.* lin. 8½. *lat.* 3½.
Linn. Syſt. Nat. p. 414.
Faun. Svec. 2. 785.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 45.

Diagn. Thorax ſubovatus: latere antico truncato capiti contiguo, altero ſubrotundato elytris adjacente porcatis, ſeu ſtriis integerrimis ſcabriuſculis elevatis, in quolibet (16).

In putridis hortorum, ſepibus, truncis, nec non in ſylvis intra ligna carioſa putrefacta.

Caput & thorax coloris atro-violacei. Thorax lin. 2½. longus; 4. latus, absque ſulco medio. Elytrum aurato-virens: ſtriis nullibi interruptis, ſcabriuſculis tamen, ut ideo medium locum teneat inter *Nitentem* & *Auratum* Linn. *Faun. Svec.* 2. Alæ nullæ. Corpus ſubtus, una cum antennis, nigrum, quandoque & atro-violaceum. Pedes colore corporis.

263. Carabus *Granulatus*.

El. *long.* lin. 8. *lat.* 2½.
Linn. Syſt. Nat. p. 413.
Faun. Svec. 2. 781.

(x) Gens agilis, curſoria, timida, impatiens, *Lacertarum* delitiæ.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 45. N. 4. non hortenſis.

Diagn. Elytrum ſtriis longitudinalibus elevatis quatuor: binis mediis craſſioribus; inter duas quasque ſtrias eſt ſeries punctorum elevatorum, (9-11), in quolibet ordine.

Habitat in putridis arboribus, et ſepibus.

Mirum ſane, quod Ill. Linnæus punctorum elytri quidem, linearum vero elevatarum iiſdem interpoſitarum meminerit nihil. Thorax in hac ſpecie lin. 2½. longus, 3 latus, baſi, de more gentis, truncatus inſenſibiliter divergit, dein iterum convergit, antice leniter excavatus. Inter marginem elytri exteriorem & lineam ei proximam decurrit ſeries alia punctorum minorum elevatorum multorumque. Antennæ, corpus, pedesque nigri coloris.

Variat 1. Capite, thorace, elytris æneis: ad marginem externum ſub apice eroſis. Var. γ. Linn. *Faun. Svec.* l. c.

2. Simili colore, ſed elytris virore aliquo tinctis, nec ſub apice excifis. Var. β. Linn. l. c.

264. Carabus *Catenulatus.*

El. *long.* lin. 8½. *lat.* 3.

Diagn. Elytrum porcatum: ſtriis tribus punctorum elevatorum, (in qualibet 15-16), quibus interjacent tres aliæ ſtriæ elevatæ ſcabriuſculæ.

In putridis arborum truncis.

An ſit *Carabus Intricatus* Linn. *Faun. Svec.* 2. 780, ex eius deſcriptione eruere non poſſum, *Hortenſis* certe non eſt, ut ſtriæ & puncta, minime excavata, ſed elevata, & catenulis ſimilia docent. Præterea huic thorax prioris, ſed angulis poſticis longioribus & dentiformibus. Inter marginem exteriorem & ei vicinam ſeriem punctorum, ſunt plures quam tres lineæ longitudinales. Corpus pedesque nigri.

Variat 1. Capite, thorace, elytrisque atro-violaceis.

2. Colore ubique nigro, elytro verſus apicem vireſcente.

265. Carabus *Coriaceus.*

El. *long.* lin. 8½. *lat.* 2½.
Linn. Syſt. Nat. p. 413; ut arguo ex deſcriptione.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 45.

Diagn. Niger; elytris punctatis: punctis prominulis, confertis.

In ſylvis intra putridos *Abietum* truncos.

Ill. Linnæus puncta excavata ponit, & ſunt etiam, ſi pro his ſumantur ſpatiola depreſſa punctulis eminentibus interjecta, alias minime. Marginem elytri violaceum ſtatuit P. Poda, quem in ſpeciminibus meis etiam invenio. Huic quoque thoracis anguli poſtici nihilo minus elongati, quam in priore.

266. Carabus *Leucophthalmus.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* 2.
Linn. Syſt. Nat. p. 413.
Faun. Svec. 2. 784.

Diagn. Niger, lucidus; elytro planiuſculo, minus nitente, lævi: ſtriis (8); tibiis ſpinoſis.

Circa hortos, domosque.

Antennæ elytris breviores. Thorax *Car. Coriacei*, ſed pone truncatus angulisque minime dentatis, inter thoracis lineam mediam depreſſam lateribus parallelam foveæ duo oblongæ ad marginem poſticum pariter longitudinales. Elytri utriuſque ad baſim latitudo ſimul ſumpta, thoracis latitudinem vix ſuperat.

(**) *Minores.*

267. Carabus *Spinipes.*

El. *long.* lin. 4½. *lat.* 2.
Linn. Syſt. Nat. p. 415.
Faun. Svec. 2. 793.

Diagn. Caput, thorax, femora nigra, reliquæ partes piceæ. Elytra ſtriata: apice deflexa. Tibiæ manusque ſpinoſæ.

Ruri degit, ſuper tritici ſpicas frequenter ſedens.

Non ſolus hic ſpinipes; ſed & alii *Carabi* minores; hinc huius deſcriptio in *Fauna Svecica* merito deſideratur. Antenn. fuſco-ferrugineæ, villoſulæ thoracis latitudinem longitudine ſua vix æquantes. Thorax lineola excavata media longitudinali. Elytrum ſtriis punctatis (9), latitudine æqua ad longitudinem thoracis, ad marginem exteriorem infra apicem leniter exciſum. Infra apices tibiarum anticarum ſpina magna nigra.

268. CARABUS *Vulgaris.*

El. *long.* lin. 3—4. *lat.* 1⅓.

LINN. Syſt. Nat. p. 415.

Faun. Svec. 2. 799.

Diagn. Thoracis longitudo elytri latitudine major. Idem antice paulo latior quam poſtice. Corpus pedesque nigri.

Circa hortos paſſim.

Quæſo, ne in hac & in inſequente ſpecie ad colores attendant Curioſi, quibus nihil in his ſane fallacius. Nihil hoc Carabo frequentius, & tamen nigro-æneus nondum a me viſus, ſed 1. Totus niger. 2. æneo-virens. 3. elytris fuſco-nigris. Omnes apteri.

269. CARABUS *Elegans.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 1½.

An *Cæruleſcens.* Celeb. *Linnæi* huc etiam revocandus?

Diagn. Thorax longitudine ſua elytri latitudinem non ſuperans, pone & antice æque latus. Pedes rufi. Corpus alatum.

Habitat cum priore.

Var. 1. Colore ſupra viridi.

2. — violaceo. Cæterum priori ſimilis.

270. CARABUS *Metallicus.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Diagn. Supra æneus nitens; thorace lateribus conniventibus ut in *Scarabæis*; antennis baſi fulvis.

In hortis.

Elytra læviſſima: lineolis excavatis longitudinalibus (9), linea prope marginem externum punctata. Corpus ſubtus pedesque nigri. Alæ hyalinæ:

næ: macula conica, ferruginea, marginali. Tibiæ, manusque ſpinoſæ, fuſco-rufæ.

271. Carabus *Cordatus.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Diagn. Thorax vere obcordatus.

In pomariis.

Caput & thorax fuſco-virent, & valde nitent. Antennæ baſis fuſco-rufa. Elytra ſtriata ut in priore, æneo-virentia. Corpus ſubtus fuſco-virens. Tibiæ fuſco-rufeſcentes, ſpinoſo-ciliatæ.

272. Cararus *Junceus.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* 1½.

Diagn. Statura vulgaris, ſed Thorax pone anguſtior eodemque modo conſtructus, ut in *Granulato.*

In ſylveſtribus locis.

Sub nomine *Carabi* ſpinipedis minoris miſſus etiam a Doctiſſ. & R. P. Poda. Antennis villoſis, apice piceis. Elytris ſtriatis; ſtriis elevatis (9), infra apicem in margine externo obiter eroſis. Tibiæ piceæ, ſpinoſæ.

273. Carabus *Germanus.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.½.

Linn. Syſt. Nat. p. 415.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 46.

Diagn. Caput fulvum. Thorax atro-cæruleus. Elytrum ſubpellucens, teſtaceum: macula ovata, acuminata, atro-cærulea, ad apicem.

In paniculis *Graminum.*

Caput utrinque fulvum punctatum, oculis nigris, antennis rufis capite duplo longioribus. Thorax punctatus, villoſulus: foveolis binis poſticis obſoletis. Elytrum teſtaceo-ferrugineum, villoſulum, ſtriatum: ſtriis excavatis (9). Corpus ſubtus nigrum. Pedes thoraci concolores: tibiis manibusque ciliato-ſpinoſis.

274. Carabus *Bimaculatus.*

El. *long.* lin. 2. lat. ¾.

Diagn. Niger, villoſus, elytri gutta baſeos palpis antennis baſi tibiisque rufis.

 Ruri

Ruri degit.

Elytra punctatim ſtriata. Lamina femoralis exigua.

275. Carabus *Marginatus.*

El. *long.* lin. $1\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{3}{4}$.

Diagn. Caput & thorax æneo-viridis coloris. Elytrum teſtaceum : margine toto faſciaque fuſcis.

Inveni ſuper ſabulum prope torrentem *Idriam.*

Thorax elytri latitudine, linea longitudinali media exaratus, absque foveis poſticis. Elytrum pellucens & coloratum ut in *Germano*, ſed toto margine undique faſciaque media coloris fuſco-caſtanei. Ferruginei ſunt palpi, baſes antennarum, pedesque. Tibiæ & manus ciliato-ſpinoſæ. Conf. *Carabum Uſtulatum.* Linn.

276. Carabus *Salicinus.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Diagn. Niger, punctatus; elytris fuſcis ſtriatis; antennis pedibusque ferrugineis.

In *Salice.*

Ubi niger, ibi lucidior. Elytra villoſula, punctata, ſtriataque. Tibiæ & manus ſpinoſæ.

277. Carabus *Arenarius.*

El. *long.* lin. — *lat.* —

Diagn. Æneo-fuſcus; thorace ſubrotundo, pone dentato; pedibus rufis.

In arena.

Pediculo vix duplo major, nitidiſſimus. Antennæ villoſæ. Elytra punctatim ſtriata. Tibiæ & manus ciliato-ſpinoſæ.

ELA-

E L A T E R. (†)

Linn. *Syſt. Nat.* p. 404.

278. Elater *Pectinicornis.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* 1¼.

Linn. Syſt. Nat. p. 406.

Faun. Svec. 2. 741.

Diagn. Color homogeneus fuſco-viridi-æneus. Antennæ maſculæ pectinatæ.

In *Salice.*

Antennæ (maris) thorace duplo longiores, pectinatæ: dentibus octo. Caput & thorax villoſa punctata. Thorax ſulco longitudinali medio. Elytrum minus villoſum, punctatum, ſtriatum, accuminatum.

279. Elater *Nitens.*

El. *long.* lin. 4½. *lat.* 1½.

Æneum Linnæi dicerem, ſi pedes eſſent ſanguinei.

Diagn. Totus nitens, æneus, ſubtus fuſco-vireſcens; pedibus æneis; elytris ſtriatis.

In *Carniolia ſuper.*

Thorax punctatus; elytri utriusque latitudine, antennis paulo brevior. Elytra punctata & ſtriata.

289. Elater *Serraticornis.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* 1½.

Diagn. Fuſcus; abdomine ſupra pedibusque fulvis.

In *Salice.*

Caput cum thorace punctatum, raris villis adſperſum. Thorax absque ſulco. Elytrum punctatum: ſtriis obſoletis elevatis, valleculis interjectis pun-

(†) *Elateres* noſtri, thoracem ex angulis poſticis dentatum habent, ultimo excepto.

Idem color capitis, thoracis, elytrorum, 266-271 capitis & thoracis, 272-276. aliter ac priores 277-280.

punctatis: punctis majoribus. Abdomen margine fuſcum, alibi ſupra fulvum. Pedes fuſco-fulvi.

281. Elater *Faſciatus.*

El. *long.* lin. $5\frac{1}{3}$. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 406.
Faun. Svec. 2. 737.

Diagn. Niger, opacus; thorace ſulco medio; elytro faſcia undata, albida.

In arboribus variis.

Thoracis latera parallela, apice convergentia, anguli poſtici prominuli. Caput, thorax, elytra punctis prominentibus exaſperata. Elytra non ſtriata, verſus apicem faſcia, litteram S referente albida, punctulisque ſimilibus ad apicem usque atomata. Abdomen ſupra fulvo-rufum, ſubtus nitore aliquo præditum.

282. Elater *Thoracicus.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 41. N. 5. non obſcurus.

Diagn. Fuſcus, albidis punctulis variegatus; thorace angulis poſticis exſtantibus obtuſis.

In *Salicibus* non rarus.

Facies prioris, ut & ſtatura, ſed thorax absque ſulco. Elytra ſtriata. Corpus villoſulum. Faſcia elytri nulla, ſed punctula ſparſa albida, ubique aut verſus apicem. Cæterum thorax pariter æque latus ac elytrum utrumque, & abdomen ſuperne fulvo-rubrum. Conf. *Elat. Teſſelatum.* Linn.

Variat 1. Colore nigricante, elytris apice ſolo punctatis.
2. Thorace nigricante, elytris fuſceſcentibus.
3. Punctis elytrorum cinereis, teſtaceis, albidis.

283. Elater *Montanus.*

El. *long.* lin. $1\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{1}{2}$.

Diagn. Villoſulus, niger, nitens; antennis baſi tibiisque fulvis.

In

In floribus *Laſerpitii ſiler.*
Elytra ſtriata, punctata.

284. Elater *Obſcurus.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* ¾.
Linn. Syſt. Nat. p. 406.
Faun. Svec. 2. 735.

Diagn. Corporis longitudo quadrupla ad craſſitiem. Villoſulus totus & fuſcus; elytris obſcure ſtriatis: ſtriis punctatis excavatis.

In *Salice*, & floribus *Paſtinacæ.*

Antennæ elytris duplo breviores. Thorax obſcurior elytris & lucidior. Tibiæ manusque ruſeſcentes.

Var. 1. Colore fuſco homogeneo.
2. Thorace elytris obſcuriore.
3. Thorace minus villoſo, elytrisque rufoteſtaceis.
4. Antennis thorace duplo longioribus, elytris teſtaceis, ſtatura minore.

285. Elater *Sputator.*

El. *long.* lin. 3⅓. *lat.* 1.
Linn. Syſt. Nat. p. 405.
Faun. Svec. 2. 734.

Diagn. Facies prioris; ſed Thorax niger lucidior craſſior; elytra punctata & evidenter ſtriata, ad apicem obſcuriora, teſtacea.

In *Salicibus.*

Antennæ longitudine thoracis pedesque rufi. Abdomen ſupra & infra nigrum.

286. Elater *Caſtaneus.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* 1½.
Linn. Syſt. Nat. p. 405.
Faun. Svec. 2. 727.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 41. N. 1. non *Pectinicornis* Linn.

Diagn. Antennæ nigræ, (mari) pectinatæ. Caput & thorax fuſco-viridis coloris. Elytra flavicantia: ad apicem macula lanceolata thoraci concolore.

In *Salicibus*, & pomiferis arboribus.

Craſſior

Craſſior & nihilo minor *Pectinicorni*, quocum convenit antennis maſculis pectinatis: pectinibus octo, femineis vero dentatis. Thorax huic etiam ſulco majore medio longitudinaliter exaratus. Elytra ſubpellucida, evidentius ſtriata & punctata. Thorace teſtaceo & corpore vere nigro nondum a me viſus eſt.

287. ELATER *Sanguineus.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* 1.

LINN. Syſt. Nat. p. 405.
Faun. Svec. 2. 731.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 41.

Diagn. Niger; elytris ſcarlatinis, punctatis, ſtriatis.

In *Salice*, & *Paſtinaca ſativa.*

Thorax ſupra villoſulus, ſubtus tenuiter punctatus. Elytrum ſtriis elevatis punctatis, valleculis intermediis punctatis.

288. ELATER *Advena.*

El. *long.* lin. 4½. *lat.* 1¼.

Diagn. Niger; elytris teſtaceis: faſciis binis, latis, caſtaneis.

In *Salicetis*, rarus.

Thorax villoſus, antennis paulo brevior. Elytrum ſtriatum, villoſulum: ſtriis binatis excavatis; una ſolitaria; hujus color dupliciter ſumi poteſt, vel enim talis, qualem dixi, vel inverſo modo, nempe caſtaneus: apice baſi faſciaque media repanda teſtaceis. Proximus *Elat. Syriaco.* Ill. LINNÆI.

289. ELATER *Iſtriacus.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* 1½.

Diagn. Niger; thorace elytriſque rubris.

In *Iſtria Auſtriaca*, & circa Tergeſtum.

Antennæ ſubpectinatæ, thorace duplo longiores. Caput nigrum, oculis prominulis. Thorax in medio æque latus ac longus, ſulco longitudinali, poſtice inter angulos dentatos nigredine inquinatus, villis adſperſus. Scutellum nigrum. Elytrum punctulis congeſtis prominulis ſcabrum, inter quæ villi parvi adſcendentes prodeunt, idem tribus lineis

lineis elevatis parallelis longitudinaliter ſtriatum eſt margine utroque cujusque lineæ excavata lineola notato. Abdominis apex ruber. Corpus ſubtus pedesque nigri, nitore aliquo lucidi.

290. Elater *Gramineus*.

El. *long*. lin. 3. *lat*. fere 1.

Diagn. Niger; thorace utrinque fulvo.

In *Graminibus* non rarus.

Sanguineo paulo minor, *Lepturam* referens, ſed veriſſimus *Elater*. Totus niger, thorace excepto, qui tamen ſubtus in medio pariter nigricat, nec ſulco ſuperne exaratus ſed convexus, minime punctatus, aut manifeſte villoſus. Elytra ſtriata. Differt a *Ruficolli* Linnæi, ſtatura, thorace antice nunquam nigro, imo ſuperne nullibi, ideoque faſcia illa transverſali, lata, rubra, lunulata: cavitate lunulæ caput ſpectante, quam thoraci *Ruficollis* ſui tribuit. Ill. Linnæus. Faun. Svec. 2. 724. minime noſtrum indicat.

291. Elater *Ferrugineus*.

El. *long*. lin. 2. *lat*. $\frac{3}{4}$.

Diagn. Caput fuſcum. Thorax corpus pedesque ferruginei. Elytrum teſtaceum: apice faſciaque fuſcis.

Ad littora fluviorum, rivorumque, circa *Salices*.

Antennæ ferrugineæ. Thorax villoſus, rufus magis quam ferrugineus, absque ſulco medio. Elytrum villoſulum, punctatum & ſtriatum: ſubtus ſeptem ſeriebus longitudinalibus punctorum excavatorum lineatum.

292. Elater *Degener*.

El. *long*. lin. $3\frac{3}{4}$. *lat*. $1\frac{1}{4}$.

Diagn. Niger; aureis punctis variegatus; thorace poſtice edentato.

Circa *Tergeſtum*.

Staturam *Elateris Sanguinei*, *Lacertæ Salamandræ* colores habet, a ſociis vere degener, ob thoracis angulos poſticos rotundatos, non vero dentatos. Totus niger & villoſus, antennas gerit dentatas, thorace vix longiores. Thoracem in latitudinem magis, quam longitudinem extenſum. Elytrum ſtriatum:

tum: ſtriis (12.); valleculis interjectis punctatis. Corpus ſubtus modice nitens. Puncta flava in thorace tria, in quolibet elytro octo alterna ſubrotunda aureo colore, non vero nitore, prædita, æqualis magnitudinis, unico excepto, nempe antico penultimo prope marginem interiorem collocato.

DYTISCUS. (†)

Linn. *Syſt. Nat. p.* 411.

293. Dytiscus *Piceus.*

El. *long.* unc. 1. lin. 5. *lat.* $6\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p 411.

Faun. Svec. 2. 764.

Diagn. Antennæ palpis exterioribus breviores clavatæ: ſtipite rufo articulis (4), clava obſcuriore articulis (3) perfoliatis: ultimo ovato compreſſo, inferioribus uno latere dentatis.

In lacubus *Carniolia.*

Maximus noſtrorum, niger totus aut piceus, nitens, iners. Palpi ferruginei. Caput ſubtus baſi villoſum. Thorax baſi lin. $8\frac{1}{2}$. latus, $3\frac{3}{4}$. longus, ſubtus inter pedes medios & poſticos rufo ſericeo villo pubeſcens. Elytrum verſus apicem ſtriatum, ex apice denticulum proferens, ſubtus ſtriis rufis integris & dimidiatis. Apex ſterni mucronatus, integer, tres fere lineas longus. Abdomen nihilo magis mucronatum, quam in pleriſque inſequentibus.

Dytiſcus. Frisch. Inſ. 2. Tab. 6. fig. 1. 5. p. 26. ratione apicis ſterni huc referri poſſet.

294. Dytiscus *Marginalis.*

El. *long.* lin. $11\frac{1}{2}$. *lat.* $4\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 411.

Faun. Svec. 2. 769.

P. Po-

(†) *Dytiſci* Genus naturale demonſtrant metamorphoſis, proprietates, habitus. Larva maxilloſa Leo larvarum *Libellulæ* aliarumque aquaticarum. Inſectum interdiu natat, noctu evolat. Corpus oblongum, capite obtuſo.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 43.
Roesel. Inſ. aquat. Cl. I. Tab. 1. fig. 9, 10. 11.

Diagn. Fuſcus, ſeticornis; thorace luteo margine cincto; elytris margine exteriore flavis.

In aquis ſtagnantibus.

Parvulus adhuc thoracem rufum habet macula media transverſa fuſca, & ſubtus ater eſt, pedibus anticis mediiſque rufis. Adulto vero ſunt antennæ ſetaceæ, thorace duplo longiores, attenuatæ: articulis (9). Caput fuſcum: apice lineaque lunata frontali colore marginis thoracis. Elytrum fuſcum: lineolis binis, obſoletis, punctatis. Corpus ſubtus maxima parte femorum colore. Pedes poſtici a reliquis remoti. Apex ſterni bifidus.

Variat margine thoracis, & elytri, capite antice, femoribusque rufis.

295. Dytiscus *Punctatus.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* 2⅓.

Diagn. Niger, ſeticornis; thoracis margine toto lineaque media transverſa, frontisque linea trigona, rufis; elytris teſtaceis, ſubpellucidis: poſtice faſcia abrupta punctiſque plurimis atris.

In lacubus noſtris, non rarus.

Corpus mediæ magnitudinis. Antennæ attenuatæ, articulis (9) rufis: apice fuſcis. Palpi rufi, breves. Caput linea rufa terminatum: linea in fronte rufa (V). Thoracis linea transverſa: apicibus dilatatis. Alæ hyalinæ. Apex ſterni bifidus. *Mari* elytrum punctatum, absque ſulcis & pilis, ſtriis obſcuriſſimis elevatis, tribus; punctorum majorum & nigrorum ſeriebus longitudinalibus tribus, quibus interjacent alia minora plurima congeſti & in lineolas, gyroſque labyrinthiformes, confluentia. *Fæminæ* elytrum lineis quatuor elevatis lucidioribus glabris, ſpatiis interjectis piloſis; punctorum majoribus ſeriebus tribus minus evidentibus, punctiſque aliis plurimis minoribus ſparſis fuſceſcentibus: pleriſque diſtinctis. Pedes antici absque palmula.

Huic ſimilem deſcripſit Cl. P. Poda ſub nomine *Cinerei* Linn. qui noſter non eſt, ut *Cinerei* deſcriptio novæ *Faunæ Svecicæ* docet. *Dyt. Sulcatus*

tus Linnæi multa cum noſtro ſimilia gerit, ſed *Minuto* minor cum non ſit, nullaque punctatorum elytrorum mentio ibidem facta fuerit, ita nomine alio hunc ipſum donavi.

296. Dytiscus *Uliginoſus*.

El *long*. lin. 2. *lat*. 1.

Linn. Faun. Svec. 2. 776.

Diagn. Caput rufum; oculis & macula lunata poſtica nigri coloris, cavitate caput ſpectante. Elytrum fuſcum, punctatum: margine exteriore ferrugineo.

In lacubus.

Nihilo major *Dyt. Natatore.* Thorax rufus: antico margine obſcuriore. Antennæ ſetaceæ, palpi, pedesque rufi. Elytrum nigricans, punctulis excavatis notatum, margine externo ex rufo-ferrugineo, cui ad apicem immerſa eſt linea fuſca, margini parallela; fuſcus elytri color ad apicem cum ferrugineo ita confuſus eſt, ut dentes tres fuſco-ferrugineum marginem penetrare videantur. Corpus nigrum. Sterni apex obtuſus. Sed de *Dytiſcis*, præcipue minoribus, difficile judicium eſt.

297. Dytiscus *Minimus*.

El. *long*. lin. ½. *lat*. ¼.

Diagn. Statura *Chryſomelæ Nemorum*, ovatus, niger; elytris apice lineisque tribus albidis.

In ſtagnis, copioſus.

Vix lineam longus, agilis, fere gregarius. Antennæ ſetaceæ: apice obſcuriores. Caput & thorax niger. Linea una elytri ſubmarginalis, binæ ad baſim. Corpus nigrum. Pedes rufi, tibiis anticis absque palmulis. *Notonectam* non eſſe, docet defectus roſtri.

298. Dytiscus *Rufus*.

El. *long*. lin. 2. *lat*. 1.

Diagn. Antennæ clavatæ. Elytra læviſſima obſcuriora: margine exteriore albido binis dentibus antice inſtructo.

In lacubus.

Totus nitens & rufus, ſed elytra obſcuriora, neque punctata, nec lineata. Oculi fuſci. Sterni

apex

apex obtuſus. Elytri faſcia marginalis antice bidentata.

299. Dytiscus *Natator.*

El. *long.* lin. 2⅓. *lat.* 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 412.

Diagn. Super aquas citiſſime diſcurrit, ad ſolem ſpeculi ad inſtar ſplendiſſimo nitore fulgens.

In aquis ſtagnantibus.

Æneo-fuſcus, nec apud nos niger. Pedibus & elytri margine externo deflexo rufi coloris. Elytrum punctorum ſeriebus (12). Pedes æquidiſſiti. Apex ſterni bifidus.

STAPHYLINUS. (†)

Linn. *Syſt. Nat.* p. 421.

Antennæ moniliformes. Alæ elytris dimidiatis truncatis tectæ.

300. Staphylinus *Ophthalmicus.*

Tot. *long.* lin. 7.

Diagn. Atro-cæruleus, punctatus, oculis macula pallidiore lunulata ſuffuſis.

In ſylvis noſtris.

Capitis, thoracis, elytri eadem longitudo. Caput thorace craſſius, thorax elytris; omnia hæc confertim punctata. Pili pauci e margine capitis & thoracis. Abdomen villoſulum poſtice dilatatum.

301. Staphylinus *Fulſipes.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Atro-cæruleus, palpis pedibusque fulvis.

In ſylvis.

(†) *Staphylini* unicolores, capite, thorace, elytris eodem colore tinctis. 287-292.
Non uno eodemque colore præditis. 293-298.

Antennæ articulis (10) duobus primis, totidemque ultimis ruſeſcentibus, cæteris atris. Caput, thorax & elytra villoſa, punctata. Abdomen nigrum, villoſum.

302. Staphylinus *Murinus.*

—. *long.* lin. $5\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 421. -
Faun. Svec. 2. 840.

Diagn. Fimetarius, villoſus, cineraſcens nigronebuloſus.

In ſtercore *Equi*, *Bovis*.

Caput thorace brevius, elytra longitudine thoracis. Fuſcus apud nos & niger punctulis indiſtinctis cineraſcentibus, quandoque & refuſcentibus nebuloſus.

303. Staphylinus *Clavicornis.*

—. *long.* lin. 2.

Diagn. Niger antenn. articulis tribus ultimis craſſioribus. Pedes rufi.

Inveni 7ma April. ſub cortice *Pyri mali*, prope radicem.

Antennæ ſemilineam longæ, articulo primo ſuperioribus craſſiore & lucido. Palpi clavati ruſeſcentes. Caput & thorax punctis prominulis ſcabra. Thorax ſubtus rufo villo pubeſcens. Alarum rudimenta. Abdomen villoſum, elytris lucidius. Pedes rufi: genubus atris.

304. Staphylinus *Politus.*

—. *long.* lin. 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 422.
Faun. Svec. 2. 843.

Diagn. Thorax punctis nonnullis excavatis, una cum capite & elytris, marmoris politiſſimi in modum lævigatus, pleruṁque nigri coloris.

Paſſim in hortis, & ſylvis.

Adeo variat, ut character ſpecificus vix ſtatui queat. Ill. Linnæus differentiam eſſentialem ſtatuit in punctis decem thoracis excavatis, lente conſpicuis. Ego etiam hæc puncta video ſed numero variantia a 3-8., rariſſime decem. Invenitur apud nos totus niger, & elytris rufis, nec non

totus

totus ater pedibusque rufeſcentibus. Antennæ articulis (10).

305. Staphylinus *Boleti.*

—. *long.* lin. 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 423.
Intra tubulos *Boleti* 3. *Fl. Carniol.*
Diagn. Fuſcus, antennis lividis aut ferrugineis. Elytra marginata. Abdomen ſuperne villoſum.

306. Staphylinus *Erythropterus.*

—. *long.* lin. 7½.

Linn. Syſt. Nat. p. 422.
Faun. Svec. 2. 842.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 48.
Diagn. Niger, elytris pedibusque rufis.
Variat 1. Elytris rufis: apice fuſceſcentibus, thorace margine antico & poſtico nec non punctis duobus ſubaureo nitore lucidis.
In ſtercore *Bovis.*
2. Capite, thorace, elytris, tibiis manibusque rufis. Statura minore. Thorace nullibi aureo ſplendore fulgido. Antennis totis fuſceſcentibus.
In ſylvis abietinis, ſuper *Muſcos*, diſcurrit.
Utrique thorax antice ſubtruncatus, pone rotundatus, elytris nihilo brevior. Abdomen & corpus nigri coloris. Partes omnes villis lucidis pubeſcentes.

307. Staphylinus *Rufus.*

—. *long.* lin. 4.

Linn. Syſt. Nat. p. 422.
Faun. Svec. 2. 844.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 49.
Diagn. Niger color capiti, elytrorum apicibus, abdominis apici, corpori ſub elytris; fulvus thoraci, antennis, palpis, elytris, abdominis baſi, pedibus.
Paſſim occurrit.
Maxillæ porrectæ, validæ, cruciformiter in cadavere incumbentes. Lucidus totus. Antennæ elytris breviores, extrorſum craſſiores. Thorax

fulvus potius quam rufus. Elytra baſi, ſulco uno aliove obſoleto exarata. Femora baſi modo nigro-modo fuſco-rufa.

308. Staphylinus *Gregarius.*

—. *long.* lin. 3-4.

Linn. Syſt. Nat. p. 422. riparius.

Faun. Svec. 2. 846.

Diagn. Caput, elytra, abdominis apex, femora apice, nigro-cæruleo colore tincta gerit, alibi fulvus.

Gregatim habitat in terra, ad arborum truncos in pomariis, circa ſepes, prata apud nos frequens.

Priore duplo fere tenuior eſt, nec adeo longus. Antennæ rufæ, elytris longiores, articulis decem, non computata baſi. Caput politum. Thorax pariter nitens, ovatus. Abdominis ſegmenta tria ultima elytri colore, horum primo cæteris omnibus longiore.

309. Staphylinus *Braſſicæ.*

—. *long.* lin. $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Ferrugineus; capite & corpore nigris.

In floribus *Braſſicæ oleraceæ.*

Antennæ extrorſum craſſiores, villoſæ. Elytra punctata.

310. Staphylinus *Arnicæ.*

—. *long.* lin. 1.

Diagn. Niger, thorace antennisque ferrugineis, pedibus teſtaceis.

Inveni in floribus *Arnicæ ſcorpioidis*, ſummis in alpibus.

Palpi pedibus concolores. Antennæ thorace duplo longiores, articulis (10), apice truncatis, ultimo ovato. Alæ hyalinæ.

311. Staphylinus *Hellebori.*

—. *long.* lin. $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Niger; elytris antennis pedibusque ferrugineis.

Magnitudo pediculi. Antennæ extrorſum craſſiores. Thorax & elytra punctata.

FOR-

FORFICULA.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 423.

Antennis ſetaceis & cauda forcipata differt a *Staphylino*.

312. Forficula *Auricularia.*

—. *long.* lin. —.

Linn. loc. cit.

Faun. Svec. 2. 860.

Frisch. Inſ. 8. Tab. 15.

Diagn. Forcipes incurvi, abdomine nihilo breviores, uni ſexui.

In plantis reperitur paſſim.

Thoracis clypeus antice truncatus, lateribus parallelis, pone rotundatus, planus. Ultra elytri apicem prominent alæ pluries complicatæ & rubineo colore interius fulgidæ, apex albidus, qui facile incautos decipit præſeferens maculam albam in apice elytri, qui tamen immaculatus. Forceps ſupra baſim, interno latere, dente inſtructus, raro muticus.

BLATTA.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 424.

313. Blatta *Orientalis.*

El. *long.* lin. *6.* *lat.* $2\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 424.

Faun. Svec. 2. 862.

Frisch. Inſ. 5. Tab. 3. fig. 1. 2. p. 11-15.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 49. lucifuga.

I 4 *Diagn.*

Nymphææ albæ radix cum lacte cocta *Gryllos, Blattasque* occidit. Linn. *Il. Svec.* 2. 470. Idem facit fumus Carbonum foſſilium.

Diagn. Elytrum truncatum: apice rugoſum, venis ramoſis rugas diſtinguentibus. Femora omnia ſpinoſa.

Habitat in culinis, piſtrinis, tuguriis ruſticorum, nimium frequens.

Gregaria, lucifuga, ſummo ſenſu, veloci curſu, fœcundatione mira, difficulter exſtirpanda, ſtaturam uncialem attingit, raro ſuperat, noctu *Carabi* adinſtar prædam quærit, cibariis infenſa, delectatur imprimis caſeo pane farina, ætate & ſexu *Cuculi Canori* in modum variant 1°. Colore teſtaceo homogeneo. 2°. colore fuſceſcente, alis rufo-ferrugineis. 3°. Colore nigricante, pedibus fuſco-rufis, corpore elytris alisque deſtituto.

314. Blatta *Sylveſtris*.

El. *long.* lin. 5. *lat.* $1\frac{1}{2}$.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 50.

Diagn. Thoracis margo & elytra teſtacea. Antennæ, & corpus ſubtus, nigri coloris. Pedes ſaltatorii.

In ſylveſtribus, gramineis, apricis, inter frutices, paſſim obvia.

Mas longior, thorace nigro, elytris abdomine longioribus, alis elytro longioribus acutis. *Fæmina* brevior, craſſior, thorace rufo, elytris abdomine, alis elytro brevioribus.

Junior aptera, elytrorum rudimentis, abdominis apice rotundato. Adulta frutices adſcendit, currit velociter, ſaltu ab hoſte fugit, elytrum gerit venulis pallidioribus anaſtomoſantibus reticulatum, linea fuſca prope baſim margini externo parallela variegatum, rugulisque parallelis obliquis ad marginem exteriorem criſpatum, ſubpellucidum, acutiuſculum. Femora media & poſtica binis remotis ſpinulis armata, pariter teſtacea. Corpus ſubtus nigrum, triplo certe minus, quam in priore. Primus hanc nominavit Cl. P. Poda.

GRYL.

GRYLLUS. (†)

Linn. *Syſt. Nat.* p. 425.

315. Gryllus *Religioſus.*

El. *long.* unc. 1. lin. 4. *lat.* 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 426.

Roesel. Locuſt. Tab. 1. fig. 2. & Tab. 2. fig. 5.

Diagn. Thoracis longitudo eſt elytri dimidia. Elytrum & apices alarum viridi colore tincti.

Ab Ill. piæ memoriæ. Comite *Carolo a Lamberg* communicatus, qui ex *Auſtria* obtinuit, ubi inter vites ſpontaneum eſſe monuit, & vocari ibidem *das wanderende blatt.* Hoc unum non indigenum animal, inter mea collocatum, deſcribere & proponere haud inutile viſum eſt.

Caput incurvum, antice convergens, pone rotundatum & thorace latius. Thorax undique marginatus, poſtice obtuſus, linea dorſali elevata, ſupra medium dilatatus ac demum convergens, latitudine ſumma lin. 2½. Elytra pallidius virentia, quam in *Viridiſſimo*, exterius marginata, linea elevata recta longitudinali lineæ intervallo a margine exteriore diſtans. Inter hanc lineam & marginem ſunt venulæ obliquæ, ramoſæ: ramis anaſtomoſantibus. Abdomen lanceolatum, antice ruſeſcens, pone flavicans, ſubtus apice virens. Pedes antici ſex linearum intervallo a mediis remoti, ſub dilatata thoracis regione nati, femoribus triquetris, craſſis, ſemiunciam longis, inflexis.

316. Gryllus *Bipunctatus.*

El. *long.* lin. 2½. — 4. *lat.* 1.

I 5 Linn.

(†) *Gryllorum* noſtrorum alæ poſticæ, flabelli muliebris in modum plicatæ. Absque his ſi foret Natura, inopiam graminis doleret agricola, nec garrulæ poſt fœniſecium *Monedulæ* prata luſtrarent.

LINN. Syſt. Nat. p. 427.
Faun. Svec. 2. 864.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 50.

Diagn. Thoracis cucullus cuneiformis maculatus loco elytrorum.

In pratis, & circa hortos.

Cucullus modo abdominis longitudine, modo eo longior, maculis vel punctis binis albidis. Corpus, fuſcum aut ferrugineum. Sed cavendum ne huc referantur larvæ aliarum ſpecierum.

317. GRYLLUS *Gryllotalpa.*

El. *long.* lin. 6. *lat.* $4\frac{1}{2}$.
LINN. Syſt. Nat. p. 428.
Faun. Svec. 2. 866.
ROESEL. Locuſt. Germ. Tab. 15. fig. 7-8. apterus. fig. 9. alatus.
FRISCH. Inſect. 11. Tab. 5. fig. 1. 2. 3.
Spectacle de la Nat. Tom. I. Entret. 8. p 194. fig. G.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 50.
Carniol. Mramar.

Diagn. Pedibus anticis palmatis validis craſſis, cuniculos ſub terra culta fodit, globoſum nidum ibidem exſtruit.

Hortorum & olerum ſumma calamitas. Fimo equino allicitur, porcino pellitur.

Gryllotalpæ nomen præſtantiſſimum, ex felici connubio *Grylli* & *Talpæ* natum, cujus naturam habet, ejus vero characterr. Ova ponit fere ducenta intra glebam terream, uni locularem, foſſa vallatam, iis depoſitis ubique clauſam. Tanta eſt ſollicitudo matris a frigore & ab hoſte nidum præſervantis, ut prolis amore, & otii fuga formicis cedat nihil. Dantur apteræ & alatæ, ſtridulæ & mutæ, illæ mares hæ fæminæ. Effœtæ propriis pediculis infeſtantur. Scrophulis diſcutiendis a noſtratibus applicantur.

Labium oris infer. carnoſum emarginatum, ſuperius fit lamina mobili obtuſe conica. Maxillarum par primum edentatum. Palporum articulus ultimus obtuſus: apice pallidior. Tubercula duo ſphærica nigra inter oculos. Thorax pulvinatus ova-

ovatu., fuſcus, antice marginatus, pone rotundatus, margine fulvo. Elytra corniculis caudalibus nihilo longiora. Manus antice digitis quatuor dentiformibus, ex palma pollicem biunguiculatum proferentes.

318. GRYLLUS *Domeſticus.*

El. *long.* lin. — *lat.* —

LINN. Syſt. Nat. p. 428.
Faun. Suec. 2. 867.
ROESEL. Locuſt. Germ. Tab. 12.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 51.

Diagn. Corpus glaucefcens. Alæ caudatæ, elytro longiores. Tibiæ poſticæ ſpinoſæ.

Habitat in hypocauſtis ruſticorum circa fornacem, toto anno ſtridens, præſertim inſtante pluvia.

Notiſſimum animal deſcriptione non eget.

319. GRYLLUS *Campeſtris.*

El. *long.* lin. 6. *lat.* 3-4.

LINN. Syſt. Nat. p. 428.
ROESEL. Locuſt. Germ. Tab. 13.
FRISCH. Inſ. 1 Tab. 1.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 51.
Carniol. Murnz.

Diagn. Thoracis longitudo eadem, quæ capitis inter oculos. Elytrum teſtaceum, alis longius, venis fuſcis. Femora poſtica ſubtus fulva. Alibi totus niger.

Habitat in collibus herbidis argillaceis. Stridet a prima die M. Maji, uſque ad æquinoctium æſtivum. Domeſticus factus, pellit *Gryllum* priorem.

Antennæ corniculis caudalibus duplo certe longiores. Tibiæ anticæ, prope baſim, macula argentea oblonga interne notatæ. *Fæmina* abdomine enſato: enſe recto *Ichneumonis* aculeum referente. *Mas* ſtridule cantillans, abdomine mutico.

320. GRYLLUS *Viridiſſimus.*

El. *long.* unc. 2. *lat.* 4½.

LINN. Syſt. Nat. p. 430.
Faun. Svec. 2. 869.

ROESEL.

Koesel. Locuſt. Germ. Tab. 10.
Frisch. Inſ. 12. Tab. 2. fig. 1. p. 3-7.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 51.

Diagn. Antennæ elytro longiores. Elytrum virens, ſalicis folium referens.

Habitat in pratis, poſt fœniſecium arva petens.

Maximus inter noſtros. Capitis vertex elevatus in obtuſum mucronem. Enſis *fæminæ* abdomen terminans fere uncialis rectus, attenuatus. Femora poſtica ſubtus canaliculata. Tibiæ tetragonæ, ſpinoſæ, fiſtuloſæ, poſticæ denticulis 4 terminatæ. Antennæ ferrugineæ. Strigæ (2) flavæ longitudinales ſub abdomine.

321. Gryllus *Verrucivorus.*

El. *long.* unc. 1. lin. 3. *lat.*—
Linn. Syſt. Nat. p. 431.
Faun. Svec. 2. 870.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 52.

Diagn. Antennæ elytri longitudine. *Fæminæ* enſis compreſſus recurvus fuſcus nitens, longitudine capitis.

Habitat in pratis.

Alæ non raro fuſcæ, maculis pallidioribus. Vertex capitis puncto fuſco notatus. Femora exterius in medio punctis binis fuſcis.

322. Gryllus *Falcatus.*

El. *long.* lin. 9. *lat.* 2.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 52.

Diagn. Antennæ longiſſimæ. Elytrum viride alis brevius. Alæ margine exteriore verſus apicem coleoptratæ. Abdomen *fæmineum* terminatum enſe ſurſum inflexo ferrugineo quadruplici.

In ſylveſtribus *Carnioliæ*, fruticibus paſſim inſidet, minime rarus.

Thorax ut in *Viridiſſimo*, ſed abſque lineola elevata longitudinali media. Elytrum immaculatum. Alæ hyalinæ, elytris longiores, contra ac in *Viridiſſ.* Pedes poſtici antennis ſetaceis breviores.

323. Gryllus *Migratorius.*

El. *long.* unc. 2. *lat.* lin. 5.
Linn.

Linn. Syſt. Nat. p. 432.
Faun. Svec. 2. 871.
Roesel. Locuſt. Tab. 24. fig. 1. 2. 3.
Frisch. Inſ 9. Tab. 1. fig. 8.

Diagn. Fuſcus, digiti longitudine. Antennæ thorace longiores. Elytra circellis fuſcis cœcis.

Apud nos rarior. Circa Goritiam invenit, & ejus deſcriptionem communicavit. R. P. Wulfen.

Maxillæ ſerratæ, apice nigræ. Thorax medio depreſſus, carina flava, ſulcis tribus exaratus. Alæ hyalinæ. Corniculi parvi. Crura poſtica hexagona, baſi craſſiora. Tibiæ poſticæ cæruleæ, denticulis albis: apice nigris.

Variat elytro modo circellis, modo maculis angulatis, modo lineolis characteriformibus, variegato. Quo magis color æris decreſcit, eo magis fuſcus fit hic *Gryllus.*

324. Gryllus *Pellucens.*

El. *long.* lin. — *lat.* —

Diagn. Caput album, ſubpellucens. Thorax trapeziformis. Elytrum ovato - oblongum; ſtriis tribus cruciformiter ſeſe ſecantibus.

Deſcriptionem *Goritiâ* miſit Cl. P. Wulfen.

Oculi nigri. Antennæ corpore longiores, albidæ. Palpi albi, tribus articulis. Thorax longitudine capitis. Alæ corpore paulo longiores, albæ. Pedes albidi, ſubpellucidi. Cornicula caudæ alba.

Veſperi & tota nocte clamat, ſub folio latet, adventantes obſervat, ad minimum ſtrepitum tacet.

325. Gryllus *Cærulescens.*

El. *long.* lin. 11½. *lat.* 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 432.
Roesel. Locuſt. Germ. Tab. 21. fig. 4.
P. Poda. Muſ. Græc. pag. 52.

Diagn. Elytrum fuſceſcens, baſi & faſcia obſcurioribus. Alæ faſcia nigra, dein ad baſim uſque cæruleſcentes.

In ſaxoſis, apricis, ſteriliſſimis collibus.

Fuſcus;

Fuſcus; thorace cucullato, antennis paulo breviore. Tibiæ poſticæ cæruleſcentes, dentium paribus decem: apicibus nigricantibus.

326. Gryllus *Stridulus.*

El. *long.* lin. 11½. *lat.* 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 432.
Faun. Svec. 2. 872.

Roesel. Locuſt Germ. Tab. 21. fig. 2.

Diagn. Alæ rubræ, extimo fuſcæ, aut apice nigræ.

Habitat cum priore, tota die in ſeram noctem usque ſtridens, usque ad finem Septembris.

Elytrum fuſcum, pallidioribus punctis variegatum. Corpus ſubtus pedesque nigri, alba faſcia prope genua, & prope baſes tibiarum. Rubor alarum fere idem, qui Santali rubri in ligno.

327. Gryllus *Italicus.*

El. *long.* lin. 9½. lat. 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 432.

Roesel. Locuſt. germ. Tab. 21. fig. 6.

Diagn. Alæ baſi rubræ. Elytra fuſca maculis teſtaceis variegata.

Habitat cum priore.

Specimina noſtra non omnino conveniunt cum *Roeſeliano* & cum differentia *Linnæana*, cum alas excolores, & baſi tantum rubras gerant. Præterea minor eſt *Stridulo*, tibiis poſticis rubris minime faſciatis.

328. Gryllus *Lunulatus.*

El. *long.* lin. 8. *lat.* 1½.

Roesel. Locuſt. germ. Tab. 20. fig. 6. 7.

Diagn. Thorax ſubcucullatus; lineis tribus elevatis longitudinalibus: media recta, lateralibus lunulatis: convexitate lineam mediam reſpiciente.

In pratis non rarus.

Variat 1. Capite (excepta nucha), thoracis lateribus, pedibusque ſubrubris. Elytro margine interiore viridi, alibi fuſco-nebuloſo. Alis fuſceſcentibus.

2. Cor-

2. Corpore fuſco. Abdomine ſubtus viridi-flavo. Elytris ſuperne obſcurioribus, introrſum albidis. Alis pallidioribus.

329. GRYLLUS *Rufus.*
LINN. Syſt. Nat. p. 433.
Faun. Svec. 2. 876.

Diagn. Fuſcus; thorace & abdomine ſubtus flaveſcentibus; antennis clavatis: clava acuta.

In pratis.

Non penitus convenit cum *Rufo* LINN. ſeparari tamen non poteſt.

OR-

ORDO II.

PROBOSCIDEA.

HEMIPTERA. *Linn. Syſt. Nat.*

OS TERMINATUM PROBOSCIDE, SUB PECTORE INFLEXA. ALÆ SUPERIORES SEMICORIACEÆ, CORIACEÆ TOTÆ, MEMBRANACEÆ, NULLÆ. (†)

CICADA.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 434.

(*) *Elytris totis coriaceis.*

330. CICADA *Sanguinolenta.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* 1½.

Diagn. Nigra, elytro faſcia maculisque binis rubris.

Inveni in *Salice* circa *Tergeſtum*, & in *Geniſta tinctoria* prope *Idriam.*

Antennæ ſunt ſetulæ albidæ. Caput nigrum, fronte convexa, temporibus 9-ſulcatis. Thorax niger; punctis prominulis congeſtis; ſcutello acuto. Elytrum coriaceum totum, nigrum, punctulatum, deflexum, apice rotundatum, alas tegens, faſcia antica rubra ſupra marginem externum non extenſa maculisque duabus rubris variegatum, quarum media ovata, minor, altera baſim occupans majorque. Alæ margine exteriore rubro, apice obſcuriores. Abdomen *mari* rubrum, apice nigrum; *fæminæ* maxima parte nigrum. Pedes nigri; tibiis poſticis bidentatis.

331.

(†) Ars non imperet Naturæ, nomina arbitraria cedant neceſſariis, nec ſit fundamento infido inædificata domus.

331. Cicada *Spumaria.*

El. *long.* lin. 3¼. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 437.
Faun. Svec. 2. 881.
Frisch. Inſ. 8. Tab. 12.

Diagn. Striæ ſub capite inter oculos utrinque (12), valleculis punctatis. Caput lamina ſubcordata terminatum. Puncta duo in fronte ænea, excavata.

In *Salice viminali* copioſiſſima, latens intra ſpumam, unde continuo eo tempore ſtillicidium.

Larva polita, nigricans, abdomine ſupra pallido & tandem flaveſcente, ſubtus lateraliter fulvo. Cæterum

Var. 1. Elytris puncto lucidiore, & margine exteriore ad baſim ferrugineo.
2. Faſcia albida, & macula lanceolata pariter albida marginali. Sexus alter abdomen ſubtus enſatum gerit: enſe bivalvi valvis uno latere villoſis.

Cicadæ Coleoptratæ Celeberr. Linnæi differentiam certiorem expectamus, qua a *Spumaria* diſcerni queat, cum & iſta elytris gaudeat coriaceis totis, alasque tegentibus, ſaltem apud nos.

332. Cicada *Arunci.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Diagn. Tota ferruginea; oculis fuſcis.

In panicula *Spireæ arunci.*

Inciſuræ abdominis lineolis nigris totidem diſtinctæ. Pedes villoſuli. Alæ hyalinæ.

333. Cicada *Marginalis.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Diagn. Fuſca; elytri margine externo pedibusque flaveſcentibus; corpore luteo.

In *Carniolia media* & *ſuper.* non raro in *Syngeneſiis.*

Proxima *Laterali* Linn. ſed elytris neque nigris, neque latere albis.

Var. 1. Elytris fuſcis, margine exteriore pallide luteo, capite fuſco, linea media punctisque binis obſcurioribus.
2. Elytris fuſcis, latere ochroleucis, capite flavo, oculis fuſcis.
3. Elytris flaveſcentibus.

334. Cicada *Bicordata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1½.

Diagn. Elytrum nigrum; latere utroque lineaque media, nec non pedibus flavis.

In *Corylo* reperi.

Caput flavum; oculis nigris; in fronte macula media nigra, cujus extremitati cuilibet inſidet macula nigra obcordata. Thorax niger totus. Abdomen nigrum, margine flavo. Pedes flavi.

Variat elytris flavis linea a baſi ad medium usque producta, attenuata, aliaque ſimili ab apice antrorſum tendente, fuſco colore tinctis; thorace macula flava, flavo margini poſtico impoſita; an vere diverſa ſequens?

335. Cicada *Violacea.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* ½.

Diagn. Elytra fuſco violacea; margine externo & alibi ubique lutei coloris.

In *Cirſio acanthoide Fl. Carniol.*

Hæc caret maculis nigris in capite, & elytra prædicta gerit.

336. Cicada *Oenotheræ.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Diagn. Fere tota flaveſcens; oculis nigris; elytro rivulis fuſcis.

In averſa pagina foliorum *Oenotheræ biennis.*

Spumans, minor *Spumaria*; ore ſubtus fovea elliptica, ibidemque utrinque ſulcis ſenis; abdomine ſupra nigro. Thorax foveolis binis poſticis. Roſtrum apice piloſum, nigricans.

337. Cicada *Lineata.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* ½.

Diagn. Nigricans; elytris toto margine lineolisque tribus longitudinalibus luteis.

In

In fruticibus, non rara.

Circum oculos linea flava, frontem verſus abrupta. Nucha notata macula bifida, furculam referente. Pedes elytris concolores; geniculis & tibiis infra medium luteis.

(**) *Elytris ſemicoriaceis.*

338. CICADA *Viridis.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1.

Diagn. Elytrum virens: apice membranaceum. Caput flavum, punctis (4) nigris: duobus mediis majoribus, inter oculos.

In Salicetis, & alibi.

Oculi nigri. Thorax virens. Pedes flavi.

Var. Elytris flavis: venis viridibus; thorace viridi.

339. CICADA *Bipunctata.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* 1.

Diagn. Flaveſcens; elytris pallidioribus; oculis punctisque binis in fronte nigris.

Circa fluvios, & inter frutices.

Abdomen ſubtus linea media nigra, & latere utroque verſus baſim pariter atro. Elytra polita, ſubhyalino ſplendore. Alæ hyalinæ.

(***) *Elytris membranaceis.*

340. CICADA *Cornuta.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1½.

LINN. Syſt. Nat. p. 435.

Faun. Svec. 2. 879.

Diagn. Thorax gibbus; angulis poſticis valde mucronatis, in mucronem longum triquetrum apice deflexum pone productum.

In *Cirſiis* reperi, & in *Salice* circa *Tergeſtum.*

Dentes dorſales poſtici ad angulum rectum cum corpore ſiti. Mucro thoracis in medio paulo craſſior quam alibi, lineas duas longus. Alæ quatuor; ſuperiores venis ferrugineis, inferiores abdominis longitudine veniſque fuſcis. Tibiæ ferrugineæ. Corpus & thorax fuſco colore tincta, caniſque villis adſperſa. Pedes ſaltatorii.

341. Cicada *Nervoſa.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 437.
Faun. Svec. 2. 882.

Diagn. Alæ (4), ſuperiores nervoſæ: nervis fuſco-punctatis; ambo hyalinæ.

In *Salice.*

Frons plana; marginibus lineaque media elevatis. Oculi fuſci; margine ruſo, poſtice abrupto. Sub oculis antennæ ſeu ſetulæ hemiſphæricæ baſi impoſitæ. Alæ ſuperiores præter punctula in nervis, gerunt quoque faſcias duas, obſoletas, ruſo-fuſcas; quarum prima ad baſim alæ, alia circa medium jacet; in ejusdem alæ margine exteriore verſus apicem ſunt maculæ duo nigricantes parvæ.

342. Cicada *Marginata.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* 1.

Diagn. Pallida tota, thoracem inter & alas nigra: macula alba acuminata. Thorax marginatus.

In Salicetis.

Caput leniter acuminatum. Ad baſim roſtri maculæ duo fuſcæ dentiformes. Ad marginem thoracis anticum utrinque punctum nigrum.

343. Cicada *Ocellata.*

El. *long.* lin. 1. *lat.* ½.

Diagn. Elytrum albidum; lineis tribus ocellisque duodecim.

In Gramine capta 9. Jun. circa *Idriam.*

Os obtuſum; ſubtus utrinque punctis ſenis, albidis, in unam ſeriem ordinatis, inter quæ lineola concolor. Antennulæ albæ, thorace longiores. Caput alibi ſubferrugineum, ut & thorax. Elytrum membranaceo-coriaceum, apice rotundatum; ocellis (5), maculis oblongis, ſubovatis, majoribus & minoribus ruſeſcentibus ſed margine fuſco cinctis, variegatum; idem verſus marginem internum prope thoracem lineis tribus ſimiliter coloratis & marginatis parallelis longitudinaliter ſtriatum. Abdomen apice villoſum. Tibiæ poſticæ ciliato-ſpinoſæ.

344.

344. Cicada *Notata.*

El. *long.* lin. $1\frac{1}{2}$. *lat.* $\frac{1}{2}$.

Diagn. Caput, thorax, pedesque pallide flavicantes. Elytra albida, nigro-punctata.

In plantis variis.

Os punctis tribus, ferrugineis, trigonis. Scutellum lineola transverſa, fuſca. Abdomen nigricans, ſed ſegmentorum marginibus ſupra luteſcentibus. Tibiæ ſpinoſo-ciliatæ.

345. Cicada *Plebeja.*

El. *long.* unc. 1. & lin. 7. *lat.* lin. 7.

Matth. Dioſc. p. 264.

Diagn. Maxima; corpore unciam & lin. (3) longo, (6) craſſo. Alis (4) rugulоſis, nervoſis nervis fuſcis, dichotomis: ramulis ſupremis anaſtomoſantibus.

In agro *Vipacenſi*, *Goritienſi*, *Tergeſtino* & frequentiſſima, notiſſimaque.

• Femora antica craſſiora, bidentata.

Ovum album, utrinque acutum (qualia etiam 700 una fæmina in ventre gerit) deponitur intra foramen in ligno antiquo, ſtudio a matre excavatum, in quo ova ejusmodi multa deponit, dein claudit oſtium ſucco proprio gummoſo. Hinc nati vermiculi eroſo clauſtro, vicina loca perreptant, dein eodem aliove anno, intra terram ſe ſe recipiunt, ibique toto illo anno degunt; in hoc ſtatu vivens pupa *Tettigometra* dicitur, pedibus anticis valde craſſis & validis inſtructa, ſubtus dentatis, & forti pollice, cancri manus adinſtar, terminatis. His, talpæ in modum fodit, terram perforat, ut inde prodeat, poſitis exuviis, *Cicadam* paritura.

Hujus binas ſpecies poſuit Aristoteles *Hiſt. animal. L. 5. Cap. 25.* nempe majores, quas vocat αχέτας, & minores alias τεττιγόνιας appellatas, quas voces, contra veterum ſententias, ad *Gryllos* transtulit Ill. Linnæus. Mares aſſiduo teretiſmo, ad venerem mutas alliciunt fæmellas, ut ſolent *Grylli Campeſtres.*

346. Cicada *Orni.*

El. *long.* unc. 1. & lin. 1. *lat.* $4\frac{1}{2}$.

 Linn.

Linn. Syſt. Nat. p. 436.

Diagn. Minor priore. Alæ (4); venis fuſcis; poſtice binis punctorum fuſcorum ordinibus: in uno (4), in altero ſubmarginali (7).

Differt a priore 1. *Mare* & *fæmina* eiusdem ſtaturæ, & eodem modo coloratis. 2. Teretismo acutiore. 3. Thoracis linea media longitudinali indiviſa, quæ priori apice bifida. 4. Scutello lineis duabus ferrugineis: baſi hamo introrſum inſtructis. 5 Nervis alarum ſuperiorum antice albidis aut flavicantibus. 6. Femoribus anticis muticis. In ala dextra puncta fuſca octo, in ſiniſtra ſeptem.

347. Cicada *Hæmatodes.*

El. *long.* unc. 1. & lin. 3. *lat.* lin. 6.

Diagn. Alarum ſuper. nervi, margo thoracis & lineæ in eodem quinæ, rubro colore tinctæ.

Habitat cum prioribus.

Nigra. Alis anticis minime punctatis. Abdomine inciſuris omnibus utrinque margine rubris. Femora rubro-nigroque varia; antica craſſiora & tridentata; dente ſupremo minore. Conf. Roesel. Locuſt. Tab. 25. 26.

NOTONECTA.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 439.

348. Notonecta *Glauca.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 439.
Faun. Svec. 2. 903.
Roesel. Suppl. Cim. Terr. Tab. 27. fig. 5-9.
Frisch Inſ. 6. Tab. 13. Fig. 1. 2.

Diagn. Elytrum apice bifidum. Abdomen apice triquetrum. Pedes poſtici corpore longiores.

In lacubus, non rara.

Var. 1. Oculis rufeſcentibus; elytris ferrugineis: margine exteriore punctis fuſcis (7); abdomine nigro: apice thoraci concolore. Huic proxima figura Roeselii.

2. Ocu-

2. Oculis fuſceſcentibus; elytris ferrugineis: margine exteriore punctis fuſcis (8); abdomine fuſco: apice ferrugineo.

3. Oculis fuſceſcentibus; elytris fuſco-caſtaneis: baſi maculis binis, lanceolatis, teſtaceis: margine exteriore minime punctato; ſcutello nigro; abdomine ferrugineo.

349. NOTONECTA *Striata.*
El. *long.* lin. 4½. *lat.* ⅔.

LINN. Syſt. Nat. p. 439.
Faun. Svec. 2. 904.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 45.

Diagn. Elytrum lineis transverſis fuſcis parallelis ſimplicibus ramoſisque ſtriatum.

Habitat cum priore.

Thorax lineis transverſis fuſcis (8). Scutellum natiforme. Abdomen apice bifidum.

NEPA.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 440.

350. NEPA *Cinerea.*
El. *long.* lin. 5⅓. *lat.* 2.

LINN. Syſt. Nat. l. c.
Faun. Svec. 2. 906.
ROESEL. Suppl. Cim. Aquat. Tab. 22. fig. 6. 7. 8.
FRISCH. Inſ. 7. Tab. 15?

Diagn. Corpus oblongum, fuſceſcens; abdomine ſupra rubro, terminato cauda biſeta lineas quatuor longa.

In foſſis circa *Tergeſtum.*

Specimina noſtra omnino conveniunt cum figuris *Roeſelianis*, hinc corpus ovatum non poteſt dici. Prope oculos eſt tuberculum, quod microſcopio viſum, ſuſtinet pilos duos tresve leniter deflexos, qui pro antennis habendi.

CIMEX.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 441.

(*) *Ovati.*

(†) Scutellati Linn. l. c. Ord. * b *

351. Cimex *Lineatus.*

El. *long.* lin. $3\frac{1}{2}$. *lat.* —
Linn. Syſt. Nat. p. 442.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 55.

Diagn. Ruber; thorace lineis longitudinalibus (6), ſcutello (4) parallelis nigris; ſubtus punctis nigris.

Reperi *Lippizæ* in horto, ſupra folia *Ribeſii rubri.*

Caput rubrum; lineis duabus, in ejus apice coeuntibus. Thorax punctis prominulis ſcaber: angulis poſticis rotundatis, tres lineas latus, unam cum dimidia longus. Scutellum lin. 3. longum. Elytra rubra; membrana fuliginoſa. Alæ margine exteriore rubro; apice fuſceſcente. Corpus ſubtus, apud nos, ubique rubrum. Pedes nigro rubroque varii.

Variat lineis nigris in thorace (5-8).

352. Cimex *Maurus.*

El. *long.* lin. 3-4. *lat.* —
Linn. Syſt. Nat. p. 441.
Faun. Svec. 2. 913.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 55.

Diagn. Puncta duo pallidiora ad baſim ſcutelli. Abdomen ſubtus punctis utrinque quinis, ſubmarginalibus, ocellatis.

In *Carniolia* calidiore.

Character ſpecificus peti non debet a colore corporis, qui modo obſcure ruber, modo rubro & flavicante varius, modo pallide ferrugineus; ſubtus autem in omnibus hiſce meis varietatibus color unus & idem, nempe ferrugineus, punctis fuſcis ubique variegatus. Puncta abdominis prædicta ſunt totidem, nigra, rotundata, apice umbilicata, & atmo-

moſphæra lucidiore cincta tubercula. Reperitur etiam utplurimum lateribus abdominis fuſco-variegatis.

353. Cimex *Exanthematicus.*

Tot. *long.* lin. 4.

Diagn. Nigricans; ſupra punctis confertis albis.

Circa *Tergeſtum.* A. 1761.

Caput ſine punctis albis; antennis articulo ultimo craſſiore. Thorax linea media longitudinali & puncto utrinque albis. Scutellum punctis plurimis albis; præter hæc prædicta loca tota punctis minoribus, nigris, excavatisque varioloſa ſunt. Corpus ſubtus & pedes nigri, ſine punctis albis.

(††) Cucullati.

354. Cimex *Lectularius.*

Tot. *long.* lin. 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 441.
Faun. Svec. 2. 909.
Matth. Dioſc. p. 257.

Diagn. Rufus, compreſſus, domeſticus, homini moleſtus.

Habitat in ſedilibus, lectis, parietibus ligneis; nocturna calamitas humani generis.

In *Carniolia* volatilis etiam occurrit, noctu domibus involans. Capitur foliis *Phaſeoli*, *Pulmonariæ*, aliisque aſperioribus; necatur oleo infuſo *Scarabæi Melolonthæ*, *Agarico muſcario*, *Actea*, *Nicotiana.* An vero ad hunc, vel priorem ordinem ſpectet, dubium adhuc.

355. Cimex *Dubius.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* —

Diagn. Atro-cæruleus, punctatus, nitens; thoracis elytrorumque margine exteriore albo.

In agro *Tergeſtino.*

Dubium voco, ob ſummam cum ſequente ſimilitudinem, a quo differt elytro ſine puncto albo, & membrana albicante terminato.

356. CIMEX *Biguttatus*.

El. *long*. lin. 2. *lat*. —

LINN. Syſt. Nat. p. 446.

Faun. Svec. 2. 935.

Diagn. Niger; elytrorum & thoracis margine albo; puncto albo in quolibet elytro.

In calycibus *Rhinanthi criſtæ galli*.

Elytri membrana fuſceſcens.

357. CIMEX *Bicolor*.

El. *long*. lin. 3. *lat*. —

LINN. Syſt. Nat. p. 446.

Faun. Svec. 2. 936.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 57.

Diagn. Niger; maculis duabus albis, elytri externo margini incumbentibus.

In monticulis *Adriatico mari* proximis.

Habitus & nitor prioris, ſed maior. *Bicolor* Svecicus antice ad marginem thoracis utrinque maculam albam habet, noſter vero marginem eundem album.

358. CIMEX *Æneus*.

El. *long*. lin. 2. *lat*. —.

Diagn. Pallide æneus, punctatus: punctis impreſſis nigris; ſcutello abdomen ſubæquante: baſi punctis duobus albis.

Circa *Idriam* in herbidis collibus.

Caput emarginatum. Thorax obtuſe ſpinoſus; punctis binis, albis, elevatis ad baſim ſcutelli. Margo lateralis thoracis totus fere albicans. Elytri membranaceus apex lineolis (5) parallelis, ferrugineis. Abdomen ſubtus æneo-nitens; puncto eminente, nigro, utrinque in qualibet inciſura Sexus alter abdomen emarginato tuberculo terminatum gerit.

359. CIMEX *Juniperinus*.

El. *long*. lin. 5. *lat*. —.

LINN. Syſt. Nat. p. 445.

Faun. Svec. 2. 930.

Diagn. Viridis; thoracis margine laterali flavo; abdomine ſupra nigro.

Ruri

Ruri in plantis variis.

Maximus hujus ordinis, totus ſuperne punctatus & virens; ſubtus tamen ex viridi flavicans. Thoracis margo lateralis & apex ſcutelli flavi coloris. Elytri apex membranaceus fuſco-rufus. Abdomen apice ſubtus rubello, ſubquadridentato.

360. CIMEX *Baccarum.*

El. *long.* lin. 5. *lat.* —.

LINN. Syſt. Nat. p. 445.

Faun. Svec. 2. 928.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 56. nebuloſus.

Diagn. Thorax obtuſe ſpinoſus. Abdomen ſupra nigrum; maculis ſcutelli apicis colore tinctis, in margine variegatum, ſubtus e baſi mucronem ſupra thoracem protendens.

In plantis, baccis, hortis, & circa domos.

Statura prioris, fœtor inſignis. Apex ſcutelli, maculæ in margine abdominis, pedesque eodem colore tincti. Cæterum *Mari* antennæ unicolores, puncta marginalia abdominis flavicantia, abdomen ſubtus absque punctis; ſed variat hic 1° elytris rubellis: apice fuſceſcentibus, antennis nigris, corpore ſubtus flavo; 2° elytris æneo-virentibus; apice immaculatis, thorace obſcuro, ſcutelli apice fulvo, abdomine ſubtus ferrugineo, alis obſcurioribus. *Fæminæ* antenn. articuli duo ultimi baſi flaveſcentes, thoracis latera obtuſiora, elytrum apice fuſco-punctatum. Thorax & abdomen ſubtus nigro-punctata.

361. CIMEX *Ornatus.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* —.

LINN. Syſt. Nat. p. 446.

Faun. Svec. 2. 937.

Diagn. Rubro-nigroque varius: thorace maculis duabus, nigris, ſemibifidis: ſegmentis elytra reſpicientibus.

Collegi in itinere *Tergeſtino* A. 1761. circa *Lippiza.*

Caput, antennæ, thorax ſubtus pedesque nigri. Elytrum puncto ad apicem corii libero; macula ſubovata, nigra, in margine externo verſus baſim; margo internus elytri niger profert maculas duas,

nigras,

nigras: inferiore longiore & obtuſa; membrana elytri nigricans: margine albido. Abdomen ſubtus rubrum, in medio maculis transverſis (4), ad latus quodlibet binis ordinibus punctorum nigrorum, quorum unus marginalis puncta (5) ſubconica, alter interior puncta (6) ſubrotunda fovet, lucidiore centro pupillata.

362. Cimex *Dominulus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* —.

Diagn. Rubro-nigroque varius; thorace punctis (6) diſtinctis atris.

In pratis paludoſis.

Mas. Caput nigrum; margine rubro; antennis nigris: articulis apice rubellis. Thorax ruber; punctis ſex nigris, quorum quatuor poſtici. Scutellum rubrum; macula nigra, hemiſphærica, ad baſim. Elytrum rubrum; apice membranaceo, nigro: marigne albido; maculis binis nigris ad marginem internum; puncto nigro ad apicem: Abdomen rubrum; in apice ſuperne macula nigra, ſubtus utrinque maculis ſex ovatis nigris. Pedes nigri.

Fæmina. eodem modo colorata, ſed paulo maior.

(**) Oblongi.

(†) antenn. articulo ultimo craſſiore.

363. Cimex *Marginatus.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* —.

Linn. Syſt. Nat. p. 443.

Faun. Svec. 2. 923.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 55-56.

Diagn. Terreo-rufus. Thorax obtuſe dentatus concavus. Antenn. articulus (2.3,) & abdomen ſupra rubro-fulvi coloris.

In *Mentha aquatica* copula junctos vidi.

Mari corpus magis fuſcum. Penis craſſus, obtuſus; baſi auriculatus. *Fæminæ* abdomen pone bicorne, genitale bivalve: valvis interne ad baſim filamento inſtructis.

Uter-

Uterque ſexus abdomine baſi ſuperne nigro; margine maculis fuſcis, ſubtus utrinque tot punctis obſcurioribus, quot ſegmenta, atmoſpæra lucidiore cinctis, lucidis, umbilicatis. Elytri membrana, fuſco-aurata. Femoribus omnibus ſubtus tuberculoſo-dentatis.

364. CIMEX *Abietis.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* —.

LINN. Syſt. Nat. p. 450.
Faun. Svec. 2. 969.

Diagn. Rufus eſt, præſertim ſubtus. Abdomen & thorax ſuperne canaliculata. Tibiæ anticæ craſſiſſimæ & ſubtus dentatæ; palmis uni-unguiculatis.

In *Viburni lantanæ* floribus, & in *Geniſta tinctoria*, reperi.

Antennæ, non computata baſi, articulis tribus: extremo longiore. Roſtrum breve. Caput apice bifidum. Thorax in medio concavus; lineis binis, elevatis, longitudinalibus, angulis anticis & poſticis denticulo notatis, dente alio obtuſiuſculo prope angulum poſticum. Abdomen margine obiter crenato, ſubtus ad baſim albo, in qua albedine duo puncta nigra utrinque ſepulta ſunt.

Variat 1. Colore ubique rufo.
2. Capite, thorace, & abdomine antice fuſco-rufis.

365. CIMEX *Denticulatus.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* —.

Diagn. Thoracis margo lateralis denticulis crebris, parvis, undique armatus. Abdomen bidentatum. Femora poſtica ſpinoſa.

Circa *Tergeſtum.*

Fuſco-rufus, ſubtus ferrugineus. Caput ſub antennis denticulo utrinque inſtructum, & una cum thorace & elytris punctis confertis prominentibus ſcabrum. Antennæ villoſæ; articulo ultimo nigricante. Abdomen ſuperne rubrum, baſi nigrum; macula nigra ad apicem in medio, apice bidentata. Femora poſtica ſpinulis tribus maioribus, nec non (3-4) minoribus, decreſcentibus, inter ſpinam anticam & genu, poſitis.

366. Cimex *Agilis*.

El. *long*. lin. 4. *lat*. — 2

Diagn. Æneo-fuſcus; punctis impreſſis; abdomine ſupra rubro: apice emarginato.

In *Auſtriaco Litorali*.

Roſtrum albidum. Antennæ ex albo & fuſco variæ. Thorax angulis poſticis acutis, albidis. ſcutelli apex albidus. Elytri membrana fuſco-rufa; venis longitudinalibus, ſimplicibus, ramoſiſque lineata, inter quas puncta confluentia obſcuriora. Abdomen baſi ſuperne nigrum; apice fuſceſcente rotunde exciſo, margine fuſco, ſed flaveſcentibus punctis variegato; ſubtus cano proſtrato ſericeo villo adſperſum, punctis nigris utrinque duobus in qualibet inciſura. Femora ſupra medium albida. Tibiæ albæ: baſi & apice fuſcæ.

Cum *Cimice Ludo* Ill. Linnæi confundi non debet.

367. Cimex *Rugoſus*.

El. *long*. lin. 2. *lat*. —.

Diagn. Caput ſub antennis dente utrinque inſtructum. Dorſum plicis quatuor longitudinalibus. Abdomen rubellum.

In *Carniolia ſuper*.

Antennæ fuſcæ, longitudine ſua latitudinem thoracis minime excedentes; articulo extremo ſecundo & tertio nihilo craſſiore, brevioreque. Elytri membrana fuſca; venulis albis. Abdomen membranaceum, depreſſum: apice albido emarginato; alibi rubellum.

368. Cimex *Pandurus*.

El. *long*. lin. 5. *lat*. —.

Diagn. Rubro nigroque varius. Thorax ruber; lineis (2) nigris, longitudinalibus. Elytrum rubrum; macula media nigra, punctiſque tribus albis ad baſim apicis membranacei.

Circa *Labacum*, & in *Carniolia inferiore*.

Antennæ, roſtrum, pedeſque nigri. Caput nigrum; linea bifurca, rubra, litteram (V) referente in medio notatum. Thorax lin. 2½ latus, 1½ longus. Scutellum nigrum. Ad baſim membranæ

elytri

elytri eſt linea conica, obliqua, coriaceo margini baſi impoſita, cui infra apicem adjacet punctum album, dum alia duo puncta alba ſeparant elytri corium a membrana. Alæ teneræ, ſubhyalinæ, rufeſcente lunulata macula externe notatæ, infra quam margo alæ ad baſim uſque ruber eſt. Abdomen rubrum, carinatum; margine maculis (5), nigris, utrinque variegatum; inciſuris baſi faſcia nigra; latere vero utroque puncto nigro maculatis. Pectus nigrum; maculis rubris, utrinque tribus.

369. Cimex *Specioſus.*

El. *long.* lin. 4½. *lat.* —.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 59.

Diagn. Rubro nigroque varius. Elytri membrana nigricans; punctis tribus albis: uno libero, rotundo.

In agro *Tergeſtino.*

Antennæ, roſtrum, pectus, pedesque nigri. Caput nigrum; macula elliptica, rubra, poſtice acuminata, in medio poſita. Thorax ruber; margine antico & poſtico nigris. Scutellum nigrum. Elytri corium rubrum; faſcia & puncto ſubrotundo ad marginem interiorem, atris: eiuſdem apex membranaceus ad originem puncta duo alba, lineolas referentia, & in medio guttam ſphæricam albam gerens. Abdomen carinatum, rubrum; margine punctis utrinque (5), & ſubtus tribus paribus macularum nigrarum in medio, variegatum; ani regione nigra.

Variat pectore cinereo & tenuiſſimo veluti polline adſperſo, punctisque lucidis nigerrimis utrinque (2-3); nec non margine membranæ elytri albo.

370. Cimex *Apterus.*

El. *long.* lin. 2½. *lat.* —.

Linn. Syſt. Nat. p. 447.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 58.

Diagn. Rubro nigroque varius. Elytrum totum coriaceum, abbreviatum, rubrum; apice macula rotunda, punctoque ad baſim atris. Alæ nullæ.

In *Carniolia* non rarus, ſed antennis apice ſetaceis nullibi.

Linnæi deſcriptio bona eſt, cui adde. Caput cum thorace nitens. Roſtrum nigrum; ad baſim puncto rubro. Caput, antennas, pedesque nigros. Abdomen nigrum; margine & ani faſcia rubris. Bene etiam hunc *Cimicem* deſcripſit Amiciſſ. P. Poda. l. c.

371. Cimex *Saxatilis.*

El. *long.* lin. $3\frac{2}{3}$. *lat.* —.

Diagn. Rubro nigroque varius. Elytri corium rubrum; margine undique maculaque nigris; membrana fuſca immaculata.

Circa rupes, ſaxa, rudera, gregarius, florente *Farfara* jam exiens ſerenis diebus, circa meridiem; apud nos copioſus.

Antennæ, roſtrum, pedesque nigri. Caput nigrum; macula rubra, antice bifida. Thorax niger; margine laterali lineaque media longitudinali elevata, rubris; ſpatia nigra inter has lineas punctata. Scutellum nigrum. Elytrum baſi ad angulum ſcutelli rubrum, dein undique nigro margine ſeptum, pagina intra marginem rubra ſed macula nigra notata. Pectus nigrum; maculis utrinque tribus rubris ovatis. Abdomen carinatum, rubrum; ſubtus in medio faſciis quatuor, & margine utrinque maculis nigris variegatum.

372. Cimex *Tuberculoſus.*

El. *long.* lin. $3\frac{1}{4}$. *lat.* —.

Diagn. Antennæ nodis binis: extremo longiore, clavato. Abdomen ſuperne rufum.

Circa *Idriam.*

Antennæ nodis binis (non computata baſi), caput, thorax, roſtrum, pedesque, nigri. Thorax lin. $1\frac{2}{3}$ latus, non dentatus; punctis excavatis. Elytrum fuſcum, punctatum; membrana fuſceſcente. Alæ hyalinæ, immaculatæ. Abdomen ſuperne rufo-fulvum, ſubtus fuſco-rufum nitens. Tibiæ poſticæ faſciis duabus rufis.

Variat colore fuſceſcente, ſed tubercula occipitalia ſpeciem demonſtrant.

373. CIMEX *Nervoſus.*

El. *long.* lin. 2¹. *lat.* —

Diagn. Elytrum fere totum membranaceum; nervis tribus, fuſco-punctatis, punctoque ferrugineo trigono marginali.

Circa foſſorum, & ruſticorum ædes.

Color ſubferrugineus. Antennæ articulus ultimus minor & obſcurior. Oculi prominentes, fuſco-rufi. Ad marginem thoracis poſticum tubercula duo, lucida, ſphærica, rufa. Caput cum thorace punctis prominentibus ſcabrum. Scutellum thoraci concolor. Abdomen ſupra fuſcum; punctis tribus, flaveſcentibus; ſubtus flavicans, nitidulum, punctis ferrugineis adſperſum; margine fuſcis punctis variegato. Pedes colore thoracis, punctis obſcurioribus variegati; femoribus faſciatis: faſciis (3-4) fuſceſcentibus.

374. CIMEX *Maritimus.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* —.

Diagn. Nigricans; elytris teſtaceis, fuſco-punctatis; macula cordata, nigra; antennis pedibusque ferrugineis.

Circa litora maris *Adriatici.*

Thorax margine poſtico ac laterali teſtaceo, lineolis transverſis, ferrugineis, poſtice variegatus. Elytri membrana umbrinis lineis repandisque maculata. Femora media & poſtica apicibus fuſcis.

Eſt *Cimex Cinereus.* R. P. PODA. Muſ. Græc. p. 59.

375. CIMEX *Alpinus.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* —.

Diagn. Nigricans; elytri corio punctis ferrugineis; membrana lineis (4) longitudinalibus fuſcis; pedibus ferrugineis.

In *Alpibus Vockinenſibus Carn. ſuper.*

Oris apex, roſtrum, & baſes antennarum ferruginei coloris. Inter venulas fuſcas parallelas membranæ elytri punctum ubique unum fuſcum.

376. Cimex *Collinus.*

El. *long.* lin. 2½ *lat.* —

Diagn. Niger; elytro nucei coloris; punćto nigro, membrana fuſca; femoribus anticis denticulo notatis.

In *Carnioliæ mediæ* collibus apricis.

Thorax poſtice lineolis rubro-caſtaneis variegatus. Elytri corium nigro-punćtatum; macula ſubtetragona, nigra. Abdomen ſubtus æneo nitore fulgens; ſegmento quolibet utrinque punćtis impreſſis, binis. Alæ hyalinæ.

377. Cimex *Ferrugineus.*

El. *long.* lin. 1½. *lat.* —

Diagn. Nigricans; elytris pedibusque ferrugineis.

Circa *Idriam* collegi.

Statura *Alpini*, *Lećtulario* minor, punćtis impreſſis varioloſus. Antennæ articuli (2 - 3), colore pedum, baſi & apice nigri.

(††) antenn. articulo ultimo tenuiore.

378. Cimex *Iracundus.*

El. *long.* lin. 4¼. *lat.* —

P. Poda. Muſ. Græc. p. 58.

Diagn. Niger; roſtro arcuato; baſi rubra; thorace macula rubra; elytri corio pauco rubro; femoribus anticis craſſioribus, rubris, nigro-faſciatis.

Paſſim occurrit.

Differt a *Cim. Annulato* Linn. 1. Corpore ſubtus nigro. 2. Abdomine non faſciato, ſed maculis marginalibus, rubris. 3. Roſtro baſi rubro. 4. Tibiis nigris; faſcia poſtica rubra, variegatis. 5. Femoribus primis non tribus annulis coccineis, ſed rubra apice nigra, binisque faſciis nigris. 6. Femoribus mediis non coccineis totis, ſed nigris faſcia rubra.

379. Cimex *Perſonatus.*

El. *long.* lin. 5½. *lat.* —

Linn. Syſt. Nat. p. 446.

Faun. Svec. 2. 942.

Diagn.

Diagn. Fuſcus; roſtro arcuato; nucha tuberculis binis.

Circa *Labacum.*

Celeberr. LINNÆUS, in *Fauna Svec.* deſcripſit larvam, non infectum; ſi vero differentia ab eo data ſufficit ut adgnoſcatur, certe noſter idem erit, cui corium elytri paucum & poſtice alba linea terminatum, corpus totum villoſum, Alæ hyalinæ, abdomen ſubtus nitens & acutius quam in priore. Pedum genicula pallidiora.

380. CIMEX *Hybridus.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* —

Diagn. Niger; roſtro arcuato; elytri corio rubro; maculis binis atris; membrana fuſceſcente, ad baſim macula nigra notata; abdomine rubro; genitalium regione nigra.

In *Carnioliæ* collibus.

Videtur proles hybrida *Cimicis Perſonati* & *Panduri.* Huic nucha tuberculis binis. Abdomen rubrum, immaculatum. Femora antica craſſiora.

381. CIMEX *Gothicus.*

El. *long.* lin. 3½. *lat.* —

LINN. Syſt. Nat. p. 447.
Faun. Svec. 2. 966.

Diagn. Niger, punctatus; ſetula antennæ, capite inter oculos elytroque corii apice coccineis; abdomine ſubtus nitente.

Inveni in *Urtica dioica,* & alibi.

Variat 1. Scutello nigro.
2. — coccineo.
3. Elytri margine exteriore rubello.
— — — flaveſcente. LINN. *Faun. Svec.*
4. Thorace lateribus rubris.
5. — toto nigro.

Baſis membranæ elytri macula albida, apici corii contigua. Antennæ articulus intermedius longior, apice dilatatus, villoſus. Femora apice rubella. Tibiæ totæ fere rubellæ.

382. CIMEX *Meriopterus.*

El. *long.* lin. 2. *lat.* —

Diagn. Antennæ articulus ſecundus compreſſus, villoſus, terminatus articulis binis ſetaceis pallidis. Roſtrum pedesque citrini.

Vidi in floribus *Origani vulgaris*, & *Eupatorii cannabini*.

Species vere nova, rariſſimaque; corpore nigricante, nitido; antennis gravibus & duplo certe craſſioribus quam femora antica, articulis (1-2), fuſco-rubris, margine piloſis, dum (3-4) nigri ſunt, ſed baſi & apice citrini, ſetacei, æquales. Caput & thorax fuſcus. Elytrum anguſtum; nitido & fuſco caſtaneo corio; membrana hyalina, margine exteriore fuſca, ibidemque prope baſim albido puncto notata. Alæ rubelli vini colore. Pedes citrini & palleacei; poſtici longiores & craſſiores.

383. Cimex *Æquinoctialis*.

El. *long*. lin. 1½. *lat*. —

Diagn. Elytrum villoſum, coriaceum totum, albidum, nervoſum; nervis fuſco-punctatis; femora antica craſſiora.

Circa æquinoctium vernum in floribus, præſertim *Cynogloſſo omphalode*.

Antennæ articulus ſecundus longior, extrorſum craſſior, apice truncatus, ſuſtinens articulum tertium brevem piloſiorem, & ſetula ſeſe longiore terminatum. Roſtrum pallidum, biarticulatum. Tibiæ poſticæ tribus denticulis ſubtus inſtructæ.

384. Cimex *Pabulinus*.

El. *long*. lin. 3. *lat*. —

Linn. Faun. Svec. 2. 947.

Diagn. Color vireſcens. Antennæ corporis longitudine. Abdomen ſupra nigrum. Oculi fuſco-caſtanei. Corpus ſubtus flavo-virens.

In floribus *Gymnomonoſpermis*.

Variat 1. colore viridi homogeneo, ſubtus tamen flaveſcente, maculis nullis.

In diſco *Chryſanthemi leucanth*: & *Buphtalmi ſalicifolii*.

2. Co-

2. Colore viridi, thorace punctis binis atris, macula cordata nigra ſub abdomine, in cadavere ſenſim evaneſcente.
In floribus *Capitatis*.
3. Colore ex viridi-ferrugineo, capite macula fuſca, ſcutello linea media obſcuriore longitudinali.
Ibidem.
Huic thorax maculis binis fuſcis aut ferrugineis. Elytrum in medio ferrugineum.

385. Cimex *Umbellatarum*.

El. *long*. lin. 2½. *lat*. —

Diagn. Ferrugineus; femoribus apice fuſco faſciatis; abdomine ſupra fuſco.

In floribus plantarum *Umbelliferarum*.

Non ſine aliqua difficultate a *Pabulino* ſeparavi, quocum habitu & magnitudine convenit, licet differat thorace punctato; ſcutello punctis binis fuſcis. Variat thorace lineolis (3) ſcutelloque punctis totidem flaveſcentibus, & colore obſcuriore.

386 Cimex *Pratenſis*.

El. *long*. lin. 1¾. *lat*. —

Linn. Syſt. Nat. p. 448.
Faun. Svec. 2. 949.

Diagn. Elytrum teſtaceum; punctis duobus, fuſcis. Scutellum macula cordata flava. Abdomen nigrum nitens, lateraliter ſubtus flaveſcens.

In pratis non rarus, etiam verno tempore.

Nitens, punctulatus. Thorax antice nigricans. Elytrum punctis (2) fuſcis ad apicem corii, quorum interius majus; membrana hyalina. Femora baſi flava.

Variat 1. Pedibus totis flavis, femoribus tamen poſticis & mediis apice fuſco faſciatis.
2. Pedibus luteis, femoribus anticis baſi fuſcis, poſticis ſemifuſcis.

387. Cimex *Striatus*.

El. *long*. lin. 4. *lat*. —

Diagn. Niger, thorace in medio macula oblonga flava; ſcutello lineolis duabus flavis. Elytri corio ſtriis flavis (4) elevatis: unica ramoſa.

In *Evonymo* captus 37. Maji.

Nervuli membranæ elytri rubore quodam tincti. Macula flava puncto rubro variegata ad apicem corii. Alæ hyalinæ. Abdomen ſubtus ad baſim lineis tribus, tranſverſis, albidis.

388. Cimex *Fulvipes*.

El. *long.* lin. 3. *lat.* —

Diagn. Niger; elytri corio fuſco, baſi apiceque albo; pedibus fulvis.

In *Corylo*.

Antennæ baſi fulvæ. Alæ hyalinæ. Femora poſtica compreſſa. Larva nigra; antennis fulvis; apice nigris; elytro abbreviato, coriaceo, albo: faſcia nigra; pedibus fulvis. Tales larvæ juxta ramulos arborum ambulantes, & manum hoſtis mire eludentes, ſæpiſſime occurrunt, apteræ ſemper, & elytris dimidiatis, quæ, ne pro veris ſpeciebus adſumantur, probe cavendum. Species hæc, ab aliis omnibus diſtinctiſſima, proxime accedit *Sylveſtri* Linnæi cum vero hujus antennæ minime attenuatæ, & elytra verſus baſim alba, verſus apicem vero fuſca dicantur, ita a noſtro diverſum eſſe voluimus.

389. Cimex *Geniſtæ*.

El. *long.* lin. 2½. *lat.* —

Diagn. Totus fuſcus, raro caneſcente breviſſimo & decumbente villo adſperſus; alis hyalinis.

In *Geniſta tinctoria*.

Huic nitor nullus. Antennæ articuli duo extimi tenuiores: ultimo fulveſcente.

390. Cimex *Flavipes*.

El. *long.* lin. 2. *lat.* —

Diagn. Niger; antennis trinodiis; roſtro pedibusque flavis.

In hortis.

Lucidus. Elytri corium fuſco-caſtaneum; membrana baſi faſcia dimidiata, alba, acuminata, corio incumbente. Alæ violaceo-hyalinæ. Antennæ arti-

culis

culis tribus, non computata baſi, corpori ſubæquales. Abdomen baſi ſuperne flavicans.

(***) *Lineares.*

391. Cimex *Junceus.*

El. *long.* lin. 4. *lat.* —

Diagn. Elytri membrana oblonga, longitudine corii; femora poſtica ſubtus dentata.

Circa *Labacum* captus.

Niger, linea non craſſior, ſeptem longus. Oculi pallidiores, ſub quibus lineola rufa. Thorax fuſco-rufus, nitens. Elytrum corio fuſceſcente, antice attenuato, margine externo flaveſcente, raris & breviſſimis villis, ad lentem, adſperſo, nihilo longiore membranacea ejus portione, quæ vere oblonga & apice obtuſa eſt, nec non venis obliquis parallelis lineata. Abdomen nigrum; baſi attenuatum ibique ſubtus in medio linea flava notatum; hujus margines elatiores ſunt & punctis quatuor pallide luteis utrinque maculati. Antennæ lineas (5) longæ; articulo ultimo craſſiore. Roſtrum duas lineas longum, articulis tribus.

Cim. Calcaratum Linn. hunc non eſſe docet ejus deſcriptio in *Fauna Svec.* data.

392. Cimex *Riparius.*

El. *long.* lin. 3. *lat.* —

Diagn. Niger; capite punctis binis, flavis; thorace lateribus lineaque media flavis; ſcutello linea media, flava.

In *Salicibus,* ſecus rivos & torrentes, non rarus.

Antennæ nigræ, longitudine corporis. Elytri corium fuſco-rufum; margine exteriore flavo; membrana margine obſcuriore cincta. Abdomen ſubtus lateraliter flavicans aut rufeſcens; apice punctis binis, luteis. Tibiæ rufeſcentes. Totus piloſus.

393. Cimex *Teſtaceus.*

El. *long.* lin. $3\frac{1}{4}$. *lat.* —

Diagn. Totus teſtaceus; oculis nigris.

In *Salicibus,* poſt primum fœniſecium.

Antennæ, pedes, abdomen ſubtus, manifeſte villoſum. Femora poſtica ſubtus antice punctis fuſcis, binis, notata, longitudine abdominis. Ab oculo quolibet per thoracem decurrit linea obſcurior, obſoleta, recta. Elytri corium ad apicem obſcuriore puncto notatum. Alæ hyalinæ. Verno tempore captus, femora obſoleto virore tincta poſſidet.

394. Cimex *Lacuſtris.*

Tot. *long.* lin. 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 450.
Faun. Svec. 2. 970.

Diagn. Curſitat ſuper aquas ſtagnantes, pedibus expanſis; mediis poſticisque corpore longioribus; antennis triarticulatis, in apice capitis.

In lacubus.

Thorax ſubtus argenteo villo ſplendens. Elytrum coriaceum totum, vena bis dichotoma, nervoque, lineatum. Alæ hyalinæ. Pedes antici duplo breviores mediis.

395. Cimex *Stagnorum.*

— *long.* lin. 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 450.

Diagn. Linea dimidia vix latior, niger; thorace tuberculis binis, globoſis.

Thorax tenuis, elongatus. Caput antennis ſetaceis terminatum. Abdomen lineis elevatis longitudinaliter ſtriatum, ſemicylindricum. Pedes rufi.

APHIS.

Linn. *Syſt. Nat. p.* 451.

396. Aphis *Viburni.*

Diagn. In umbellis *Viburni*, larvæ terreæ, dein nigræ; antennis longitudine abdominis; pedibus pallidioribus.

397.

Aphides in theatro Naturæ veſte nova induti ſæpe in ſcenam prodeuntes, plantarum Paraſitæ, Succiſugi, Tyranni. Has amant *Formicæ*, eoque fine viſitant, quo homo hominem hoc ævo ſæpiſſime.

397. Aphis *Aceris.*

Diagn. Nigra, villoſa; alis macula fuſca ſubmarginali.

In *Acere campeſtri*; *larva* nigricans: pedibus antennisque pallidioribus; corpore ſubvilloſo.

— — *platanoide;* antennis infra apicem faſcia nigra in *larva* demum vireſcente; geniculis pedum nigris. Hinc *Aphis* antennis piloſis, abdomine longioribus; abdomine fuſco-viridi; alis anticis lineola ſubferruginea, marginali.

398. Aphis *Vitis.*

Diagn Virens; oculis nigris; ad latera abdominis punctulis nigris.

Habitat in *Vite vinifera,* ſub foliis.

Larva virens ovata villoſula; oculis fuſcis. *Aphis* dorſo demum fuſceſcente & nitido; puncto nigro utrinque retro antennas; alis vena una, ramis tribus inſtructa; oculis nigris; abdominis inciſuris tribus mediis ſupra nigris.

399. Aphis *Ægopodii.*

Diagn. Nigra; abdomine pallido; pedibus pallidioribus, colore roſtri.

Habitat in *Ægopodio podagraria.*

Larva nigra opaca; pedibus albidis. *Aphis* prædicta; inciſuris abdominis poſtice ad marginem villoſis.

400. Aphis *Archangelicæ.*

Diagn. Caput & thorax niger, roſtrum pallide virens, abdomen virens.

Habitat in *Angelica archangelica.*

Larva virens glabra; oculis & femoribus baſi nigris. *Aphis* glabra.

401. Aphis *Abſinthii.*

Diagn. Nigra, villoſula; oculis fuſco-fulvis; alis hyalinis: coſta vireſcente.

Habitat in *Artemiſia abſinthio.*

Larva glauco-virens; antennis atris: baſi pallidis; pedibus nigris; femoribus anticis pallidis totis. *Aphis* nondum adulta oculis fulvis, antennis

pedibusque nigris, thorace cineraſcente: puncto nigro dorſali, abdomine vireſcente: ſetis poſticis nigris piloſis.

402. Aphis *Cirſii Acanthoidis Fl. Carn.*

Diagn. Nigra glabra; pedibus rufeſcentibus; alarum venis atris.

Habitat in *Cirſio* 5. 6. *Fl. Carniol.*

Larva nigra glabra; antennis pallidis; tibiis villoſis.

403. Aphis *Jaceæ.*

Diagn. Nigra; abdomine roſtroque villoſis.

Habitat in *Centaurea jacea.*

Larva nigra nitens; abdominis inciſuris piloſis: pilis parvis, erectis, remotis; femoribus pallidioribus.

404. Aphis *Leucanthemi.*

Diagn. Caput & thorax nigra, abdomen virens, roſtrum pallide vireſcens: apice fuſcum.

Habitat in *Matricaria* 1. *Fl. Carniol.*

Larva virens, demum nigra, glaberrima; abdomine obtuſo, ſubrotundo.

405. Aphis *Scabioſæ.*

Diagn. Larva glabra, virens; abdomine ſubvilloſo; alis immaculatis.

Habitat in *Scabioſa* 2. *Fl. Carniol. p. 351.*

406. Aphis *Pruni.*

Diagn. Nigra; abdomine viridi-nigroque vario.

Habitat in foliis *Pruni hortenſis,* quæ convolvit & vitiat.

Larva vireſcens, glabra. *Aphis* pedum articulis nigris.

407. Aphis *Craccæ.*

Diagn. Larva tenui quadam lana caneſcens, hinc forte generis ſequentis.

Habitat in *Vicia Cracca.*

Huc retuli Linnæum ſecutus. Syſt. Nat. p. 452.

408.

408. Aphis *Fabæ.*
Diagn. Larva nigra, glaberrima.
Habitat in *Vicia faba;* unde læſa fæcunditas, imo & ſterilitas.

409. Aphis *Geniſtæ.*
Diagn. Nigra; alis puncto fuſco.
Habitat in *Geniſta tinctoria.*
Larva nigra, cinereo quaſi polline adſperſa, quem decutit paritura.

410. Aphis *Urticæ.*
Diagn. Caput & thorax nigra, roſtrum excolor, abdomen viride.
Habitat in *Urtica dioica.*
Larva atro-virens glabra nitens; lateribus abdominis ſuperne tot punctis excavatis utrinque, quot ſunt eius inciſuræ.
Species alias prætermitto a Celeberr. Linnæo jam adnotatas.

CHERMES.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 453.

411. Chermes *Evonymi.*
Diagn. Niger; pedibus pallidis.
In *Evonymo vulgari*, cujus folia convolvit.
Larva nigra; ſeriebus quatuor pororum, umbilicatorum abdominis (†); thorace ſubviridi. *Chermes* alis (4) depreſſis, antennis tenuiſſimis.

412. Chermes *Cratægi.*
Diagn. Larva plumbeo-virens; plica abdominis longitudinali, media.
In convolutis & læſis foliis *Cratægi ſpinoſi.*
Inſectum non vidi.

413.

(†) Unde *Aphides* fluidum nectar, *Chermes* vero glutinoſum & in lanam concreſcentem ſuccum, plorant.

413. CHERMES *Senecionis.*

Diagn. Flavo-virens, antenn. articulo ultimo craſſiore, duobusque pilis terminato.

In *Senecione* 3. *Fl. Carniol.*

Occiput maculis binis, fulvis. Thorax baſi ſubtus ſpinulis duabus inſtructus. Oculi glauci. Alæ albidæ, deflexæ. Abdominis latera fuſco-faſciata.

Larvam non vidi.

414. CHERMES *Pruni.*

Diagn. Abdomen rubrum: punctis faſciisque lateralibus fuſcis.

In foliis *Pruni hortenſis*, duo tresve ſimul.

Alæ anticæ fuſco-ferrugineæ. Antennæ pilis duobus divaricatis terminatæ. Oculi fuſci. Dorſum vix gibbum.

Larva mihi ignota.

415. CHERMES *Fraxini.*

Diagn. Habitatio ad baſim novorum ramorum *Fraxini orni* (apud nos), *excelſioris* LINN. Nam *Ornus* apetala eſt, *Fraxinus* vero MICHEL., in quo Inſecta noſtra degunt, corollam gerit.

Larva infans nuda, pallida; oculis fuſcis, adoleſcens capite fuſco, ſex ordinibus pororum abdominalium, adulta ovato corpore.

Chermes flavo-nigroque varius; alis ad apicem puncto fuſco, alioque inferiore marginali. *Formicæ* has quoque viſitant, & maxillas luna nivea inquinatas inde reportant.

416. CHERMES *Pyri.*

Diagn. *Mas* nigricans, *fœmina* abdomine fulvo.

In foliis *Pyri comm.*

Antennæ 5-nodiæ: ultimo articulo duabus ſetulis terminato.

417. CHERMES *Alni.*

Diagn. Antennæ 7-nodiæ. Corpus vireſcens. Alæ immaculatæ. Larvam tegit denſa lana plumoſis floccis longioribusque radiata.

Habitat in *Alno* de qua lege fuſam Ill. LINN. deſcriptionem. Faun. Svec. 2. 1008.

THRIPS.

THRIPS.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 457.

418. THRIPS *Phyſapus.*
LINN. Syſt. Nat p. 457.
Faun. Svec. 2. 1027.

Diagn. Nigra; alis pallidioribus.

In flore *Ranunculi paluſtris*, fuſca, raris pilis adſperſa; antennis obſcuris. Abdomen exiliens, flexile ut in *Staphylinis;* ſegmentis margine rufis.

In flore *Bellidis majoris*, copioſiſſima, nigra tota; antennarum articulis baſi albidis; tibiis anticis craſſioribus, compreſſis.

In flore *Hypochæris maculatæ*, tota nigra; pedum unguiculis albidis; alis margine piloſis. An ſpecies diſtinctæ?

OR-

ORDO III.

LEPIDOPTERA.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 458.

ALÆ QUATUOR IMBRICATÆ SQUAMIS. CORPUS PILOSUM.

PAPILIO.

Linn. *Syſt. Nat.* l. c.

I. TETRAPI. (†)

(*) *Alis angulatis.*

419. Papilio *Antiopa.*

Alæ ant. *long.* unc. 1. lin. 5½. *lat.* lin. 11½. (††)

Linn. Syſt. Nat. p. 476-477.
Faun. Svec. 2. 1056.
Robs. Papil. Diurn. Cl. I. Tab. 1. fig. 5. 6.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 71.

Diagn. Nigricans; alarum limbo utrinque aliter colorato, intra quem ſuperne maculæ cæruleæ in ala ſuperiore octo, in inferiore ſeptem, in unam ſeriem ordinata. (†††)
Habitat in *Salice.*

Alæ

(†) Natura hos ordines inſtituit, nec fruſtra.
(††) Alæ longitudo a baſi ad apicem latitudo ab apice ad angulum poſticum; quarum proportio conſtans.
(†††) Colores ex cadaveribus, non vero ex vivis animalibus, deſumpti ſunt; quorum prævalentes primarii.

Alæ anticæ ſupra color

1. Caryophyllinus, a baſi usque ad faſciam nigram extenſus.
2. Albus aut iſabellæ, limbi utrinque & macularum duarum margini craſſiori antice adſidentium; nec non tibiarum.
3. Niger, faſcia nempe nigra adjacens limbo.
4. Cæruleus, maculæ cæruleæ nigræ faſciæ impoſitæ.
5. Roſatus, acceſſorius, quo limbus in margine & præſertim circa poſticum angulum adſperſus, non perpetuus, & facile evanidus.

— — infra color

1. Fuſcus, & fuſcæ lineolæ punctaque in limbo.
2. Niger, lineolæ nigræ transverſæ confertæ.
3. Albus aut iſabellæ limbi, & punctum concolor in medio ſeptem linearum intervallo a baſi diſtans; maculæ marginis craſſioris fuſco-variegatæ.

— poſticæ ſupra anticis concolores, absque maculis in margine ſuperiore faſciaque nigra ſeptem maculis ovatis cæruleis variegata.

— — ſubtus anticis concolores, puncto in medio colore limbi.

Antennæ alarum paginæ ſuperiori concolores, clavæ apice fulvo.

Nigricans dicitur, quia a longe viſus, totus niger apparet, propius autem obſervatus non item. Color caryophyllinus eſt equidem ſed obſcurior. Verno tempore circumvolans limbum album ſemper habet, alio autem tempore ſæpius iſabellatum; adſervatus limbum album quandoque acquirit qui talis non erat antea; idem punctis caryophyllinis ſæpius variegatus.

Larva echinata, nigra. Pupa fuſca, bicornis, poſtice adpenſa. *Ichneumonis* puparum aptiſſimus nidus.

420.

420. Papilio *Polychloros.*

— *long.* unc. 1. lin. 1½. *lat.* lin. 9.
Linn. Syſt. Nat. p. 477.
Faun. Svec. 2. 1057.
Roesel. Papil. Diur. Cl. I. Tab. 2. fig. 4. 5.
Frisch. Inſect. 6. Tab. 3. fig. 4. 5.

Diagn. Alæ ſupra corticinæ: anticæ maculis nigris, ovalibus, quatuor, liberis.

Habitat in *Salice caraſo.*

Alæ anticæ ſupra color.

1. Corticinus.
2. Niger; faſcia nigricans ſubmarginalis; maculæ tres ad marginem ſuperiorem, quarum duo majores margini inſidentes, alia minor libera anterior; in diſco maculæ aliæ quatuor ſubovatæ: anteriore majore;
3. Fuſcus, margo exterior. (†)

— — infra —

1. Cupreſſinus.
2. Umbrinus, quo baſis faſciatim variegata, & cupreſſinus alibi lineatim & punctatim denſe maculatus; faſcia ab angulo poſtico ad angulum alæ diſtans ab apice intervallo lin. 2½.

— poſticæ ſupra color

1. Corticinus.
2. Niger, macula ſemieliptica prope marginem ſuperiorem in medio poſita, faſcia obſoleta undata ſubmarginalis.
3. Cæruleus, maculæ hemiſphæricæ faſcia nigra immerſæ.
4. Fuſcus, quo dentes colorati.

— — infra —

1. Umbrinus, ab alæ baſi extenſus per ſpatium lin. 6½. longum; ſimiles lineolæ transverſæ crebræ alibi paginam cupreſſinam variegantes.

2. Cu-

(†) Alæ *margo ſuperior* aut craſſior a baſi ad apicem, *exterior* ab apice ad angulum poſticum, *inferior* ab angulo poſtico ad baſim.

2. Cupreſſinum punctum in medio, intervallo lin. $1\frac{1}{2}$ diſtans ab umbrino & exteriore margine.

Var. 1. Inter maculas duas majores margini exteriori alæ anticæ incumbentes, colore albido

2. — Citrino.

3. Maculis ſubmarginalibus cæruleis in alæ poſticæ pagina ſuperiore (3-4).

Antennæ clava recta: apice corticino.

421. Papilio *Urticæ.*

— *long.* lin. 11. *lat.* $7\frac{1}{4}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 477.
Faun. Svec. 2. 1058.
Roesel. Papil Diurn. Cl. I. Tab. 4. fig. 6. 7.
Friſch. Inſ. 6. Tab. 3. fig. 5. 6.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 71.

Diagn. Alæ anticæ corticinæ faſcia limbi maculisque ſenis atris, quarum tres majores margini ſuperiori impoſitæ, aliæ in diſco liberæ: antica duplo & triplo majore.

Habitat in *Urtica urente.* Linn. ſed etiam circa *Idriam*, & alibi, ubi *Urtica urens* nulla.

Alæ anticæ color ſupra

1. Sature corticinus.
2. Niger in locis prædictis.
3. Cæruleus, maculæ aut puncta 5-8. in faſcia nigra limbi.
4. Albus, maculæ ad marginem ſuperiorem, inter faſciam & maculam proximam.

— — — infra

1. Cupreſſinus in limbo.
2. Umbrinus baſeos, marginis exterioris, & maculæ ſubconicæ magnæ baſi ſua ſuperiori margini impoſita.
3. Niger, lineolis repandis transverſis umbrinam baſim variegantibus.

— poſticæ color ſupra

1. Niger a baſi ad medium uſque, faſciaque limbi.
2. Sature corticinus in area interjecta.
3. Cæruleus, maculæ hemiſphæricæ 6-7. faſciæ immerſæ.

— — — infra

1. Umbrinus a baſi ad medium uſque, nec non in limbo.

2. Cupreſſinus, areæ interjectæ, umbrinisque lineolis transverſis variegatæ.

Variat 1. Lineola cupreſſina in medio alæ poſticæ ſubtus,

2. Abſque hac lineola, aut puncto.

Antennæ clava nigra; apice corticinio.

422. PAPILIO *C album*.

— *long.* lin. 10½. *lat.* 7.

LINN. Syſt. Nat. p. 477.

Faun. Svec. 2. 1059.

ROESEL. Papil. Diurn. Cl. I Tab. 5. fig. 5. 6.

FRISCH. Inſect. 4. Tab. 4. fig. 5. 6. p. 6-9.

Diagn. Alæ ſinuatæ, poſticæ ſubtus in medio linea curva alba C latinum referente notata, cujus convexitas inſecti corpus reſpicit.

Habitat in *Humulo* &c.

Alæ anticæ color ſupra

1. Corticinus.

2. Umbrinus limbi & macularum (7), quarum quinque liberæ, tres aliæ marginibus adjacentes.

— — — infra

1. Umbrinus faſciæ mediæ obtuſe-angulatæ & macularum ad baſim poſitarum, nec non limbi ab angulo alæ ſuperiore ad ejus poſticum.

2. Cupreſſinus inter faſciam & limbum, ſed exiguis conſertis umbrinis lineolis transverſis variegatus.

3. Viridis, maculæ obſoletæ variantes verſus limbum.

— poſticæ color ſupra ut in anticis, ſed margo undique umbrinus & tres maculæ umbrinæ in diſco, verſus baſim liberæ.

— — — ſubtus ut in anticis, ſed maculæ virides plures, & in medio album C.

Variat 1. Maculis binis alarum anticarum ſuperiorem paginam antice occupantibus liberis & cohærentibus.

2. Ma-

2. Macula poſtica marginali ibidem manifeſta, aut obſoleta.
3. Alis ſubtus non tam cupreſſino quam corticino colore tinctis.
4. Alis poſticis ſubtus maculis nonnullis vireſcentibus & ſubocellatis.

423. Papilio *Jo.*

— *long.* unc. 1. & lin. 1½. *lat.* 9.

Linn. Syſt. Nat. p. 472.
Faun. Svec. [illegible] 1048.
Roesel. Inſect. Diur. Cl. I. Tab. 3. fig. 4. 5.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 66.

Diagn. Ocellus magnus pavonio ſimilis unus in qualibet alæ pagina ſuperiore.

Habitat in *Urtica dioica* &c.

Alæ anticæ color ſupra
1. Fulvus.
2. Murinus limbi.
3. Niger, margo ſuperior, maculæ duo magnæ ei impoſitæ & margo exterior ocelli.
4. Oſſeus, lineolæ transverſæ in margine ſuperiore uſque ad maculam nigram majorem extenſæ, maculæ tres ad marginem eundem.
5. Cæruleus, pollen adſperſus ſpatio a linea nigra lunata ocelli & maculis oſſeis poſticis intercepto.
6. Albus puncta quinque prope limbum, quorum tria cæruleo colori immerſa.

— — — infra
1. Plumbeus.
2. Cupreſſinus limbi, punctorumque (6) verſus marginem exteriorem.
3. Niger, lituræ transverſæ ad baſim, ſtriæ confertæ transverſæ in diſco, maculæ lunulatæ 6-7 in limbo.

— poſticæ color ſupra
1. Murinus.
2. Niger ocelli ovati lin. 3½. longi, ejusque ſupercilii.
3. Cæruleus pupillæ ocelli abruptæ.

4. Oſſeus palpebræ utriusque, & pollinis ad baſim alæ.

— — — infra

1. Plumbeus.
2. Niger, lituræ transverſæ repandæ, lineolæque plurimæ.
3. cupreſſinus, verſus limbum interſperſus, punctoque in medio alæ.

424. Papilio *Atalanta.*

[illegible] — *long.* unc. 1. & lin. 2. *lat.* 9.

Linn. Syſt. Nat. p. 478.
Faun. Svec. 2. 1060.
Roesel. Papil. Diur. Cl. I. Tab. 6. fig. 6. 7.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 72.

Diagn. Alæ ſupra nigræ; anticæ faſcia media minia, poſticæ limbo minio.

Habitat in *Urtica dioica.*

Alæ anticæ color ſupra

1. Niger.
2. Minius, vividior tamen quam trochus exhibet.
3. Albus, maculæ (7), quarum ſex inter faſciam & limbum, una in ipſa faſcia, margo alæ albo nigroque varius.
4. Cæruleſcens, lineolæ convexæ (5) ſubmarginales.

— — — infra

1. Niger.
2. Minius, faſcia ut ſupra.
3. Albus, maculæ ut ſupra, tribus extimis ſubocellatis.
4. Cupreſſinus, inter apicem & maculam albam majorem.
5. Cæruleus, linea conica ad baſim, & alia linea recurva (ρ) inter faſciam & maculam majorem albam.
6. Iſabellæ inquinans baſim faſciæ rubræ.

— poſticæ color ſupra

1. Niger; ut & puncta (4) in faſcia limbi.
2. Minius, faſcia limb.
3. Albus nigroque varius margo exterior.
4. Cæruleus, maculæ duo didymæ ad angulum ani, margine nigro.

— infra

— — — infra

1. Cupreſſinus ſed obſcurior.
2. Niger lineæ inæquales transverſæ vagæ, ut & palpebræ ocellorum ad limbum.
3. Iſabellæ, macula in medio marginis ſuperioris nigro-nebuloſa, conica, baſes ocellorum, lineæ marginales (7).
4. Albus & nigro varius margo exterior.
5. Cæruleus, lineolæ hemiſphæricæ, pupillas ocellorum conſtituentes, nec non lineam ſubmarginalem.

Antennæ lin. 7. longæ; ſtipite nigro: annulis albis, clava nigra: apice corticino. Oculi corticini; cruce nigra, punctis quinque facta, inſcripti.

Larva echinata. Pupa antice bifida, maculæ auri nudi ad baſes tuberculorum auctorum poſticæ partis, evaneſcentes, cum ex pupa partui proxima alarum rubra faſcia translucet.

(**) *Alis dentatis.*

425. Papilio *Hypermneſtra.*

— *long.* unc. 1. & lin. ½. *lat.* lin. 7.

Roesel. Suppl. Tom. IV. Tab. 7. fig. 1. 2.

Diagn. Alæ ſupra iſabellatæ; maculis, venis, faſciaque marginali pectinata, nigris.

Labaco miſſus, an indigena? in vineis *Auſtriæ* certe ſpontaneus.

Alæ anticæ color ſupra

1. Iſabellæ.
2. Niger, maculæ (5) exteriori margini incumbentes; venæ nigræ; faſcia marginalis dentibus octo pectinata, duplex.
3. Ruber, punctum intra maculam nigram extimam.

— — — infra

1. Cereus.
2. Niger, maculæ venæ faſciæque ut ſupra.
3. Cinnaberinus, maculæ alternæ marginales ſupra nigræ.
4. Minius, ſpatia dentibus faſciæ quinis aut ſenis duplicatis relicta.

— poſticæ color ſupra

1. Iſabellæ.

2. Niger faſcia limbi dentata duplex, venæ & maculæ his interpoſitæ.
3. Cinnaberinus, maculæ (6).
4. Cæruleus color ſquamarum alæ quarumdam infra baſim maculæ cujusque cinnaberinæ ad limbum poſitæ.

— — — infra

1. Cereus.
2. Niger, ut ſupra.
3. Cinnaberinus, maculæ ut ſupra, & ſpatia inter dentium faſciæ duplicaturas.

Antennæ lineas quatuor longæ; ſtipite hepatico, clava nigra gibba. Circum oculos annulus cinnaberinus. Abdomen utrinque binis ordinibus punctorum cinnaberis colore.

Variat 1. Macula punctoque nigris, vel maculis duabus nigris inter marginem inferiorem alæ anticæ & nervum ſecundum ibidem.
2. Maculis alternis nigris marginalibus ejusdem alæ ſubtus maxima parte nigris, aut totis fere cinnaberinis.
3. Area illa ovali ad baſim alæ poſticæ poſita, ex qua fere parallelæ demum oriuntur decurruntque venæ, maculis (2) & puncto nigro, aut maculis (3), vel denique (4) parallelis notata.

426. Papilio *Cardui.*

— *long.* unc. 1. & lin. 1. *lat.* 8½.

Linn. Syſt. Nat. p. 475.
Faun. Svec. 2. 1054.
Roesel. Papil. Diurn. Cl. I. Tab. 10. fig. 6-7.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 69.

Diagn. Alæ anticæ fuſcæ; inſulis tribus, ochreaceis in medio albisque maculis quinis ad apicem, quarum tres ſphæricæ: poſticæ ſubtus ocellis quatuor.

In *Carniolia* non rarus.

Alæ anticæ color ſupra

1. Fuſcus.
2. Ochreaceus.
3. Albus, albæ quoque lineæ ſublunatæ (5) in limbo, verſus apicem.

— infra

— — — infra

1. Nigricans, maculæ octo circiter inæquales angulatæ ſparſæ a baſi ad medium uſque.
2. Albus, maculæ magnæ tres exteriori margini impoſitæ; aliæ tres multo minores rotundæ, ut ſupra; lineæ juxta totum limbum in faſciam quaſi unitæ ſubmarginales.
3. Ochreaceus in medio.
4. Corallinus verſus baſim.
5. Cervinus ad apicem.

— poſticæ color ſupra

1. Ochreaceus inſulæ in medio & limbi.
2. Murinus ubique alibi.
3. Fuſcus, maculæ (5) ſubrotundæ, aliæ (7) ſubmarginales; ſex aliæ in margine.
4. Cæruleus, ſquamæ nonnullæ ad baſes macularum fuſcarum duarum cohærentium ad angulum ani.

— — — infra

1. Albus.
2. Cervinus, maculæ variæ, nebuloſam reddentes albam paginam.
3. Cæruleus ſquamarum, quæ pupillas efficiunt ocellorum.
4. Niger, annulus ultimus ocellorum lateralium.
5. Paleaceus annulus penultimus ocellorum lateralium.

Antennæ lin. (7) longæ. Ocelli, alarum poſticarum ſubtus, intermedii minores.

427. Papilio *Galathea.*

— *long.* unc. 1. & lin. 1. *lat.* 7.

Linn. Syſt. Nat. p. 474.
Roesel. Suppl. Cl. II. Tab. 37. fig. 1. 2. bene.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 68.

Diagn. Alæ ſupra fuſcæ albido maculatæ, poſticæ ſubtus ocellis ſenis: ultimis binis coalitis minoribusque.

In gramineis ſubſylveſtribus *Carnioliæ* non rarus.

Alæ anticæ color ſupra

1. Fuſcus.

 — infra

2. albus *fœminæ*, iſabellæ *mari*, nempe maculæ (13), majore ad baſim.

— — — infra

1. Albus, maculæ magnæ, una ad baſim, tribus in medio.
2. Fuſcus.
3. Iſabellæ ocelli fuſco-punctulati, pupilla glauco-argentea.

— poſticæ color ſupra.

1. Fuſcus.
2. Albus aut iſabellæ, macula magna cuneiformis ad baſim, aliæ 8-9 in medio faſciam quaſi efficientes, maculæ aliæ ſubmarginales (3-6).

— — — infra

1. Albus.
2. Iſabellæ fuſco-punctatus.
3. Glauco-argenteus pupillarum.

Antennæ lin. (6.) longæ, clavæ apice corticino. Abdomen nigrum. Volatus lentus; inſeſſus facilis.

428. Papilio *Fagi.*

— *long.* unc. 1. & lin. 4. *lat.* 10.

Diagn. Fuſcus; faſcia communi, utrinque lucidiore, alis ſingulis ſubtus ocello.

Inter *Fagos*, & circa tuguria ruſticorum.

Alæ anticæ color ſupra

1. Fuſcus, fuſcæ huius partis margine exteriore dentato; limbus fuſcus, ocellus fuſcus; pupilla alba faſciæ lucidiori impoſitus, una cum macula minore rotunda.

— — — infra

ut ſupra, ſed faſcia lucidior, & ocellus maculaque nigra.

— poſticæ color ſupra

1. Fuſcus, pariter externe dentatus.
2. Albus faſciæ, albo fuſcoque varius marginis exterioris.

— — — infra

1. Fuſcus.
2. Albus faſciæ & pupillæ ocelli.

3. Ni-

3. Niger liturarum trium dentatarum & transverſarum.

Antennæ lin. 6½. longæ, clava compreſſa obtuſa gibba, ſubtus albida, baſi corticina.

Corpus fuſcum.

Variat 1. Macula ad apicem alæ ſupra ocellata & cœca.

2. Faſcia alæ anticæ utrinque oſſea.

3. Ala antica ſupra ocello parvo, aut puncto cœco notata.

4. Punctis tribus albis ſub ala poſtica, in eadem cum ocello diſtantia a margine.

429. Papilio *Dryas.*

— *long.* unc. 1. & lin. 3. *lat.* 9.

Diagn. Alæ concolores; anticæ utrinque ocellis binis atris; pupilla glauca.

Inter *Quercus.*

Unus & idem alæ utriuſque color, obſcurior tamen faſcia verſus limbum ſub alis poſticis.

Variat 1. Colore murino, ocelli inferioris in alæ pagina inferiore, diametro lin. 2½.

2. Ocellis iiſdem ſubtus atmoſphæra lucidiore.

3. Alæ longitudine unciali; ocello utroque cæcutiente & parvo.

4. Colore fuſco: ocellis æqualibus.

5. Ocellis etiam æqualibus, ſed alis poſticis utrinque ocello exiguo.

Antennæ ſemiunciales, apice corticinæ; clava tenui: apice curvula; volatus lentus; ſtructura facies, proportio partium geometrica, locus natalis idem, ſpeciem indicant.

430. Papilio *Iris.*

— *long.* unc. 1. lin. 4. *lat.* 10½.

Linn. Syſt. Nat. p. 476.

Roesel. Papil. Diurn. Cl. I. fig. 3. 4.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 70.

Diagn. Alæ ſupra colore variantes pro vario oculi ſitu, ſingulæ ſubtus uni ocellatæ, anticæ ſupra ad apicem maculis binis, albis.

In *Carniolia* paſſim occurrit, æſtate.

Variat 1. Alis fuſceſcentibus; anticis maculis (11) albis; poſticis faſcia alba ocelloque nigro cœco: iride ochreacea, qui ſub alis anticis pupillam habet cæruleſcentem, & maculas duas, albas iridi immerſas. Alæ poſticæ ſubtus faſcia alba dente exterius inſtructa. Huic potiſſimum convenit differentia LINNÆANA.

2. Alis fuſceſcentibus; faſcia maculisque ochreaceis; punctis binis albis ad apicem anticarum utrinque, quæ maculas albas ſubtus habent, & ocellum cœcum. Alæ poſticæ ſubtus faſcia albida non dentata; ocelli pupilla cæruleſcente. Hanc pinxit ROESELIUS.

3. Alis anticis ſupra, caſtaneis; maculis ochreaceis; faſcia abrupta; paleacea, maculisque ad apicem tribus albis; poſticis faſcia paleaceo-ochreata, maculisque ochreaceis, ſubtus ocello obſcuriore faſciaque albida obſoleta.

431. PAPILIO *Mæra.*

—. *long.* lin. 11. *lat.* 7.

LINN. Syſt. Nat. p. 473.
Faun. Svec. 2. 1049.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 67.

Diagn. Ex notis conſtantibus hiſce.

1. Ocellus magnus utrinque verſus apicem, cui ſubtus adjacet exiguus alter.
2. Alæ anticæ ſubtus corticinæ; lineis transverſis fuſcis quatuor, quarum una a margine craſſiore ad angulum poſticum uſque producta.
3. Alæ poſticæ ſupra ocellis plerumque tribus.
4. Eædem alæ ſubtus aliter ac ſuperiores coloratæ; lineis repandis transverſis binis obſcurioribus anticis, & ocellis ſex

prope

prope limbum, quorum duo abdomini proximi in unum fere coaliti.

Paſſim in gramineis.

Variat I. alis anticis ſupra

1. Nuceis.
2. Corticina macula cuneiformi magna poſtica, cuius baſis ocellum continet.
3. Nigro ocello, cuius diameter lin. $1\frac{1}{2}$ pupilla alba parva.

— — infra

1. Griſeis circumquaque & ad baſim.
2. Corticinis alibi.
3. Macula, ut ſupra, ocellata ſed paulo majore.

— poſticis ſupra.

1. Nuceis.
2. Corticina atmoſphæra ocellorum.
3. Nigra iride, ocelli, cuius pupilla alba.

— — infra

1. Griſeis ubique, exceptis ocellis, & ſtriis transverſis.

II. Alis anticis poſticisque ſupra corticinis; faſciis, lineis, venisque fuſcis; poſticis ocellis quatuor.

— — — ſubtus corticinis; ſtria lineisque transverſis fuſcis.

— poſticis ſubtus, ut in Varietate priori, ſed ocellis (7), quorum duo ad angulum ani coaliti.

III. Alis anticis corticinis; limbo, margine toto lineis faſciaque rivuloſa fuſcis; ocelli diametro lineari.

— — — ſubtus ut in Var. 2.

— poſticis ſupra fuſcis; faſciis binis obſoletis, corticinis; ocellis tribus.

— — ſubtus, ut in priore.

IV. Alis anticis poſticisque ut in Var. 3. ſed his ſupra ocellis quatuor; ſubtus ut in priore.

Larva virens, ſubvilloſa. Pupa vireſcens, obtuſe bifida, pone lateribus echinatis.

432. Papilio *Ægeria.*

— *long.* lin. 10. *lat.* 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 473.

Roesel. Tom. IV. Tab. 33. fig. 3. 4.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 68.

Diagn. Alæ omnes utrinque murinæ, anticæ ocello utrinque ad apicem maculisque paleaceis variegatæ; poſticæ ſupra ocellis tribus; ſubtus punctis tribus, albidis, atmoſphæra murina cinctis.

In ſylveſtribus herbidis, non rarus.

Ocellus alarum anticarum maculæ ſubovatæ, paleaceæ, ſæpius immerſus.

Variat 1. Ocellis alæ poſticæ ſupra atmoſphæra corticina cinctis, aut paleacea, iiſque plus minus evidentibus.

2. Ocello anticarum alarum macula una in apice, alia ab baſim.

Hiſce notis adgnoſci & a priore facile diſtingui poteſt.

433. Papilio *Achine.* (†).

—. *long.* unc. 1. *lat.* lin. 8.

Diagn. Alæ ſupra murinæ: anticæ ocellis cœcis (5), poſticæ ſupra (4) cœcis, ſubtus (6) pupillatis.

In *Frangula ora folii integra*, ſeu *Rhamno alpino.*

Alæ anticæ color ſupra

1. Murinus.

2. Niger macularum ocellarium; utrinque (5).

3. Paleaceus annuli ocelli cuiuſque.

— — — infra

1. Murinus.

2. Paleaceus faſciæ & annuli cujuſque ocelli.

3. Griſeus, lineolæ transverſæ mediæ.

— poſticæ color ſupra ut anticæ.

— — — infra

1. Murinus.

2. Al-

(†) Danai Regis mater, e quo filiæ quinquaginta natæ.

2. Albus lineolæ obliquæ & faſciæ.
3. Niger iridis ocellorum, pupilla alba parva: gemina in ocello ad angulum ani poſito.
4. Paleaceus annulus ocelli ſinguli.

Palpi nigri rachi alba. Oculorum margo poſterior albus. Antennæ lin. (5) longæ, nigræ alboannulatæ; clava tenui, ſub apice corticina, extrorſum deflexa. Corpus fuſceſcens.

434. Papilio *Polymeda.* (††).
—. *long.* lin. 11. *lat.* 7.

Diagn. Supra murinus, ſubtus nuceus; alis anticis ſupra ocellis binis, infra ſubternis, poſticis ſupra binis, ſubtus quinis.

In *Caprifolio*, ſeu *Lonicera xylosteo.*

Alæ anticæ murinæ, ſingulæ ſupra ocellis binis, atris, parvis, quaudoque cœcis.

Poſticæ ocellis (5) annulo paleaceo cinctis, quorum duo in medio ad marginem ſuperiorem, alii poſtici verſus marginem interiorem.

Variat 1. Alis ſupra & infra murinis: anticis ad apicem ſubtus ocellis binis.
2. Alis omnibus ſubtus nuceis: anticis ſubtus ad apicem ocellis tribus.

435. Papilio *Jurtina.* (ſexus unus.)
—. *long.* unc. 1. *lat.* lin. 7.

Linn. Syſt. Nat. p. 475.
Faun. Svec. 2. 1052.
Roesel. Suppl. Cl. I. Tab. 34.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 69.

Diagn. Ala antica utrinque ad apicem ocello immerſo maculæ alterius coloris, cui diameter linearis & pupilla excentrica; poſtica vero ſubtus faſcia lata pallidiore.

In herbidis collibus *Carnioliæ* frequens.

Variat

(††) Mater Jaſonis, cui e Colcho reduci, *Æmona*, ſeu *Labacum*, ſuam debet originem anno ante Chriſtum 1223, poſt diluvium 1174, ante Romam conditam 472. Schoenleben.

Variat 1. Alis ſupra murinis, anticis macula corticina, magna, cuneiformi.
— anticis ſubtus corticinis; diſco obſcuriore.
— poſticis ſupra murinis.
— — ſubtus cervinis fuſco-punctulatis; faſcia pallidiore, ſubpaleacea, fuſco punctulata, in qua puncta tria nigra: exterioribus binis, interiore & verſus angulum ani, tertio.
2. Alis ſingulis ſupra murinis, ſed macula corticina obſoleta.
— poſticis ſubtus ut in Var. 1. ſed punctis tantum binis, atris, in faſcia.
3. Alis ſingulis murinis; macula albida: baſi corticina, utrinque.
— poſticis ſubtus faſcia vix evidenter lucidiore, abſque punctis nigris.
4. Alis ſingulis cervinis; macula anticarum utrinque alba.
— poſticis ſubtus faſcia pallidiore, & unico, nigro, puncto interius notata.

435. Papilio *Janira*. (ſexus alter).
— *long.* lin. 11. *lat.* 6½.
Linn. Syſt. Nat. p. 475.
Faun. Svec. 2. 1053.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 69.

Diagn. Alæ ſingulæ murinæ utrinque ſed anticæ ſubtus corticinæ; limbo murino, ocelloque ad apicem utrinque parvo.

Una cum priore in copula viſa.

Huic ocelli pupilla centralis, macula ocellum continens nulla, alæ poſticæ verſus limbum obſcuriſſime pallidiores binisque punctis nigris atmoſphæra corticina cinctis.

Variat 1. Ocello alarum anticarum ſubtus pupilla obſcura.
2. Punctis poſticarum exterioribus punctulo albo ocellatis.

436. Papilio *Ligea*.
—. *long.* lin. 11½. *lat.* 8.
Linn. Syſt. Nat. p. 473.
Faun. Svec. 2. 1050.

Diagn.

Diagn. Alæ omnes utrinque fuſcæ: anticæ utrinque verſus apicem ocellis punctisve binis contiguis] intra faſciam aut maculam corticinam ſepultis.

In ſylvis noſtris, paſſim.

Notæ conſtantes in omni Varietate, præter totas, nullæ. Neque *Ligeam* Il. Linnæi huc retuliſſem, niſi eius alas fuſcas; faſcia fulva dixiſſet, quæ in omnibus fere varietatibus obſervantur, inter quas præcipuæ ſequentes.

Var. 1. Alis ſupra nigricantibus: anticis macula oblonga, corticina, in medio coarctata, in qua ocelli tres utrinque: poſticis maculis tribus, corticinis, quarum exterior ocellum, aliæ punctum nigrum continent.
— infra pallidioribus; anticis ut ſupra maculatis poſticis immaculatis.

2. Alis fuſcis; anticis ſupra faſcia corticina, in qua ocelli tres: infra eadem faſcia cum ocellis tribus.
— — poſticis ſupra faſcia corticina, in qua ocelli quatuor minores: infra faſcia pallidior, immaculata & cœca.

3. Alis fuſcis: anticis ſupra faſcia corticina, interrupta, in qua ocelli duo: infra, ut ſupra.
— — poſticis ſupra ocellis quatuor; atmoſphæra corticina: infra ocellis quinque; atmoſphæra eadem.

4. Alis fuſcis, anticis ſupra ocellis tribus; atmoſphæra corticina: infra ocellis binis punctoque nigro.
— — poſticis ſupra ocellis quatuor: exteriore cæcutiente: infra ocellis quatuor punctoque nigro exteriore.

5. Alis fuſcis, anticis ſupra faſcia corticina, in qua puncta tria nigra: ſubtus, ut ſupra.
— — poſticis ſupra faſcia cortici punctis tribus atris: infra punctis bus atmoſphæra corticina cinctis.

Digitized by Google

437. Papilio *Cinxia.*

— *long.* lin. 10. *lat.* 6½.

Linn. Syſt. Nat. p. 480.
Faun. Svec. 2. 1063.
Roesel. Tom. IV. Tab. 13. fig. 6. 7. & Tab. 18. fig. 4.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 73.

Diagn. Varietates noſtræ haſce notas communes habent.

1. Alæ ſupra corticinæ, fuſcis maculis variegatæ;
2. Alæ utriuſque margo albo - fuſcoque varius;
3. Limbus alarum ſuperne fuſcus;
4. Alæ anticæ ſubtus corticinæ; apice poſticis ſubtus concolore;
5. Poſticæ ſubtus faſciis binis eiuſdem ſæpe coloris ac pagina inferior alæ anticæ;
6. Faſcia antica alæ poſticæ rivuloſa.

In gramineis frequens.

Var. Alis poſticis ſubtus

1. Paleaceis nigro maculatis; faſciis corticinis: anticæ inſula unica.
2. —— nigro maculatis; faſciæ anticæ inſula nulla.
3. —— nigro maculatis; faſciis abruptis.
4. Cereis, lineis transverſis dentatis maculisque nigris.
5. —— faſcia prima compoſita maculis (5) corticinis ſublunatis, altera inſulis binis.
6. —— faſcia antica inſulis tribus.
7. —— faſcia antica inſula nulla.
8. Paleaceis; faſcia prima Var. 5. altera inſulis binis.

438. Papilio *Paphia.*

— *long.* unc. 1. & lin. 4. *lat.* lin. 10.

Linn. Syſt. Nat. p. 481.
Faun. Svec. 2. 1064.

Roe-

Roesel. Papil. Diur. Cl. I. Tab. 7. fig. 4. 5.

Diagn. Alæ corticinæ fuſco-maculatæ: poſticæ ſubtus vireſcentes; faſciis argenteis.

Paſſim circumvolat, etiam in ſylvis.

Alæ *anticæ* in limbo binis ordinibus macularum fuſcarum, ad marginem ſuperiorem rudi numerica inſcriptione utrinque ſignatæ, ſubtus ad apicem vireſcentibus maculis variegatæ; *poſticæ* ſupra binis ordinibus macularum liturisque fuſcis; ſubtus limbo faſciisque tribus argenteis, quarum anticæ binæ pyramidatæ & abruptæ.

Var. 1. Alis anticis apice ſupernæ immaculatis; margine parumper fuſceſcente; poſticis ſubtus ordinibus binis macularum rotundarum fuſco-vireſcentium; limbo rubore quodam ſuffuſo.

2. Alis ubique fuſco-maculatis; margine fuſco.

3. Alis ſingulis ſupra murinis, fuſco-maculatis: anticis ſubtus apice flavicantibus alibi pallidis; ſingularis hæc varietas in ſylvis reperta, circa *Idriam*.

439. Papilio *Aglaja*.

— *long.* unc. 1. & lin. 2. *lat.* 8½

Linn. Syſt. Nat. p. 481.
Faun. Svec. 2. 1065.
Roesel. Tom. IV. Tab. 25. fig. 4. 5.

Qui ad ſolum numerum & nitorem macularum in his ſpeciebus attenderit, is ſane fallere & falli poteſt. Ego lubricas haſce notas expertus, limites dabo forte certiores, ne multiplicentur entia ſine neceſſitate.

Diagn. 1. Ala antica ad marginem craſſiorem lituris nigris quinque transverſis, arabicas litteras referentibus, quarum quarta duplex.

2. Eadem venis parallelis fuſcis ſtriata.

3. Inter has venas maculæ rotundæ, liberæ ſex, quarum unica punctum eſt.

4. Maculæ aliæ quatuor nigræ pariter, ſed totum ſpatium inter venas occupantes.
5. Eadem ala ſubtus maculis in diſco ſeptem nigris.
6. Ala poſtica ſupra maculis ſubmarginalibus lunatis nigris ſeptem, quibus proximæ ſunt aliæ tres maculæ rotundæ, duoque puncta nigra.
7. — — infra maculis (7) argenteis aut pallidioribus in limbo, totidem in medio transverſim ſeriatæ, totidemque ad baſim.

In pratis.

P. Aglaja Linn. alas poſticas ſubtus anterius vireſcentes, nullasque maculas inter ſeriem poſticam & mediam argenteam poſitas, gerit, & paulo major eſt.

P. Cydippe. Linn. Faun. Svec. 2. 1066. paulo minor, alas poſticas ſubtus paleaceas, & maculas ſature corticinas 4-5 inter duas poſticas ſeries argentearum locatas habet, quarum tres argenteum punctum in medio gerunt.

Hujus varietatem habeo, maculis alarum, quæ argenteæ ſunt in aliis, in hac minime talibus & duntaxat pallidioribus.

440. Papilio *Lathonia.*

— *long.* lin. 11. *lat.* 7

Linn. Syſt. Nat. p. 481. ſed figura Roeselii hic citata non eſt *Lathoniæ*, ſed *Euphroſynes* meæ.
Faun. Svec. 2. 1068.

Diagn. Convenit cum priore alis corticinis nigro maculatis ſed differt

1. Alis ſingulis ad limbum ſupra binis ordinibus macularum, quarum plures ſubrotundæ.
2. Alis anticis ſubtus ad apicem maculis parvis argenteis (6-8).
3. Alis poſticis ſubtus ad marginem externum maculis argenteis (7) inæqualibus,

libus, quarum duo penultimæ exteriores majòres ſunt.

4. — — — ordine macularum fuſceſcentium & argenteo centro notatarum, (7).

5. — — — maculis aliis usque (12) anterioribus argenteis ſparſi inæqualibus, quarum ea quæ medium alæ tenet omnium maxima eſt, & cuneiformis.

In pratis.

Variat colore corticino plus minus exaltato, maculis nigris & fuſcis, nec non alæ anticæ longitudine lin. (9).

441. Papilio *Euphroſyne.*

—*long.* a lin. 7½. ad 11½. *lat.* 4½-6.
Linn. Syſt. Nat. p. 481.
Faun. Svec. 2. 1069.
Roesel. Suppl. Papil. Diurn. Cl. I. T. 10.

Diagn. Vere difficilis; mihi ex ſequentibus notis, quæ propriæ omnibus.

1. Si obverſum adſpicias animal, in ala ſiniſtra ad marginem craſſiorem lituras quatuor anteriores ita figuratas habet ac ſi videres numerum (1071).
2. Ad limbum alæ utriusque ſupra ſeries duæ macularum, quæ in antica ſublunatæ, in alia vero & interiore ſubrotundæ, nigræ.
3. Margo externus alæ utriusque niger.
4. Ala poſtica ſubtus maculis (7) marginalibus, pallidioribus, æqualibus.
5. — — — dein ſerie punctorum (6).
6. — — — cui ſuccedit faſcia pallida, conſtans maculis (8) inæqualibus & diverſæ figuræ, quarum media cuneiformis major, & ſæpius argentea.
7. — — — ſupra hanc maculam majorem eſt punctum nigrum vel argenteum.

8. — — — ad baſim maculæ (4) pallidiores, intima & extima ſæpius argenteis.

In pratis, & collibus, frequens.

Aliæ omnes notæ fallaces & incertæ ſunt, nam

Var. 1. Alis poſticis maculis ſupra (7) albidis marginalibus.

2. — iisdem ſubtus ſature corticinis, aut ſubrubentibus.

3. — — — maculis marginalibus albis & argenteis.

4. — — — punctis limbi fuſcis cœcis, aut puncto lucidiore vel argenteo ocellatis.

5. — — — faſciæ macula majore ſola argentea.

6. — — — — macula majore, una cum extima & intima, argenteis.

7. — — — — omnibus albidis, nec ulla argentea.

8. — — — puncto prope baſim nigro, aut nigro & margine paleaceo, vel argenteo.

9. — — — maculis baſeos duabus tribus vel quatuor argenteis.

10. Habeo & bina ſpecimina alis anticis ſupra fuſcis, poſtice corticino nebuloſis.

11. — — ſpecimen alis albo-fuſcoque variis: poſticis ſubtus maculis faſciaque griſeis.

442. Papilio *Prorſa.*

— *long.* lin. $8\frac{1}{2}$. *lat.* lin. $5\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 480.
Roesel. Papil. Diurn. Cl. I. Tab. 8. fig. 6-7.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 72.

Diagn. Alæ ſupra murinæ, ſubtus fuſco-rufæ, omnes utrinque faſcia media alba, primoribus interrupta.

In *Carniolia* calidiore.

Utra

Utraque ala, præter faſciam albam, punctis & lineolis pariter albis variegata eſt, ſed in hac ſpecie alæ poſticæ ſuperne lineolas corticinas, in duas ſeries limbo parallelas ordinatas prope limbum habent; ſubtus vero, alæ omnes, ad baſim, albis lineis fere reticulatæ ſunt. Præterea huic ala antica utrinque inter faſciam & apicem exhibet puncta alba (6), quorum quartum (a coſta deorſum numerando), reliquis majus eſt & rotundum. Definitio Papilionis hujus a Linnæo data, etiam ſequenti convenit, etſi omnino diverſus ſit.

443. Papilio *Rivularis.*

— *long.* lin. 11. *lat.* lin. 7.

Diagn. Supra niger, ſubtus rufo-caſtaneus; alis poſticis utrinque faſcia alba, maculis diſtinctis, (6-7), oblongis & angulatis facta.

Circa rivulos & aquas in ſylvis volitat, Auguſto M.

Alæ anticæ utrinque maculis tribus approximatis albis, intervallo trium vel quatuor linearum ab apice, diſſitis; nec non macula elliptica, pariter alba, in medio, utrinque, ſed verſus coſtam collocata.

Var. 1. Alis anticis, utrinque, præter maculas quatuor dictas, aliis (4 & 8), inæqualibus, maculatis.
— poſticis, faſcia facta maculis ſeptem, vel ſex tantum cum puncto intermedio, loco maculæ ſeptimæ.

2. Alis poſticis ſubtus baſi duabus, albis, oblongis, contiguis maculis.
— — — — omnino albis; in qua varietate limbus alæ poſticæ ſubtus puncta (7) nigra gerit.

3. Alis ſuperne fuſceſcentibus; macularum obſcuriorum ſeriebus binis in limbo, ſubtus fuſco-ferrugineis; maculis iisdem limbi. Alæ poſticæ baſi pallide cæruleæ; maculis nigris.

Varietas hæc major prioribus, nec adeo nigricans.

II. HEXAPI.

(*) *Equites.*

444. Papilio *Machaon.*

— *long.* unc. 1. & lin. 5½. *lat.* unc. 1.
Linn. Syſt. Nat. p. 462.
Faun. Svec. 2. 1031. cum optima deſcriptione.
Roesel. Papil. Diurn. Cl. II. Tab. 1. fig. 4. 5.
Frisch. Inſ. 2. Tab. 10. fig. 2. 6.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 61.

Diagn. Alæ luteæ; limbo ſuperne fuſco maculis anticarum (8), poſticarum (6) luteis; macula rotunda croci auſtriaci ruditer pulveriſati colore.

Habitat in *Dauco carota, Ruta graveol.* &c.

Alæ anticæ color ſupra
1. Niger, ad baſim & initium limbi luteo polline adſperſus.
2. Luteus, maculæ (3) ad marginem ſuperiorem, (8) in diſco: interioribus majoribus, (8) in limbo, quarum tres verſus apicem ſubrotundæ cæteræ fere hemiſphæricæ.

— — — infra
1. Luteus.
2. Niger; faſciæ duo parallelæ poſteriores, ad angulum alæ poſticum in unam confluentes; nervi in diſco; maculæ (3-4) obſoletæ ad marginem craſſiorem.

— poſticæ color ſupra
1. Luteus.
2. Niger limbi.
3. Cæruleus macularum obſoletarum (6) in limbo.
4. Crocatus maculæ ad angulum ani poſitæ; lunato nigro annulo circumdatæ, ſuperne cæruleſcente polline, ſub annulo adſperſæ.

— in-

— — — infra
1. Luteus.
2. Niger, nervorum & liturarum transverſarum, ac caudæ.
3. Cæruleus ſub qualibet litura ordinis anterioris.
4. Crocatus maculæ ad angulum ani.

Antennæ, lingua, abdomen ſupra nigrum.
Variat alis anticis baſi & faſcia limbi nigris, luteo tamen polline adſperſis.

445. Papilio *Podalirius.*

— *long.* unc. 1. & lin. 7. *lat.* unc. 1. & lin. 1
Roesel. Papil. Diurn. Cl. II. Tab. 2. fig. 3. 4.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 62. Sinon. Tab. 2. fig. 1.

Diagn. Alæ ſupra albidæ aut luteſcentes; limbo fuſco; anticæ faſciis inverſe pyramidatis, fuſcis, ſenis, alternis brevioribus; poſticæ faſciis binis fuſcis, tenuioribus.

Apud nos frequens, cœnoſis in locis & circa aquas libenter ſedens.

Alæ anticæ ad baſim faſciis binis integris, cæteris ad oppoſitum marginem usque non productis.

— eædem ſubtus margine externo faſciisque (7) nigris, quarum media ad baſim oblonga pallide lutea macula notata eſt; nulla harum faſciarum oppoſitum alæ marginem integre attingit.

— poſticæ ſupra maculis lunatis cæruleis (4) limbo fuſco immerſis; margine dentato: dentium ſinubus flavo margine præditis: dente quarto in caudam nigram lin. (7) longam: apice albidam, producto. Ad angulum ani macula ſubrotunda nigra, puncto excentrico cæruleo ocellata, palpebra ſuperiore crocata.

— — ſubtus luteolæ faſciis (4) nigris, intermediis approximatis; maculæ (4) cæruleæ margine nigro; ocellus ad angulum ani ut ſupra.

(**) *Heliconii.*

446. Papilio *Macaronius.* (†)

— *long.* lin. 10. *lat.*—

Diagn. Antennæ corpore nigro longiores, alæ luteæ: poſticæ baſi apiceque nigræ.

Unicum cepi circa *Idriam*, in herbido colle.

Antennæ nigræ, longæ; clava lata, obtuſa, brevi. Caput lin. (2) craſſum, hirſutum.

Alæ integerrimæ lanceolatæ, ſubtus quaſi vernice lucida oblitæ; anticæ nervulis reticulatæ & ſeminudæ; maculis binis, fuſcis, ex eo reticulo transparentibus; poſticæ flavæ, lin. (8) longæ, latiores anticis; apice nigro.

447. Papilio *Apollo.*

— *long.* unc. 1. & lin. 3½. ad lin. 7. *lat.* 11-12.
Linn. Syſt. Nat. p. 465.
Faun. Svec. 2. 1032.
Roesel. Papil. Diurn. Cl. II. Tab. 45. fig. 1. 2.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 66. Rhea.

Diagn. Albidus totus; alis anticis utrinque maculis (3-4), nigris, poſticis utrinque ocellis binis cinnaberinis; pupilla alba; iride nigra.

Habitat ad radicem alpium noſtrarum, præſertim ad pedem *M. Greben*, *Grindovirz*, in *Kankertholl*, & ſupra *Gariutſche* inter *Veldes* & *Vochein.*

Huic, præter dicta, propria ſunt. 1. Facies *Papil. Cratægi*, quo paulo major. 2. Nativitas circa dies caniculares. 3. Volatus lentus, quo captu facilis redditur. 4. Macula nigra alæ anticæ marginem inferiorem ſpectans ſubrotunda. 5. Alæ ejusdem limbus fere nudus. 6. Ala utraque pellucens, ſtrepens, ſubtus lucida nudiuſcula. 7. Antennæ lin. (5) longæ; clava nigra; ſtipite albo-nigroque vario. 8. Ad baſim alæ poſticæ ſubtus maculæ duæ, cinnaberinæ.

Hujus

(†) In honorem *Merlini Coccaji* Poëtæ Mantuani lepidiſſimi, edito *Macaronicorum* opere clari.

Hujus cauſa potiſſimum, *Danai* candidi Europæi *Heliconiæ* gentis Novitii facti in *Faun. Svecica* 2.

Variat 1. ſupra ocellis pallide cinnaberinis, & maculis binis atris ad angulum ani.
2. — ocellis cinnaberinis; pupilla excentrica, maculis ad angulum ani iisdem.
3. — ocellis iisdem, maculis ad angulum ani rubro puncto notatis.
4. — — — maculis hiſce cinnaberinis; margine nigro.
5. — ocello poſtico antice obtuſo aut emarginato.
6. — — eodem pupilla alba gemina.

Larvam & pupam deſcripſit Roeselius. l. c. p. 29-36.

448. Papilio *Cratægi.*

— *long.* unc. 1. & lin. 2. *lat.* 8½.
Linn. Syſt. Nat. p. 467.
Faun. Svec. 2. 1034.
Roesel. Papil. Diurn. Cl. II. Tab. 3. fig. 5. 6.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 62-63.

Diagn. Albus totus; alarum venis, præſertim ſubtus, nigris.

Habitat in *Pruno domeſtica* & *Cratægo ſpin.*

Margo alarum anticarum ſæpius denudatus, poſticarum non item; lunula nigra ad coſtam primorum non ſemper adeſt. Conventicula inſtituit æſtate circa vias publicas, cœnoſas, & circa rivulos. Delectatur floribus *Braſſicæ* & *Salviæ hortenſis.*

Larva ſupra nigra, ſub communi tentorio in ſocietate vivens, quod deſerit Majo M. integras arbores foliis ſuis ſæpe denudans; maculis fulvis ad latus utrumque undecim. *Pupa* flavicans, nigromaculata, antice acuminata; hinc natus *Papilio* mœconium roſeum excernit, aut bolarem. *Fœmina* antennæ clavam ſemialbam gerit.

449. Papilio *Mnemoſyne.*

— *long.* unc. 1. & lin. 2½. *lat.* lin. 8½.

Linn. Syſt. Nat. p. 465.

P. Poda. Muſ. Græc. P. *Cratægi β.* in litteris vero *Mnemoſyne.*

Diagn. Simillimus P. *Cratægi*, ſed diverſus maculis binis atris ſubangulatis in ala antica qualibet, in medio, prope coſtam.

Circa *Labacum* captum miſit R. P. Wulfen.

Huic antennæ lineas quinque longæ, nigræ. Alæ ſubtus ſplendidæ ac ſi vernice oblitæ forent.

450. Papilio *Braſſicæ.*

— *long.* unc. 1. & lin. 3. *lat.* 9.

Linn. Syſt. Nat. p. 457.

Faun. Svec. 2. 1035.

Roesel. Papil. Diurn. Cl. II. Tab. 4. fig. 5. 6.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 63.

Diagn. Albus; alis anticis ſupra coſta apiceque nigris, ſubtus maculis binis nigris ſubrotundis.

Paſſim reperitur.

Variat 1. alis anticis utrinque maculis binis nigris.

2. — — ſupra abſque maculis.

3. — poſticis in medio marginis ſuperioris macula nigra.

451. Papilio *Rapæ.*

— *long.* lin. 11. *lat.* 6½.

Linn. Syſt. Nat. p. 468.

Faun. Svec. 2. 1036.

Roesel. Papil. Diurn. Cl. II. Tab. 5. fig. 3. 4.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 63-64.

Diagn. Ala antica uncia non longior, macula nigra ſaltem ſubtus notata; alæ poſticæ ſubtus fere ſulphureæ atomis fuſcis adſperſæ. Antennæ clava apice corticino.

Habitat in *Braſſica oleracea.*

Variat 1. alis omnibus immaculatis, anticis ſubtus maculæ nigræ veſtigium litteræ latinæ (V) ſimile gerentibus.

2. alis

2. alis anticis apice fuſceſcente, ſupra macula una nigra, ſubtus binis: media nigra majore emarginata, altera obſoleta.
3. alis anticis apice maculaque una ſuperne, ſubtus binis atris: media majore.
4. — — apice, maculiſque binis utrinque fuſcis, ſubtus obſoletis.
5. — — apice fuſco, maculis binis æqualibus nigris utrinque.
6. — — apice fere excolere, maculis binis nigris æqualibus utrinque.

Larva viridis, villoſula, ocello luteo: pupilla nigra, utrinque in ſingulis ſegmentis. Pupa luteovirens, antice acuminata; linea dorſali eminente & laterali pallidioribus; punctis luteis ſub linea laterali tot quot ſegmenta poſticæ partis.. Poſt dies aliquot eadem albidior redditur, & omnem ſenſim virorem exuit.

452. Papilio *Sinapis.*

— *long.* lin. $9\frac{1}{2}$. *lat.* fere 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 468.
Faun. Svec. 2. 1038.

Diagn. Minor priore, albus totus; alis anticis abſque maculis in medio & ſolis apicibus ſupra ſæpius fuſceſcentibus.

Ruri, & circa hortos, paſſim degit.

Variat 1. alis omnibus totis albis, nec apice fuſcis.
2. — anticis apice ſupra fuſco veluti polline leniter inquinatis.
3. — — apice toto fuſco.
4. — — apice toto nigricante.

Antenn. capitulum apice nigrum, corticineo tamen puncto notatum.

453. Papilio *Napi.*

— *long.* lin. 10. *lat.* 6.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. p. 468.
Faun. Svec. 2. 1037.

Diagn. Statura ſequentis. Alæ ſubtus lineis obſcurioribus juxta nervos decurrentibus variegatæ.

In *Braſſica*.

Variat 1. alis albis, baſi nigricantibus: anticis apice fuſcis; utraque ſubtus lituris longitudinalibus, juxta venas decurrentibus, glaucis.

2. alis ſupra oſſeis; lituris murinis; ſubtus albis; lituris fuſcis.

454. Papilio *Cardamines*.

— *long.* lin. 9. *lat.* 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 468. mas.
Faun. Svec. 2. 1039. mas.
Roesel. Papil. Diurn. Cl. II. Tab. 8. fig. 5. 6. fæmina. 7. 8. mas.

Diagn. Alæ utriuſque ſupra prævalens color albus; anticæ in medio verſus marginem craſſiorem macula alterius coloris utrinque; poſticæ ſubtus viridi nebuloſæ.

Habitat in *Naſturciis*, præſertim *Cardamine*.

Mas minor alis *anticis* baſi albis, apice fuſcis; ſpatio ab his coloribus relicto aurantio; macula ſublunata parva nigra libera in medio poſita intra aurantium colorem. Eadem ala ſubtus baſi iſabellata; apice albido venuliſque glaucis variegato, alibi aurantiæ ſeu colore *Agarici chantarelli* cum macula nigra, ut ſupra.

— alis *poſticis* ſupra albis, ſubtus pariter albis ſed viridi nebuloſis.

Variat 1. alis anticis apice ſuperne fuſcis; puncto utrinque medio ſemi ovali.

2. — — apice utrinque fuſcis; puncto nigro ſubrotundo.

3. — — abſque puncto utrinque.

Fæmina alas albas gerit, anticas ad apicem fuſcomaculatas, absque aurantio colore; maculæ illæ ſubtus

tus vireſcentes ſunt, ut & pagina inferior alæ poſticæ viridi - nebuloſa.

Variat 1. alis anticis ſupra macula lunata libera apicibusque fuſcis, poſticis rivuloſe viridi-nebuloſis.

2. alis anticis macula angulata libera apicibusque fuſco-nebuloſis, poſticis ſubtus faſciatim viridi-nebuloſis.

3. alis anticis macula angulata marginem proximum contingente fuſca; apicibus fuſco-nebuloſis; poſticis ſubtus ut in Var. 2.

4. alis anticis maculis binis didymis oblongis apicibusque fuſco-nebuloſis.

455. Papilio *Hyale*.

— *long*. unc. 1. *lat*. lin. 6½.

Linn. Syſt. Nat. p. 469.
Faun. Svec. 2. 1040.

Roesel. Suppl. Cl. II. Pap. diur. Tab. 46. fig. 4. 5.

Diagn. Alæ ſupra concolores: anticæ margine externo, apiceque ſupra nigris; macula media utrinque nigra; poſticæ ſubtus ocello medio, ſubargenteo, cæco; omnes, præſertim ſubtus, rubella fimbria terminatæ.

In herbidis locis, & ſubſylveſtribus non rarus.

Antennæ lin. 3½. longæ; ſtipite rubello; clava obtuſa, obſcuriore. Alæ poſticæ in medio macula aurantia, ſubtus limbo punctis (4-5) fuſceſcentibus, variegato. Volatus celer; inquietum animal it reditque ſæpius eadem fere via, floribus non diu inſidens.

Mas alis aurantiis, ſubtus pallidioribus; utriusque limbo ſuperne nigro: anticis ſubtus punctis vel maculis tribus in limbo fuſcis.

Variat 1. Maculis binis, flavis, alarum primorum fuſco limbo immerſis; alis poſticis ſubtus ocello medio, cœco, ſesquialtero, argenteo.

2. Alarum anticarum limbo fuſco, absque maculis luteis; poſticis ocello Var. 1.

3. Lim-

3. Limbo alarum anticarum immaculato; ocello ſubtus poſticarum unico ſubargenteo.

Fæmina alis ſulphureis: anticis limbo maculis ſulphureis variegato; poſticis abſque limbo fuſco.

Variat 1. Alis poſticis ſubtus ocello unico.

2. — — — — ſesquialtero.

3. Alis ſupra pallidioribus: poſticis limbo ſubfuſco, ſubtusque ocello ſesquialtero.

An ergo *Papil. Trite* Ill. Linnæi huc referendus, examinent autoptæ.

456. Papilio *Rhamni.*

—. *long.* unc. 1. & lin. 2. *lat.* 7½.

Linn. Syſt. Nat. p. 470.

Faun. Svec. 2. 1042.

Roesel. Suppl. Cl. II. Papil. Diurn. Tab. 46. fig. 7. mas.

— fig. 2. fæmina.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 65.

Diagn. Alæ utrinque concolores, angulatæ: ſingulæ in medio puncto ſuperne aurantio, ſubtus æneo-ferrugineo, notatæ.

Paſſim occurrit, ſed larvam in *Rhamno* nondum vidi.

Antennæ deflexæ, rubellæ, extrorſum craſſiores; apice fuſco, lin. (4½) longæ. Thorax & abdomen baſi albidis ſericeis longis villis pubeſcentia.

Mas alis ſulphureis.

Fæmina — pallidioribus.

Martio & Aprili M. jam circumvolat.

457. Papilio *Amyntas.*

—. *long.* lin. 8. *lat.* lin. 5½.

R. P. Poda. Muſ. Græc. p. 79.

Diagn. Alæ anticæ corticinæ; limbo fuſco, cui ſubtus immerſus eſt unicus ocellus prope apicem. Poſticæ fuſceſcentes; ſubtus faſcia dentata alba & ocellis ſex: quinis infra, unico ſupra faſciam.

Habitat in herbidis & ſubſylveſtribus, non infrequens.

Alæ poſticæ ſupra ad angulum ani fulvo colore tinctæ. Ante ocellum alæ anticæ ſubtus eſt macula albida. Faſcia poſticarum, apud nos, alba. Ocellus ſolitarius, ſub alis poſticis, adjacet margini ſuperiori; ocellus anguli ani minimus, duo huic proximi maximi ſunt.

458. Papilio *Menalcas.*

—. *long.* lin. 7. *lat.* lin. 4½.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 78.

Diagn. Alæ primores utrinque, poſticæ ſupra tantum, pallide ochreaceæ. Ad apicem alæ anticæ eſt macula aut punctum nigricans, quod ſubtus ocellus eſt.

Habitat apud nos paſſim.

Alæ rotundatæ, ut in priore; limbo plus minus fuſceſcente; fimbria cinerea. Alæ anticæ ſubtus apicem poſticis alis concolorem habent. Ocelli pupilla eſt punctum album, iris nigra, quam ambit annulus alæ pagina pallidior. Ab alæ poſticæ margine ſuperiore deſcendit ad medium uſque faſcia repanda, ſupra quam ala eadem obſcurior eſt, quam verſus limbum.

Papiliones hi *Heliconiis* potius, quam *Ruralibus* adnumerandi.

(***) *Rurales.*

459. Papilio *Pruni.*

—. *long.* lin. 8. *lat.* 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 482.
Faun. Svec. 2. 1071.
Roesel. Papil. Diurn. Cl. II. Tab. 7. fig. 4. 5.

Diagn. Alæ concolores ſupra fuſcæ, ſubtus pallidiores: poſticæ caudula nigra: apice alba, ſupra ad angulum ani maculæ colore gummi ceraſorum, ſubtus linea transverſa alba.

Reperitur etiam ubi *Prunus* nulla.

Papilio Roeselii omnino noſter eſt a Linnæo quoque citatus ibidem, etſi alas poſticas in *Fauna Svecica* aliter deſcribat, ac ego coram habeo. Et ſane, ſi unquam, certe in hac proſapia facilis eſt multiplicatio ſpecierum, quoties ex una aliave no-

notula characteres ſpecifici definiuntur. In noſtris varietatibus hæ notæ communes ſunt. 1. Antennæ fuſcæ, annulis albis variegatæ; clava ſubtus & apice fulva. 2. Oculorum margo albus. 3. Pectus cinereo-cæruleſcens. 4. Alæ ſupra fuſcæ, ſubtus pallidiores, & nunquam obſcure-cinereæ. 5. Sub utraque ala linea alba conſtans lineolis in unam ſeriem diſpoſitis. 6. Prope caudam alæ poſticæ ſubtus maculæ duæ ſaltem ſaturato gummi ceraſorum colore tinctæ, ſubhemiſphæricæ: apice nigro.

Variat 1. Lineola ſub alis poſticis obſoleta, ſub anticis fere nulla.

2. Maculis ſub ala poſtica in limbo 3-5.

460. Papilio *Rubi.*

—. *long.* lin. $6\frac{1}{2}$. *lat.* $4\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 483.

Faun. Svec. 2. 1077.

Diagn. Alæ ſupra pallide cervinæ, ſubtus vireſcentes: poſticæ ſemideutatæ.

In *Rubo.*

Alæ poſticæ ſubtus punctis (4-5) albis; intimo dente incurvo.

461. Papilio *Argus.*

Diagn. 1. Alæ ſupra concolores, ſine maculis ocellaribus, margine obſcuriore albaque fimbria terminato; ſubtus alio eoque pallidiore colore tinctæ; maculis ocellaribus multis atris plerumque rotundis, iiſque pluribus ſub poſticis, quam ſub anticis alis.

2. Alis poſticis ſubtus baſi cæruleis.

3. Maculis prope diſcum alæ anticæ ſubtus rotundioribus, ſenis.

4. Maculis prope diſcum alæ poſticæ ſeptem, in unam quaſi ſeriem diſpoſitis.

5. Antennis ſtipite nigro, annulis albis variegato; clava tenui.

6. Oculis fuſco-caſtaneis, ante & poſtice lineola alba notatis.

7. Margo ſuperior ſeu craſſior alarum anticarum albus.

9. Fa-

8. Facies, volatus, alarum figur., proportio partium, omnibus his eadem.

P. *Arion*.

— *long*. lin. 10. *lat*. 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 483.
Faun. Svec. 2. 1073.
Roesel. Suppl. Papil. Diurn. Cl. II. Tab. 45. fig. 3. 4.

Diagn. Alæ fuſcæ; diſco cæruleo, fuſcis maculis variegato.

In ſylveſtribus locis.

Ala antica ſubtus prope baſim puncto nigro rotundo, dein macula ſubcordata, poſtea ſerie transverſa repanda macularum (7); quarum extima punctum eſt, dein in limbo duo ordines punctorum (7).

— poſtica absque faſcia maculisve fulvis ad limbum.

Variat ſtatura minore, & macula ovata in medio alæ anticæ ſubtus, loco maculæ cordiformis.

P. *Argus*.

—. *long*. lin. 6½. *lat*. 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 483.
Faun. Svec. 2. 1074.

Diagn. Alæ ſubtus canæ: poſticæ faſcia crocata, dentata, ſubtus prope limbum.

In herbidis collibus.

Alæ, apud nos, ſupra fuſcæ, fimbria albo fuſcoque varia terminatæ; anticæ maculis duabus cuneiformibus, cæruleis, longitudinalibus, contiguis, ad baſim ſuperne poſitis, quarum una altera duplo major; ad apicem maculæ cæruleæ majoris, macula nigra jacet. En *Arionis* in *Argum* degenerantis argumentum! Eadem ala ſubtus ordine interno macularum limbi in faſciam coeuntium. Ala poſtica ſubtus inter ordines binos macularum limbi crocato colore tincta. Nulla harum alarum macula iride lucidiore cincta eſt.

P. *Argiolus*.

— *long*. lin. 5. *lat*. 4½.

Linn. Syſt. Nat. p. 483.
Faun. Svec. 2. 1076.

Diagn. Alæ ſupra cæruleæ, alba fimbria terminatæ: poſticæ punctis nigris & absque maculis crocatis aut fulvis in limbo.

Cum priore.

Ill. Linnæus poſuit puncta nigra, parva, decem, ſparſa, ſub alis ſecundariis, quæ apud nos etiam duodecim occurrunt.

Papilio Roeselii quartus Tab. 37. Cl. 2. Papil. diurn. huc pariter reduci poſſet, cum alæ ejus poſticæ ſubtus careant maculis fulvis.

Varietatem habeo, alis ſupra fuſcis, anticis unico ordine macularum in diſco.

P. ***Idas.***

—. *long.* lin. 6½. *lat.* 5.

Linn. Faun. Svec. 2. 1075.

Diagn. Alæ ſupra ut in *Argiolo*, ſed poſticæ ſubtus ordine macularum crocatarum in limbo.

Cum prioribus volitat, & circa rivulos congregatur.

Variat· 1. Alis ſupra cæruleis: *anticis* fimbria alba nigro-punctata terminatis, punctis ſubtus ad baſim tribus, dein unico oblongo, poſtea ſeptem, denique binis ordinibus macularum fuſcarum in limbo; *poſticis* punctis tribus ad baſim, dein (9) in diſco, denique maculis limbi crocatis ſubhæmiſphæricis (9) margine nigro & ad baſim nigra macula ſub ſingulis.

2. Alis iiſdem, ſed fimbria *anticarum* alba, iiſque ſubtus macula nigra in medio, dein ordine uno macularum (6), denique limbo maculis (3-4), crocatis, obſoletis; quibus ad baſim ſubjacet punctulum fuſcum; *poſticarum* maculis crocatis pariter ad baſim puncto fuſco notatis.

3. Alis iiſdem, ſed poſticis ſubtus maculis crocatis (9) conicis, quarum quælibet, excepta extima & intima, maculam nigram ad baſim habet.

4. Alis iiſdem, ſed poſticis ad limbum maculis crocatis obſoletis, fuſca macula ſuffultis.

5. Alis

5. Alis ſupra fuſcis; poſticis ſubtus cervinis, ſupra maculis in limbo (3-4) crocatis, ſubtus maculis iiſdem conicis (8), quibus ad baſim punctum nigrum.

6. Alis iiſdem, anticis ſupra in limbo maculis crocatis obſoletis (3-4); ſubtus (4-5) apice fuſcis, baſi puncto fuſco notatis; poſticis ſupra maculis crocatis ſubmarginalibus (4-5), ſubtus (8) conicis, puncto fuſco ad baſim ſignatis.

7. Alis iiſdem, ſubtus canis, omnibus in limbo utrinque maculis crocatis, in unam ſeriem diſpoſitis.

P. *Coridon.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 5½.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 77-78.

Diagn. Alæ ſupra cæruleo-argenteæ, limbo fuſco.

In *Carniolia* calidiore.

Alæ anticæ ſubtus canæ; poſticæ ſubtus cervinæ; maculis ſubmarginalibus, crocatis, conicis (7).

P. *Alexis.*

— *long.* a lin. 6. ad 8. *lat.* 3¼ · 5.

Diagn. Alæ ſupra fuſcæ, fimbria alba: poſticæ utrinque maculis crocatis.

In ſylveſtribus.

Variat 1. Alis anticis ſupra puncto in medio nigro & maculis crocatis in limbo (6).
— — ſubtus cinereis, maculis ocellaribus in diſco (7), crocatis limbi (6) punctisque fuſcis marginalibus totidem.
— poſticis ſupra maculis crocatis, lunatis, in limbo, (4-5).
— — ſubtus cinereis; maculis crocatis in limbo (9); quarum tres ad angulum ani coalitæ.

2. Alis anticis ſupra, puncto medio obſcuriore, maculisque limbi crocatis (3-4).

Alis anticis ſubtus maculis ocellaribus (10), maculisque crocatis in limbo (6).
— poſticis ſupra maculis crocatis ocellaribus (4-5);
— — ſubtus maculis iiſdem (9).

3. Alis anticis ſupra immaculatis, ſubtus maculis ocellaribus (9), tribusque crocatis, obſoletis in diſco.
— poſticis ſupra maculis lunulatis, crocatis, in limbo (3-4), ſubtus (9).

4. Alis anticis ſupra punctis obſcurioribus in diſco (9), crocatis nullis.
— — ſubtus cineraſcentibus maculis fuſcis, ſubocellaribus in diſco (11); binisque feriebus (in qualibet (6)) ſimiliter coloratis, in limbo, cum intermediis (3-4), crocatis.
— poſticis ſupra fuſco-punctatis, maculis crocatis in limbo (3-4), obſoletis.
— — ſubtus maculis diſci ſubocellaribus (17), binisque feriebus punctorum fuſcorum in limbo, quibus interjacent crocatæ maculæ (7).

An hic *Tityrus.* R. P. Poda. *Muſ. Græc.* p. 77. ? videtur utique.

462. Papilio *Virgaureæ.*

— *long.* lin. 6-8½. *lat.* 4½. — 5½.
Linn. Syſt. Nat. p. 484.
Faun. Svec. 2. 1079.

Diagn. Alæ anticæ fulvæ; margine externo, maculisque ſubtus atris; poſticæ ad angulum ani binis dentibus inſtructæ.

In *Carnioliæ* pratis, non rarus.

Sexus unus, alis omnibus ſupra ſericeo nitore fulvis; anticis margine craſſiore & limbo nigris; poſticis margine undique nigro.

Roesel. *Supplem.* Cl. II. Tab. 45. fig. 5. 6.

Ma-

Major, alis anticis ſubtus maculis nigris (11), quarum octo tranſverſim in unam ſeriem ordinatæ,
— — poſticis verſus baſim punctis (4) nigris, poſtice ſerie una macularum albarum nigro puncto terminatarum.
Sexus alter, alis anticis ſupra fulvis; margine toto maculisque octo fuſcis; quarum tres poſticæ ſæpius conjunctæ; ſubtus maculis ocellaribus (10): duabus infimis in unam cohærentibus.
— — — poſticis murinis, punctis ad (15) nigris, maculisque lunatis fulvis in limbo, (5-6); ſupra vero fuſcis, faſcia limbi dentata fulva.
Roesel. Papil. Diurn. Cl. II. Tab. 37. fig. 6. 7.

463. Papilio *Comma?*

— *long.* lin. 6½. *lat.* 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 484.
Faun. Svec. 2. 1080.
P. Poda. Muſ. Græc. *Sylveſtris.*

Diagn. Alæ concolores corticinæ; limbo fuſco. Caput craſſum; antennis unco terminatis.
In *Sylveſtribus.*
Noſter caret maculis pallidis albidisque, cæterum idem cum *Linnæano*, juxta deſcriptionem datam in *Fauna Svecica.*
Sexus unus habet lineam nigram obliquam in medio paginæ ſuperioris alæ anticæ cuiusque.
— alter caret hac linea, & pallidior eſt.
— Uterque ſedens, gerit alas ſuberectas.

464. Papilio *Morio.*

— *long.* lin. 6-7. *lat.* 4-5.

Diagn. Fuſcus totus; alis ſubtus maculis pallidioribus.
Habitat cum priore.

Var. 1. Alis ſupra totis fuſcis; punctis albidis, marginalibus.

Roesel. Papil. Diurn. Cl. III. Tab. 10. fig. 5. 6.

2. Alis anticis ſupra albo punctatis; fimbria albo fuſcoque varia; ſubtus albo maculatis, eademque fimbria; poſticis utrinque ſimili fimbria, ſubtus albo ſordidoque variis.

Roesel. l. c. fig. 7.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 79. *Fritillarius.*

SPHINX.

Linn. *Syſt. Nat. p.* 489.

(*) *Metamorphoſi occulta,* ſub terra.

465. Sphinx *Ocellata.*

— long. unc. 1. lin. 4-6. *lat.* 9-9½.

Linn. Syſt. Nat. p. 489.
Faun. Svec. 2. 1083.
Roesel. Papil. Nocturn. Cl. I. Tab. 1. fig. 3. 4.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 80.

Diagn. Alæ anticæ ſubangulatæ, poſticæ ocello magno ſuperne notatæ. Os elingue.
Habitat in *Salice viminali.*

Alæ anticæ linea cana arcuata, una extremitate apicem alæ, alia angulum poſticum attingente, alibi ſupra canæ lituris transverſis caffè colore variegatæ.

— — ſubtus diſco baſeos cinnaberino aut vinoſo; prope limbum faſcia duplici fuſca, margine caffeato, præſertim inter apicem & dentem alæ ſecundum.

— poſticæ ſupra vinoſæ aut rubellæ, margine caffeato, maculaque ophthalmoide tres lineas longa, pupilla fuſceſcente, iride albida, atmoſphæra nigra.

— — ſubtus caneſcentes, ſed atomis caffè colore ubique adſperſæ, faſciisque binis canis.

An-

Antennæ rufæ. Thorax macula dorſali, magna, caffeata.

466. Sphinx *Populi.*

— *long.* unc. 1. & lin. 6. *lat.* 10.
Linn. Syſt. Nat. p. 489.
Faun. Svec. 2. 1084.

Diagn. Corporis alarumque color primarius utrinque cinereus. Alæ omnes dentatæ: anticæ ſupra puncto albo medio, poſticæ baſi moſcatinæ. Antennæ oſſeæ.

Habitat in *Salice rubra.*

Corpus totum cinereum, ſed oculi nigri & abdomen ſupra colore quodam moſcatino inquinatum. Alarum ſedentis ſitus peculiaris, nempe anticæ ſuberectæ & verſus caput tendentes, poſticæ deflexæ & poſteriora corporis ſpectantes. Os bilingue.

467. Sphinx *Tiliæ.*

— *long.* unc. 1. & lin. $1\frac{1}{2}$. — 3. *lat.* $6\frac{1}{2}$. — 8.

Linn. Syſt. Nat. p. 489.
Faun. Svec. 2. 1085.

Diagn. Alæ anticæ ſinuato-dentatæ; maculis duabus, obſcurioribus, faſciam præſeferentibus: una majore, aliaque alba ad apicem baſi dente notata.

Habitat in *Tilia & Salice.*

Var. 1. Corporis alarumque colore primario corticino utrinque.
2. Partium omnium colore primario ochreaceo; maculis cervinis.
3. Corporis alarumque ſupra colore primario oſſeo; maculis ferrugineis; ſubtus vero potius ferrugineo.
4. Alis anticis ſupra maculis umbrinis; diſco ſubrubente; limbo utrinque fuſcolimoniato.
— — ſubtus baſi ferrugineis; limbo vireſcente.
— poſticis ſupra nuceis; ſubtus limbo vireſcente.

Huic proxima Roeseliana. fig. 5. 6. Tab. 2. Papil. Noct. Cl. I. Huic etiam uni conveniret

deſcriptio Cel. Linnæi. Faun. Svec. Friſchii figura 3 Tab. 2 Inſ. 7 alæ maculam majorem ſubcordatam habet, quam ego nondum vidi.

Sed & omnibus communes ſunt antennæ ſupra albæ, ſubtus ochreaceæ; alæ poſticæ faſcia obſcuriore obſoleta; larva vireſcens, calami ſcriptorii craſſitie; lineis lateralibus obliquis luteſcentibus; cornu ani cæruleſcente; maxillis nigris; quæ in pupam mutanda ſe ſe ſepelit intra terram, altero anno inſectum paritura. Sic brevis vitæ vermis, conſummato humili vitæ curſu, ſepultus obdormit, ut reſurgat glorioſus.

468. Sphinx *Convolvuli.*

— *long.* unc. 2. *lat.* unc. 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 490.
Roesel. Pap. Noct. Cl. I. Tab. 7. fig. 5.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 80.

Diagn. Lingua alarum anticarum longitudinem ſuperans. Abdominis acuminati latera faſciis rubris & nigris alterne variegata.

Apud nos non rara.

Corporis alarumque color primarius ſupra cinereus eſt, licet alæ anticæ atomis lineiſque nigris paſſim nebuloſæ, poſticæ vero faſciis fuliginoſis notatæ ſe prodant. Margo exterior alæ utriusque non penitus integer, ſed leniſſime crenatus & ſubrepandus. Ala utraque ſubtus unicolor & corpore obſcurior, margine albis punctis variegato, nullisque faſciis poſticarum. Antennæ apice ſubtus denticulatæ. Abdomen utrinque faſciis lateralibus nigris (6), totidemque rubris interpoſitis. Sub abdomine griſeo, duo puncta nigra ſunt.

469. Sphinx *Atropos.*

— *long* unc. 1. & lin. 11. *lat.* unc. 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 490.
Roesel. Suppl. Cl. I. Papil. Noct. fig. 5. 6.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 81.

Diagn. Bicolor, nempe ochreacea & nigricans; antennæ tamen apex & punctum medium alæ anti-

ticæ ſupra alba ſunt. Alæ poſticæ ochreaceæ; faſciis binis, nigris, utrinque.

Irritata ſtridet ut *Cerambyx.*

Habitat in *Cannabi*, & *Evonymo*, in quibus larvas ipſe vidi, iisque enutrivi. Viſa etiam in *Pyro.*

Lingua antennis brevior, canaliculata, abdomen fere inane, cartilagineum, ochreaceum: faſciis nigris. In dorſo macula ochreacea calvariam referens. Sub alis anticis in medio faſcia nigricans inferiorem marginem non attingens. Tibiæ ſpinoſæ. Color ochreaceus idem, qui ſub alis *Turdi Muſici.*

Larva irritata ſtridens, uncias tres longa, ſeptem lineas craſſa, flaveſcens; ſtriis lateralibus, obliquis, cæruleſcentibus; corniculo caudali flavis verrucis ſcabro; pedibus pectoralibus nigris: albo punctatis; 21. Septemb. ſe ſe ſepeliit intra terram, ſub qua fornicem proprio glutine parat, non vero folliculum, unde 10. Junii alterius anni prodiit animal.

470. Sphinx *Liguſtri.*

— *long.* unc. 1. & lin. $8\frac{1}{2}$. *lat.* lin. 11.

Linn. Syſt. Nat. p. 490.

Faun. Svec. 2. 1037.

Roesel. Suppl. Papil. Noct. Cl. I. Tab. 5. fig. 4. 5.

Diagn. Alæ poſticæ ſupra ruſſeæ; faſciis binis, nigris. Abdomen roſatum; linea dorſali & faſciis lateralibus utrinque quinis atris.

Habitat in *Salice, Fraxino.*

Antennæ ſupra albæ ſubtus fuſcæ. Caput inter antennas albidum, unde utrinque decurrit plaga alba thoracem inter & alæ baſim. Thorax alibi niger. Abdomen ſubtus tribus lineis nigris longitudinalibus. Pedes fuliginoſi.

Alæ anticæ ſupra obſolete ruſſeæ; diſco fuſceſcente; lineis nigris longitudinalibus, unaque media transverſa, linea alia alba prope marginem exteriorem.

— — ſubtus obſcuriores; faſciis binis obſoletis, fuſceſcentibus, prope alæ marginem inferiorem in unam conjunctis,

 api-

apice linea nigra, maculaque albida inter hanc lineam & marginem craſſiorem. Alæ ejusdem limbus pallidior.

Alæ poſticæ ſupra præter faſcias dictas, etiam tertiam habent prope baſim ſed ad marginem exteriorem usque non productam.

— — ſubtus faſcia fuſca duplici: antica obſcuriore; pagina alæ inter has faſcias albicante.

471. Sphinx *Euphorbiæ.*

— *long.* unc. 1. & lin. 4. *lat.* 9.

Linn. Syſt. Nat. p. 492.
Faun. Svec. 2. 1086.
Roesel. Papil. Noct. Cl. I. Tab. 3. fig. 4. 5.
Frisch. Inſ. 2. Tab. 11. fig. 7. p. 43-45.

Diagn. Dorſum nuceum; lateribus albis. Alæ omnes ſubtus, corpusque roſato colore tinctæ; poſticæ ſupra baſi faſciaque nigris; anticæ ſubtus macula diſci nigra.

Habitat in *Euphorbia.*

Alæ anticæ ſupra ſubincarnatæ macula ad baſim, alia in medio, faſciaque pyramidali nuceo colore tinctis; faſcia hæc baſi ſua incumbit margini interiori, apex vero in apice alæ deſinit.

— poſticæ ſupra roſatæ, limbo pallidiore, margine interno inter faſcias albo.

Abdomen ſupra nuceum, cingulis lateraliter albis, maculisque duabus ad baſim lateralibus utrinque nigris.

472. Sphinx *Elpenor.*

— *long.* unc. 1. & lin. 2. *lat.* 7.

Linn. Syſt. Nat. p. 491.
Faun. Svec. 2. 1089.
Roesel. Papil. Noct. Cl. I. Tab. 4. fig. 5. 6.
Frisch. Inſ. 12. Tab. 1.

Diagn.

Diagn. Bicolor, paleaceo nempe & pudorino colore tinctus; alis poſticis ſupra baſi nigris.

Habitat in *Epilobio anguſtifolio.*

Pudorino colore tincta ſunt, corpus totum ſubtus excepto abdominis medio, alæ poſticæ ſupra, infraque pars maxima, dorſum poſtice, abdominis apex latera & linea dorſalis, thoracis linea a roſtro per latus utrinque decurrens, alarum anticarum faſciæ alternæ; reliqua paleacea ſunt; ſed punctum album in medio alæ anticæ ſupra, eiusque margo inferior pariter albus.

473. SPHINX *Pinaſtri.*

—*long.* unc. 1. & lin. 4. *lat.* 9.

LINN. Syſt. Nat. p. 492.
Faun. Svec. 2. 1088.
ROESEL. Papil. Noct. Cl. I. Tab. 6. fig. 4. 5.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 80.

Diagn. Alæ canæ; anticæ in medio lineis tribus inæqualibus caffeatis; cingulis abdominis lineisque lateralibus in dorſo thoracis pariter caffeatis.

Habitat in *Pino.*

Abdomen baſi maculis albis lateralibus utrinque tribus; inter alas anticas & thoracem alba linea, antennæ ferrugineæ; rachi interdum albida.

474. SPHINX *Stellatarum.*

—*long.* lin. 9½. *lat.* 5½.

LINN. Syſt. Nat. p. 493.
Faun. Svec. 2. 1091.
ROESEL. Papil. Noct. Cl. I. Tab. 8. fig. 5. 6.

Diagn. Alæ anticæ ſupra umbrinæ; faſciis binis, obſcurioribus; poſticæ ſupra ochreaceæ baſi & margine obſcuriores. Pectus album. Volatus diurnus, rapidiſſimus.

Habitat in *Galio.*

Antennæ clavatæ, umbrinæ, lingua breviores, ariſtatæ: ariſta ad angulum rectum. Caput & dorſum umbrinum. Abdomen in medio thoraci concolor; ano barbato, obſcuriore; lateribus albo-ni-

gro-

groque variis barbatisque. Caput ſubtus album. Femora albida.

Alæ anticæ inter faſcias puncto eisdem concolore, ſimilique macula verſus apicem.
— — ſubtus ferrugineæ, limbo obſcuriore.
— poſticæ ſubtus totæ ferrugineæ; margine lucidiore.

Expanſis alis, nec ſedens, exerta lingua, nectar florum haurit, autumno etiam circumvolans.

475. Sphinx *Fuciformis.*

— long. — lat. —

Linn. Syſt. Nat. p. 493.
Faun. Svec. 2. 1092.
Roesel. Suppl. Papil. Noct. Cl. I. Tab. 38. fig. 3.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 82.

Diagn. Abdomen barbatum nigrum; faſcia flaveſcente. Alæ hyalinæ venis & margine obſcurioribus.

In *Lonicera, Scabioſa.*

Periit mihi hæc & ſequens, hinc menſuras alarum, veroſque colores, definire non licet. Statura tamen minor eſt quam in priore. Alæ pellucidæ. Volatus diurnus. Metamorphoſis occulta?

476. Sphinx *Culiciformis.*

— long. — lat. —

Linn. Syſt. Nat. p. 493.
Faun. Svec. 2. 1094.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 81.

Diagn. Alæ ſubnudæ: anticæ lanceolatæ; margine faſciaque nigris. Abdomen barbatum pilis lateralibus apice albis, atro-cæruleum; cingulo medio fulvo-rubro.

Inveni in floribus *Sambuc. ebuli*, ſub *Arce Veldenſi.* Julio M.

Corpus ſemiuncjale. Volatus tardus, diurnus. Alarum margo piloſus.

477. Sphinx *Scopigera.*

Diagn. Statura *Veſpæ Parietum.* Abdominis ſegmenta margine flava, apex terminatus pilis rotundum ventilabrum præſeferentibus.

Ha-

Habitat in herbidis & ſylvoſis collibus *Carnioliæ ſuper.* interdiu nectar florum hauriens. Nigra. Inter caput & thoracem annulus flavus. Ad baſim alæ anticæ punctum flavum. Thorax villo ſordido pubeſcens. Alæ margine faſciaque nigris; apice fulvo venisque nigris lineato. Abdomen nigrum; ſcopa terminali binis flavis lineolis in medio notata. Pedes nigri. Tibiæ piloſæ; ſpinis fulvis.

An hæc *Sphinx Veſpiformis* Linn. Faun. Svec?

(**) *Metamorphoſi manifeſta*, ſupra terram.

478. Sphinx *Carniolica.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 3.

Diagn. Nigra; alis anticis umbrinis; maculis (5) cinnaberinis: margine albo; poſticis cinnaberinis, immaculatis.

In *Carniolia* non rara.

Statura *S. Filipendulæ.* Inter caput & thoracem lineæ duæ transverſæ albæ, linea alia in thoracis latere utroque. Maculæ alarum anticarum una vel duæ connatæ cuneiformes ad baſim, tres ſubrotundæ in diſco, quinta in limbo oblonga transverſa. Subtus ala eadem ſimiliter maculata, ſed albus margo macularum obſoletus. Alæ poſticæ utrinque cinnaberinæ; margine nigro.

Folliculus ovatus, palleaceus, lævis, latere adhærens folio. Pupa, poſt partum, prominens ex apice trivalvi ſui folliculi.

479. Sphinx *Filipendulæ.*

— *long.* lin. 7. *lat.* $3\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 494.
Faun. Svec. 2. 1097.
Roesel. Papil. Noct. Cl. II. Tab. 57. fig. 5. 6. 7.

Diagn. Nigra; alis anticis cyaneis, rubro maculatis; poſticis cinnaberinis, immaculatis.

In pratis noſtris frequens.

Mas alis anticis maculis (6) cinnaberinis, absque iride alba; quarum duæ ad baſim alæ, aliæ quatuor ſubrotundæ in diſco. Huic convenit deſcriptio *Linnæana.*

Va-

Variat thorace canis pilis tomentoſo, maculisque duabus poſticis alæ anticæ in unam coadunatis.

Fæmina; alæ anticæ maculis tribus, oblongis, longitudinaliter, variegatæ.

Folliculus rugoſus, oblongus, utrinque acuminatus, membranaceus.

480. SPHINX *Phegea.*

— *long.* lin. 8. *lat.* 5½.

LINN. Syſt. Nat. p. 494.

FRISCH. Inſect. 6. Tab. 15. fig. 7.

Diagn. Atro cærulea; alis anticis maculis albis (6); abdominis macula baſeos, cinguloque palleaceis.

In ſylveſtribus *Carnioliæ*, umbroſisque locis.

Antennæ filiformes, nigræ, apice albæ. Macula in alis anticis una minor ad baſim, duo in medio, tres prope limbum, utraque in pagina. Alæ poſticæ utrinque maculis binis albis. Abdominis ſegmentum quartum ſuperne & lateraliter palleaceo colore tinctum, macula ſimili ſuperne ad baſim abdominis, duæque aliæ utrinque ad latera pectoris, ſub alis.

481. SPHINX *Statices.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 3.

LINN. Syſt. Nat. p. 495.

Faun. Svec. 2. 1098.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 83.

Diagn. Alæ anticæ ſupra viridi-cæruleſcentes, ſubtus una cum poſticis utrinque umbrinæ. Antennæ maris pectinatæ.

In collibus herbidis, non rara.

Conjungit *Sphinges* cum *Phalænis Bombycibus*, quarum antennas habet; hic tamen relinquenda ex habitu, volatu gravi diurno, ſummaque cum tribus prioribus ſimilitudine.

PHA-

PHALÆNA.

Linn. *Syſt. Nat.* pag. 495.

I. *Bombyces.* Pupa intra folliculum.

(*) —— *expoſitum.*

A. Elingues.

482. Phalæna *Pavonia.*
— *long.* unc. 2. & lin. 8. *lat.* unc. 1. & lin. 8.
Linn. Syſt. Nat. p. 496. 497.
Faun. Svec. 2. 1099.
Roesel. Inſ. Tom. 4. Tab. 16. 17.
Spectacle de la Nat. I. p. 62.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 83.

Diagn. Gigas noſtrarum; alis omnibus utrinque limbo albo margine cervino, maculaque ophthalmoide, cui pupilla nigra, iris cervina, linea ciliaris alba, palpebra cinnamomæa, annulus communis niger.

Habitat in *Pyro*, & *Malo.*

Alæ anticæ ſupra caryophyllinæ, albis atomis tanquam polline adſperſæ; baſi faſcia obſcuriore, marginem craſſiorem non attingente; ſtria dentata ab apice uſque ad medium marginis inferioris fulminis adinſtar decurrens cervini coloris. Ad apicem, qui albo limbo caret, macula nigra inſidens margini externo.

— — ſubtus minus obſcuræ, albis pilis antice atomisque ſimiliter coloratis caneſcentes; faſcia fulminante, ut ſupra.

— poſticæ ſupra ad baſim limbo concolores; faſciis duabus, caryophyllinis; faſcia alia poſtica, undata, cervina, quam inter & limbum alæ pagina caryophyllina eſt.

— — ſubtus albidis pilis atomisque canæ; faſcia ad baſim caryophyllina, marginem ſuperiorem non attingente; faſcia repanda, poſtica, ut ſupra, idemque color

color inter hanc & limbum, ut in pagina ſuperiore, ibidem.

Mas antennis ferrugineis, bipectinatis; articulis (36).

Larva perfecta digitum longa, pollicis craſſitie, ſordide flava, verticillata verrucis in quolibet annulo (6) cæruleis, calyce quinque-& ſexdentato exceptis, e quibus pili prodeunt ſimplices, nigri, longi, præſertim duo medii idemque mucoris adinſtar capitati. Frons nigra, linea triquetra inſcripta. Valvis caudalibus adnatum eſt ſcutellum hemiſphæricum, rubrum: margine albo. Pedes pectorales acuminati, rubri; abdominales obtuſa rubraque lamina terminati; caudales his ſimiles.

Folliculus horizonti obliquus, fuſcus, oblongus; filis rigidis, fragilibus, vix extricandis. Pupa atro-rubra, pone pilis rigidis brevibus hirta. Inſectum per menſes ſeptem & octo latet intra pupam.

483. Phalæna *Pavoniella.*

— *long.* unc. 1. lin. 1. *lat.* lin. 8½.

Linn. Syſt. Nat. p. 497. *Pavoniæ* Var. minor.

Roesel. Papil. noct. Cl. II. Tab. 5.

Diagn. Pavoniæ facies, ſed diverſa ocellis alarum primorum maculæ albidæ impoſitis, iiſdemque pupilla nigra ſed lineola cæruleſcente inſcripta, iride ferruginea, linea ciliari cæruleſcente, annuloque communi nigro latiore.

Rarior apud nos.

Alæ *poſticæ* ferrugineæ; faſcia limbi caryophyllina. Margo alarum umbrinus. Macula laccata conica ad apicem alæ, ex qua faſcia undata potius quam fulminans oritur, eædem alæ ſubtus diſco albente, faſciiſque binis contiguis dentatis prope limbum. Alæ *anticæ* ſubtus ochreaceæ, absque faſcia ad baſim. Tuto itaque a *Pavonia* ſeparari poterit in tanta copia diverſitatum.

484. Phalæna *Tau.*

— *long.* unc. 1. & lin. 7. *lat.* 11.

Linn.

Linn. Syſt. Nat. p. 497.
Faun. Svec. 2. 1100.
Roesel. Suppl. Tom. 4. Tab. 7. fig. 3. 4.
Diagn. Alæ paleaceæ; macula atro-violacea, ſphærica, in cujus medio macula alba parva trigona, clavi capitulo ſimilis.
In *Betula.*
Alæ anticæ ocello utrinque; poſticæ tantum ſupra, ſed macula trigona, alba, etiam ſubtus. Ala utraque ſupra, faſcia lineari nigricante prope limbum. Poſticæ ſubtus faſcia media, ferruginea.

485. Phalæna *Quercifolia.*

— *long.* unc. 1. & lin. 7. *lat.* unc. 1. & lin. 3.
Linn. Syſt. Nat. p. 497.
Faun. Svec. 2. 1110.
Roesel. Suppl. Papil. noct. Cl. II. Tab. 49. fig. 5. 6.
Frisch. Inſ. 3. Tab. 1. fig. 4. p. 20-25.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 84.
Diagn. Tota corticina; alis dentatis, reverſis: poſticis, dum ſedet animal, ultra marginem craſſiorem anticarum exporrectis.
Habitat in *Amygdalo perſico*, & *Pruno ſpinoſa.*

Palpi porrecti, paralleli, fuſco-cæruleſcentes. Alæ anticæ ſtrigis tribus; poſticæ binis, undatis, nigricantibus, faſciatæ.
Folliculus oblongus, tenuis. Pupa albida veluti farina adſperſa.

486. Phalæna *Mori.*

— *long.* lin. 10½. *lat.* 7.
Linn. Syſt. Nat. p. 499.
Roesel. Suppl. Papil. noct. Cl. I. Tab. 8. fig. 19. 20.
Diagn. Alba; alis anticis obiter ſinuatis.
Colitur *Goritiæ*, *Tergeſti*, *Labaci* a paucis, ac utinam ab omnibus, non ſine ſummo Patriæ & Principis emolumento.
Enutrivi hanc *Idriæ* An. 1760. omni diligentia, & ſequentia obſervavi. 1. Decima Maji ex ovo genita larva, decima ſexta Julii ex folliculo Phalæna. 2. Deponit involucra ſeptem, unum ovi,

quatuor in ſtatu larvæ, unum dum ſit pupa, ultimum ex quo inſectum. 3. Vix natæ larvæ pondus eſt decima pars grani, a primo ſomno quarta, a ſecunda ponderat grana tria, a tertio ſex, a quarto & jam perfecta gr. (68). 4. Folliculum paratura excernit viginti circiter guttulas liquoris craſſi gelatinoſi, dein opus inchoat & perficit intra quatriduum. 5. Pupa cum folliculo ponderat grana circiter (50), ſola vero pondus habet gran. (42). 6. Ex folliculis (55) prodierunt mares duodecim, reliquæ erant fæminæ. 7. Phalæna fæmina excreto mæconio ponderat grana (14). 8. Unica fæmella ponit ova (450) flava, demum fuſca, dum adhuc alia (210) in ejus ventre latent, filo tenui, catenulæ adinſtar, adhærentia.

Inſtante Epidemica Taurinenſi conſtitutione, e bombycibus vix pauci nitidum de pectore filum, pretioſaque ſtamina edidere, haud modica etiam pars imperfectum opus reliquit. Car. Richa. N. 16.

Hoſtes larvarum, ſunt mures, fumus tabaci.

487. Phalæna *Quercus.*

— *long.* unc. 1. *lat.* lin. 8.

Linn. Syſt. Nat. p. 498.
Faun. Svec. 2. 1106.
Roesel. Papil. noct. Cl. II. Tab. 35. fig. 5. 6. 7.

Diagn. Alæ utrinque concolores: anticæ ſupra puncto albo; margine nigro, qui ſeptem lineas ab apice diſtat: nec non faſcia pallidiore, punctum album inter & apicem poſita; poſticæ faſcia prope limbum, priori ſimili.

Habitat in *Salice viminali.*

Mas totus ſupra caſtaneus; faſciis pallide ochreaceis; ſubtus cinnamomellus; faſciis fere palleaceis. Antennæ huic acinaciformes, ($\frac{1}{4}$) lineæ craſſæ, (5) lin. longæ.

Fæmina pallidior; alis poſticis limbo palleaceo utrinque. Antennis tenuioribus; deflexis.

Larva ſubvilloſa, digiti auricularis longitudine, calami ſcriptorii craſſitie, ſegmentis atris, linea alba laterali, dorſo maculis albis, inter folia arida aut ceſpi-

ceſpites, prope terram folliculum parans oblongum, filis fragilibus & digitis tenaciter adhærentibus.

Vix inde natam fæminam, acu tabulæ ligneæ adfixeram An. 1760., jam ſexdecim mares e vicinia advolantes, & cubile ingreſſi, mira cupidine circa eandem vagabantur, quales annis prioribus nullibi videram. Quam ſtupendi ſenſus animalium! Quæ vis effluviorum!

Fæmina ponit ova fuſca, puncto nigro & macula laterali notata, quæ in aere libero ſtatim griſeum colorem induunt. Ex his larvæ nigræ, piloſæ; faſciis flavicantibus.

488. PHALÆNA *Vinula.*

— *long.* unc. 1. & lin. 1. *lat.* 7½.

LINN. Syſt. Nat. p. 499.

Faun. Svec. 2. 1112.

FRISCH. Inſ. 6. Tab. 8. fig. 6. non bene.

ROESEL. Papil. noct. Cl. II. Tab. 19. fig. 9. 10.

Diagn. Pilis albis denſis lanatum corpus & baſes alarum poſticarum. Dorſum linea media punctisque nigris. Alæ anticæ punctis ſtriisque nigris repandis dentatisque variegatæ; venis ferrugineis.

In *Salice.*

Larva, *Camellus* ROESEL, iracunda; cauda duplici, unde exerit irritata corpora totidem flaccida retractilia, helicis tentaculorum adinſtar. Hæc validis maxillis, ſcatulæ incluſa, durum quoque lignum rodit, imo & *Salicis* truncum, cujus ſcobe glutine proprio unita folliculum parat ſolidum, ovatum. *Ichneumoni* vix alia magis obnoxia.

489. PHALÆNA *Pudibunda.*

— *long.* lin. 9½. *lat.* 4½.

LINN. Syſt. Nat. p. 503.

Faun. Svec. 2. 1118.

ROESEL. Papil. noct. Cl. II. Tab. 38. fig. 4. 5.

Diagn. Antennæ rufæ; rachi alba. Alæ albidæ: anticæ lineis tribus, repandis, umbrinis faſciatæ; pagina alæ inter faſciam mediam & poſticam umbrina tota; poſticæ ſubtus macula media, fuſca.

Habitat in *Fago, Corylo*, & pomiferis arboribus.

Statura *Ph. Mori.* Oculi nigri. Antennarum pectines pilo terminati. Palpi fuſci: apicibus albis. Dorſi criſta albo-nigroque varia. Maculæ duo fuſcæ ad femora antica. Pedes albi, fuſco-annulati.

Larva citrina, piloſa; ſegmentis nigerrimis; frontis latere utroque puncto fuſco-rubro notato; corporis ſegmentis omnibus puncto ſubocellato, laterali utrinque, ſegmentis (a capite deorſum numeratis) 4, 5, 6, 7 penicillum truncatum pallidius dorſo gerentibus; 9, 10, puncto nigro laterali, 11, rubello penicillo, caudam referente. Hæc, leviter quoque tacta, contrahitur fere ut *Erinaceus*, & folliculum parat duplicem, tenuem, album, glutine piliſque propriis, rubros caudæ pilos ibi adglutinans, ubi *Phalæna* proditura.

Pupa lucida, nigricans, lin. (10) longa, (4) craſſa; ſegmentis alternis ferrugineis; aliis vero infra medium piloſis rugoſiſque. Ex hac poſt menſes ſeptem prodiit animal.

Larva variat colore albo, ex qua fæmina nata eſt, ponens ova albida, rotunda, puncto fuſco notata.

Lamina ſulcata, rufa, dentiformis, ad genua antica, interius poſita, in hac ſpecie.

490. Phalæna *Monacha.*

—*long.* lin. 9. *lat.* 4.

Linn. Syſt. Nat. p. 501.

Diagn. Alæ albæ; maculis marginalibus ſtriiſque transverſis, undatis, fuſcis; poſticæ faſcia obſoleta obſcuriore. Inciſuræ abdominis rubræ. Antennæ nigræ.

Habitat in pomiferis arboribus.

Ad baſim antennæ ſingulæ macula lutea. Oculi nigri. Thorax prope caput macula nigra transverſa.

Decima Maji 1760 in cortice *Pyri mali* reperta larva, colore corticis, cui inſidebat, ſubtus vero vireſcens, capite cinereo villoſulo, lateribus verrucoſis: verrucis acutis piloſis. Hæc decima quarta laxis ſparſiſque filis conſtructo tenui folliculo

culo in pupam tranſiit lucidam fuſcam, e qua vigeſima ſeptima, hora quarta veſpertina *Phalæna* prodiit.

491. Phalæna *Diſpar.*

— *long.* lin. 9½. *lat.* 5½. mas.

Linn. Syſt. Nat. p. 501.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 86.

Diagn. Mas alis pallide ochreaceis: anticis ſupra fuſco-nebuloſis; poſticis ſubtus macula fuſca *Fæmina* alis albis; anticis lituris aliquot nigricantibus.

Habitat in *Tilia*, & pomiferis arboribus.

Mas alis anticis, limbo cervino; antennis ſimiliter coloratis, latioribus; rachi albida.

Fæmina abdomine craſſo, lanato, picta a Roeselio Papil. Noct. Cl. II. Tab. 3. fig. 5. 7. alis ſubfaſciatis.

492. Phalæna *Rubi.*

— *long.* — *lat.* —

Linn. Syſt. Nat. p. 498.
Faun. Svec. 2. 1103.
Roesel. Suppl. Papil. Noct. Cl. II. Tab. 49. fig. 5. 6.

Diagn. Alæ reverſæ, cervinæ, immaculatæ; ſtrigis duabus albidis; ſubtus nullis Linn. l. c.

Habitat in pratis.

Larva Æſchimene, rigida, piloſa, fuſco-nigricans, pudibunda, metamorphoſis iniqua, caloris impatiens, omnivora, *Geniſtæ ſagittalis* foliis facilius educanda, poſt primum & ſecundum fœniſecium per prata repens, etſi quotannis ſedulo enutrita fuerit, nondum tamen optatam mihi *Phalænam* genuit.

493. Phalæna *Chryſorrhæa.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 502.
Roesel. Papil. Noct. Cl. II. Tab. 22. fig. 4. 5.

Diagn. Alba; abdominis apice barbato, flavo.

In arboribus pomiferis.

Antennæ cereæ; dentibus villoſis binisque pilis divaricatis terminatis. Oculi nigricantes. Alæ anticæ margo craſſior ſubtus fuliginoſus, poſtice flaveſcens; eædem ſupra macula fuſca obſoleta, ad angulum ani.

494. Phalæna *Prælata.*

— *long.* lin. 9½. *lat.* 4½.

Diagn. Alba; alis politis, abdominis apice barbato; tibiis fuſcis, albo annulatis.

Habitat in *Salice.*

Subelinguis; corpore nigro, ſed albis villis undique tecto. Antennæ fæminæ ſetaceæ, albidæ. Huc poſui, ut diſtinguatur a *Chryſorrhæa*, & *ſequente.*

495. Phalæna *Salicis.*

— *long.* lin. 10. *lat.* 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 502.

Faun. Svec. 2. 1129.

Frisch. Inſ. 1. Tab. 4. fig. 3. 4.

Diagn. Alba; antennis cervinis: rachi alba; pedibus nigris, albo annulatis.

Habitat in *Salice.*

Elinguis; alarum politura carens; abdominis apice non barbato. Antennis magnis pectinatis.

496. Phalæna *Antiqua.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 503.

Faun. Svec. 2. 1120.

Roesel. Pap. Noct. Cl. II. Tab. 39. 40.

Diagn. Antennæ longitudo eſt dimidia latitudinis alæ anticæ, quibus macula corticina alba linea terminata ad apicem, nec non lunula alba prope poſticum angulum.

In *Cratægo ſpinoſa.*

Alæ anticæ ſupra corticinæ, fuſcoque variæ & nebuloſæ: punctis fuſcis, marginalibus.

— — ſubtus fuſcæ; limbo cervino, maculaque albida ad apicem.

— poſticæ ſupra fuſcæ; fimbria terminali, pallidiore.

— — ſubtus, ut ſupra.

An-

Antennæ murinæ, pectinatæ; rachi pallidiore. Tibiæ cervinæ. Corpus nigrum.

Larva uncialis, piloſa, 16-pedibus; linea dorſali nigra; capite pilorum faſciculis binis, longioribus, alioque caudali. Folliculus duplex, ut in *Pudibunda*. Supra nigra, lucida.

497. Phalæna *Gonoſtigma.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 3⅔.

Roesel. Suppl. Tab. 13. fig. 3. 4.

Diagn. Ochreacea; alis anticis macula trigona, alba.

Circa *Labacum* capta.

Ill. Linnæus conjunxit cum priore, a qua differt, antenn. rachi ochreacea. Alis ſubtus concoloribus: primoribus ſupra faſcia antica obſoleta obſcuriore, atmoſphæra fuſca circa maculam albam.

498. Phalæna *Pyri.*

— *long.* lin. 7½. *lat.* 5.

Diagn. Cinnanomæa; dorſo tomentoſo; alis anticis ſupra ſtrigis duabus pallidioribus, poſticis ſubtus limbo pallidiore.

In *Pyro* reperta larva, ejusque foliis enutrita, ut & foliis *Populi albæ*.

Antennæ alis concolores. Dorſum denſo villo tomentoſum, nec tamen criſtatum. Alæ deflexæ: anticæ ſtriis binis paleaceis, quarum poſtica margini externo parallela, margo idem lineolis binis albis notatus. Sub his alis ſtrigæ nullæ.

Larva ſuperne nigra; linea dorſali & laterali glaucis, quibus adjacet linea alia fulva; capite glauco; punctis duobus nigris. Folliculus duplex, albus, tenuis, oblongus.

(**) Pupa intra folliculum *ſepultum.*

499. Phalæna *Laneſtris.*

— *long.* lin 7. lat. 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 499.
Faun. Svec. 2. 1105.

Roesel. Papil. Noct. Cl. II. Tab. 42. fig. 4 5.

P. Toda. Muſ. Græc. pag. 86. 87.

Diagn. Cariophyllina; alis anticis ſtriga maculisque duabus, albis.

Habitat in *Salice viminali.*

Specimina noſtra non ferruginea, nec ano albido. *Mas* antennis pectinatis: rachi alba, minor. *Fæmina* major, antennis fere ſetaceis. Uterque ſexus, macula alba ad baſim alæ anticæ, alia in medio, & ſtriga alba poſtica; ſubtus macula albida ad marginem craſſiorem, ubi ſupra initium ſuum ſtriga ducit. Alæ poſticæ margine ſuperiore albo, faſciaque obſoleta pallidiore ſubtus.

Ova copioſa ponit circa ramulum, eaque lana denſa cinerea tegit. Hinc *larvæ* nigræ, piloſæ; dorſo lateribusque albo maculatis, cum penicillis pilorum ruſeſcentium; harum plures habitant in ſocietate ſub tentoriis celluloſis, unde migrant pabulaturæ, redeuntque per foramina ramis parallela. Hæ ſatis enutritæ ſe ſe ſepeliunt, nent folliculos albidos, ovatos, coriaceos, e quibus alio demum anno *Phalæna* prodit.

500. Phalæna *Coſſus.*

— *long* unc. 1. & lin. 5. *lat.* 9½.

Linn. Syſt. Nat. p. 504.

Faun. Svec. 2. 1114.

Roesel. Papil. Noct. Cl. II. Tab. 18. fig. 6. 7.

Frisch. Inſect. 7. Tab. 1. fig. 2.

Diagn. Thorax antice linea transverſa cerea, poſtice maculis binis nigris lateralibus. Alæ poſticæ murinæ: baſi albidæ, obſcurioribus anaſtomoſantibus lineis reticulatæ; anticæ baſi & medio murinæ, alibi albæ, utrinque lituris ſtrigisque transverſis nigris lineolisque murinis ramoſisque variegatæ.

In ſemiputridis hortorum ſepibus.

Thorax antice ſupra lineam cervinus, alibi murinus; alarum margines murinis maculis variegati, quarum (8) in anticis. Alæ *anticæ* ſubtus murinæ, interius albidæ, una inſigni litura nigra in angulo poſtico deſinente; *poſticæ* ſubtus cineraſcentes, macula murina in medio, murinisque transverſis ramoſis lineolis ſubreticulatæ. Abdomen ſupra faſciis albidis. Tibiæ albidæ; annulis fuſcis.

Ova

Ova obtuſa, ſtriata: ſtriis fuſcis, tuberculoſis. *Larva* valida, ſuperne rubens, ſubtus rufa; capite fuſco; maxillis nigris.

Plinii *Coſſus*, an hæc larva, an pupâ *Scarabæi Cervi* Roesel. vel *Naſicornis* Frisch. incertum adhuc?

501. Phalæna *Eremita.*

— *long.* lin. $9\frac{1}{2}$. *lat.* 6.

Diagn. Alæ cinereæ: anticæ atomis faſciiſque abruptis fuſcis tribus, dorſo faſciis tribus nigris.

Inveni 30. Aprilis in ſylva *Idrienſi*, inſidentem *Eccleſiæ* muro.

Statura *Phal. Diſparis* maris. Antennæ (5) lineas longæ, fuſcæ plumatæ; apice absque dentibus. Oculi fuſci. Dorſum tomentoſum, non criſtatum, cinereum faſciis tribus nigris: antica recta, poſticis binis arcuatis: convexitate caput ſpectante. Abdomen murinum ano barbato. Alæ anticæ ſubtus faſciis dimidiatis binis obſoletis, poſticæ unicâ pariter obſoleta.

502. Phalæna *Anaſtomoſis?*

— *long.* lin. 6. *lat.* —

Linn. Faun. Svec. 2. 1125. juxta deſcriptionem.

Diagn. Thorax criſtatus; antice macula brunnea. Corpus & alæ cineraſcentes; ſtrigis ſubquaternis albidis, maculaque corticina ad apicem margini inſidente.

In ſylveſtribus locis.

Ala antica inter ſtrigam tertiam & quartam poſticam ſubbruneo colore tincta, faſciæ adinſtar; eæ ipſæ ſtriæ ad marginem alæ internum coniunguntur. In limbo ſeries punctorum fuſcorum (7); margo pariter fuſco punctatus. Alæ poſticæ ſupra fuſceſcentes immaculatæ, ſubtus cinareſcentes.

B. Spirilingues.

503. Phalæna *Caja.*

— *long.* unc. 1. lin. $1-3\frac{1}{2}$. *lat.* 6-8.

Linn. Syſt. Nat. p. 500.

Faun. Svec. 2. 1131.

 Roe-

Roesel. Papil. Noct. Cl. II. Tab. 1. fig. 4. 5.

Frisch. Inſ. 2. Tab. 9. fig. 3.

Diagn. Alæ anticæ caffeatæ; rivulis albis. Poſticæ rubræ; maculis nigris.

Habitat in *Trifolio.*

Lingua alba, biſeta, palpis vix longior. Antennæ albæ, ſubtus obſcuriores. Dorſum alis anticis concolor; linea antica, tranſverſa, rubra. Abdomen rubrum; maculis dorſalibus tranſverſis, nigris (3-6).

Alæ anticæ ſupra caffé colore, per quas a baſi ad apicem fere uſque rivus albus decurrit, in quem influunt tres alii a margine alæ inferiore nati, & alii duo a ſuperiore, quos inter maculæ duo conicæ marginales.

— — ſubtus pallidiores, baſi rubellæ; faſciis binis, poſticis, albis, literam X, fere referentibus, punctoque albo verſus apicem.

— poſticæ ſupra ſcarlatinæ quidem, ſed flavi coloris parte aliqua immixta; maculis nigris, quarum duæ ſphæricæ.

— — ſubtus pallidiores; maculis cervinis, ſeu colore apicis alarum ſuperiorum ſubtus.

Variat 1. Alis primoribus ſupra puncto albo prope apicem; poſticis ſupra maculis nigris rotundis tribus in limbo, quarum duæ interiores ſeſe fere contingentes, tertia nigræ baſi impoſita, nec non maculis binis pariter nigris in diſco contiguis: una cordiformi.

2. Alis iiſdem pallidioribus & fere cervinis; poſticis, maculis limbi tribus ſphæricis, ſed interioribus remotioribus, aliis in diſco ovatis unitis.

3. Alis iiſdem cervinis, curva linea, ad apicem loco puncti, maculaque margi-

marginis antica in rivum mutata; poſticis macula unica diſci, tribus in limbo ſed exteriore exigua.

504. Phalæna *Villica.*

— *long.* unc. 1. & lin. 1. *lat.* 7½.

Linn. Syſt. Nat. p. 501.
Roesel. Tom. 4. Tab. 28. fig. 2. & Tab. 29. fig. 4.
Frisch. Inſect. 10. Tab. 2. fig. 1.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 88. Vidua.

Diagn. Alæ anticæ nigræ; maculis octo, iſabellatis albisve. Poſticæ flavæ ceræ colore; maculis apiceque nigris.

Habitat in *Urtica.*

Variat 1. Statura minore; alis anticis fuſcis: maculis albis; poſticis fere paleaceis: maculis (7) apiceque nigris, ſed maculis ochreaceis (4) in apice nigro, marginalibus.

2. Alis anticis nigris: maculis iſabellatis, poſticarum maculis (8) nigris, macula punctoque ceræ flavæ colore, marginali, in alæ apice nigro.

Abdomen rubrum, punctorum nigrorum ſerie una dorſali, aliaque utrinque laterali.

Larva fuſca, verrucoſa; verrucis piloſis; fronte maxillis pedibusque rubris.

505. Phalæna *Plantaginis.*

— *long.* unc. 1. lin. ½. *lat.* 6½.

Linn. Syſt. Nat. p. 501.
Faun Svec. 2. 1132.
Roesel. Tom. 4. Tab. 28. fig. 3.
P. Poda. Muſ. Græc. quadripunctaria.

Diagn. Alæ anticæ fuſcæ cum obſcuro quodam translucente virore: margine inferiore, litura, faſciaque bifida (Y) referente, cerei coloris; poſticæ ſcarlatinæ: ſupra maculis (4) ſubtus unica, nigris.

In ſylvis noſtris faginis non rara, circa dies caniculares, *Eupatorii cannab.* floribus libenter inſidens.

Ex

Ex ſola definitione Ill. LINNÆI, apud nos, adgnoſci omnino non poſſet, non enim elinguis eſt, nec alas anticas atras: rivulis flavis, nec poſticas luteas (*Faun. Svec.* 2.) unquam habet: antennæ quoque ſetaceæ *Noctuam* potius, juxta principia Celeberr. Viri, quam *Bombycem* oſtendunt. ROESELII figura magna nimis eſt, & ſine hiſtoria.

Lingua ſimplex, ferruginea. Antennæ ſetaceæ piloſæ, ſemiunciales, fuſcæ. Oculi brunnei. Frons faſciis alarum concolor: puncto nigricante. Thorax nigricans, lateribus albidis; valvulis nigricantibus: margine albido; inter caput & thoracem fovea, lineolis binis albidis longitudinalibus parallelis marginata. Abdomen rubens, quadruplici ſerie punctorum nigrorum, una dorſali, altera ſubtus in medio, aliis lateralibus.

Alæ anticæ *ſupra*, linea ad baſim inferiori margini parallela ſubulata, faſcia diſci ad marginem inferiorem uſque non producta, faſciæ alterius ypſylon referentis pes maculis duabus rotundis nigris variegatus; *ſubtus* ad baſim macula ovata nigra, cæterum ibidem ſcarlatinæ, faſcia flavicans utraque, inter quas pagina tota fere nigra eſt, cum interjectis maculis (3) rubris.

Alæ poſticæ utrinque ſcarlatinæ, *ſupra* maculis (2) ſubovatis liberis, aliaque magna oblonga ad apicem, cui minor adjacet & marginalis; *ſubtus* macula unica nigra.

Pedes ſupra nigricantes, annulis rubellis. Alæ ſedentis planæ, non depreſſæ.

506. PHALÆNA *Dominula.*

— *long.* lin. 11 - unc. 1. *lat.* lin. 6-7.
LINN. Syſt. Nat. p. 509.
ROESEL. Suppl. Papil. Noct. Cl. II. Tab. 47. fig. 4. 5.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 89.

Diagn. Alæ ut ſupra, ita ſubtus coloratæ: anticæ nigræ cum translucente obſcuro virore; maculis (10), plerisque albis; poſticæ ſcarlatinæ, maculis binis apiceque nigris.

Habitat in *Salice.*

An-

Antennæ ſetaceæ, caput, thorax, alis anticis concolor, hic tamen maculis duabus dorſalibus albis aut ochreaceis. Abdomen ſupra alis poſticis concolor; linea dorſali nigra; ſubtus nigrum; ita vidi ſemper, nec unquam faſciis nigris Linn.

Alæ *anticæ* ad apicem punctis (3) albis, dein maculis (2) magnis albis, mox binis aliis minoribus remotis, denique duabus ſeſe contingentibus anticis; decima macula prope baſim in margine inferiore; maculæ duæ anticæ & margini craſſiori proximæ, una cum macula baſeos marginali variant colore albo & ochreaceo, ut & maculæ thoracis. Alæ *poſticæ* maculam & punctum ſcarlatinum in apice nigro gerunt.

Thorax ſub alis anticis utrinque macula ochreacea.

Larva nigra, verrucis hemiſphæricis nitidis piloſis aſpera; pilis caneſcentibus, dorſo lateribusque albo-flavoque punctatis. Pupa lucida, fuſca.

507. Phalæna *Alpicola.*

— *long.* lin. 7½. *lat.* 4.

Roesel. Tom. 4. Tab. 24. fig. 8. 9. 10.

Diagn. Fuſca; alis anticis macula rivuliſque albis; poſticis limbo ochreaceo: maculis fuſcis.

Inveni in gramineis alpium *Vochinenſium.*

Thorax antice punctis duobus rubris. Abdominis latera rubra.

Alæ anticæ margo, ad baſim, ruber; ex hac *ſuperne* oritur rivus rectus attenuatus, apice bifidus, & in puncto concurſus aliorum trium transverſorum rivulorum, unitus, ita ut hac unione una cum iis rivulis literam (X) repræſentet; macula alba jacet in medio alæ verſus marginem exteriorem; *inferne* deeſt rivus princeps, & ad apicem alæ duo tantum rivuli paleacei, numerum (4) ſuo concurſu præſeferentes.

— poſticæ ochreaceo-rubella faſcia undata in limbo utrinque, cum inſula nigra ovata, & maculis binis marginalibus nigris ſupra; ſubtus vero maculis tribus.

Lactu-

Lactucæ foliis alenda ex ovo genita larva. Roesel.

508. Phalæna *Fuliginoſa.*

— *long.* lin. 7½. *lat.* 3½.
Linn. Syſt. Nat. p. 509.
Faun. Svec. 2. 1159.
Roesel. Papil. Noct. Cl. II. Tab. 43. fig. 4. 5.

Diagn. Alæ anticæ obſure murinæ ; punctis (2) fuſcis, mediis, approximatis. Poſticæ cinnaberinæ; punctis binis, mediis, maculisque marginalibus nigris.

Habitat in *Lapatho.*

Alas inferiores aliter deſcribit Linn. in Fauna Svec. quæ, apud nos, perpetuo utrinque rubræ, & abdomini concolores, in quo triplex ordo punctorum nigrorum. Alæ anticæ ſubtus margine externo & circa baſim pariter cinnaberinæ.

509. Phalæna *Pacta.*

— unc. 1. & lin. 6. *lat.* 10½.
Linn. Syſt. Nat. p. 512.
Faun. Svec. 2. 1166.
Roesel. Papil. Noct. Cl. II. Tab. 15. fig. 4. 5.
Tom. 4. Tab. 19. fig. 3. 4.

Diagn. Alæ crenatæ : anticæ cineraſcentes ; faſciis undatis, fuſcis: poſticæ cinnaberinæ ; faſciis duabus, nigricantibus.

In *Quercu.*

Caput, & thorax antice murini coloris; corpus alibi cinereum. Alæ anticæ ſubtus albidæ; faſciis tribus nigris: poſticæ margine albo, ſubtus media exteriore parte alba, alia rubra; faſciis binis nigris.

510. Phalæna *Fulminea.*

— *long.* lin. 11½. *lat.* 6½.
Roesel. Tom. 4. Tab. 18. fig. 1. 2. bene.

Diagn. Alæ anticæ pallide cervinæ; faſcia, macula lunata media, lineaque transverſa fulminis adinſtar propagata, nigris; poſticæ paleaceæ: faſciis duabus fuſcis.

In *Carniolia* calidiore.

Corpus totum utrinque pallide murinum. Alæ anticæ *ſupra* baſi obſcuriores, punctis fuſcis marginalibus (7); *ſubtus* fuſcæ: faſciis binis paleaceis; poſticæ ſubtus ut ſupra, ſed faſcia marginali non abrupta.

511. Phalæna *Jacobeæ*.

— *long.* lin. 8. *lat.* 4½.

Linn. Syſt. Nat. p. 511.
Faun. Svec. 2. 1155.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 89.

Diagn. Alæ anticæ canæ; linea maculisque binis cinnaberinis. Poſticæ cinnaberinæ; fimbria fuſceſcente, terminali.

Habitat in *Senec. Jacobæa.*

Statura *Sphingis Phegeæ.* Caput, antennæ, thorax, nigro colore. Abdomen alis anticis concolor. Alæ utrinque concolores: anticæ linea juxta marginem craſſiorem poſita, lin. 5½. longa, maculis ſubhemiſphæricis externo margini impoſitis, quem fimbria obſcurior terminat. Ill. Linn. alas nigras ponit, quas nondum vidi.

512. Phalæna *Meticuloſa.*

— *long.* lin. 11. *lat.* 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 513.
Faun. Svec. 2. 1164.
Roesel. Tab. 4. Tab. 9. fig. 4. 5.

Diagn. Alæ ſubdentatæ: anticæ triangulo intra triangulum; utriusque baſi craſſiori margini impoſita.

Circa *Labacum* capta.

Corpus ſupra & alæ oſſeæ; his *anticis* punctum nigrum inter baſim & triangulum, & macula nigricans obſoleta ad apicem; margo trianguli interni totus oſſeus, externi vero majorisque tantum anticus; lituræ fuſceſcentes obſoletæ transverſæ in limbo; alæ *poſticæ* oſſeæ; macula media margineque fuſcis. Abdomen ſubtus ſubochreaceum; punctorum fuſcorum ſeriebus tribus.

His (503-512) ova perlata, rotunda.

513. Phalæna *Lubricipeda.*

— *long.* lin. 9. *lat.* 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 505-506.
Faun. Svec. 2. 1138.
Roes. Papil. noct. Tab. 46. fig. 7. 8.

Diagn. Alba; oculis antennisque nigris; alis deflexis: anticis nigro-punctatis; abdomine ſupra paleaceo; punctorum nigrorum ordinibus quinis.

Apud nos frequens.

Antennæ ſubtus dentatæ, baſi ſuperne albæ. Lingua ſubſtraminea. Alæ anticæ punctis nigris (7-10). Tibiæ nigræ.

514. Phalæna *Pulchella.*

— *long.* lin. 7½. *lat.* 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 534. Tinea. N. 238.

Diagn. Alba; alis anticis nigro-rubroque punctatis; poſticis limbo fuſco.

Inveni in flore *Scabioſæ arvenſis.* Junio M.

Ill. Linnæus, vidit forte in Muſeo ſpecimen explicatum, in quo ſtatu, adeo ſimile eſt *Tineæ Evonimellæ* pariter expanſæ, ut alio ordini adjungi nequeat, quam *Tinearum.* Si vero vivens ſedensque animal intuearis, alas minime convolutas ſed planiſſimas obſervabis.

Puncta duo nigra caput inter & thoracem, valvulæ thoracis rubore ſuffuſæ punctisque duobus nigris. Abdomen album; punctis nigris lateralibus utrinque (4). Alæ anticæ punctis marginalibus nigris (7). Alæ poſticæ ſupra glauco quodam nitore fulgidæ. Antennæ ſetaceæ.

515. Phalæna *Bucephala.*

— *long.* lin. 9½. *lat.* 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 508.
Faun. Svec. 2. 1115.
Roesel. Papil. noct. Cl. II. Tab. 14. fig. 5. 6.

Diagn. Alæ ſubdentatæ: anticæ linea cæſeata, duplici antice, aliaque ſimili verſus limbum faſciatæ: apice macula ovata magna occipiteque ſtramineo colore tinctis.

Habi-

Habitat in *Salice*.

Abſque auxilio figurarum, ex ſola definitione *Syſt. Nat.* difficillime adgnoſcitur; noſtræ enim, nec alas cinereas, nec maculam apicis ſubocellarem flavamque gerunt, multoque minus magnitudinem *Ph. Coſſi* (*Faun. Svec.* l. c.)

Statura *Ph. Mori*. Lingua brevis. Oculi nigri. Antennæ pectinatæ. Alarum primorum dentes caſſeato puncto notati, lineæque ſublunatæ ſimiliter coloratæ (4-5) marginales. Maculæ apicis portio marginem dentatum ſpectans, macula pallide ochreacea: antice crenata, inquinata, eſt. Alæ eædem ſubtus albidæ, punctis lineisque ad marginem dentatum, ut ſupra, faſciaque tenui obſoleta fuſceſcente.

Larva nigra, piloſa, calami craſſitie; lineis longitudinalibus transverſisque luteis, punctisque albis lateralibus; fronte (Y) flavo ſignata. Hæc unica, mutanda in pupam, exit ex involucro, non exuit, relinquens illud extenſum & æque longum ac erat larva. Pupa fuſca; corniculis binis, ſpinoſis, poſticis.

516. PHALÆNA *Libatrix*.

— *long.* lin. 9. *lat.* 5.

LINN. Syſt. Nat. p. 507.
Faun. Svec 2. 1143.
ROESEL. Tom. 4. Tab. 20. fig. 3. 4.

Diagn. Alæ anticæ cervinæ; baſi maculis (4) ochreaceis: media longa prismatica; faſciis binis linearibus pallidioribus: poſtica duplici, punctis duobus albis, margine externo denticulato ita ut diſtantia apicis a primo dente eadem ſit, quæ ab eodem dente ad angulum poſticum.

Habitat in *Salice*.

Deſcriptio LINNÆI *Faun. Svec.* optima; cui adde alas *anticas* atomis fuſcis adſperſas, punctum nigrum fere in medio verſus marginem craſſiorem, lineam repandam lucidiorem transverſam in limbo ab uno margine ad alium productam, venas alæ in limbo albidas; alas *poſticas* fuſceſcentes, baſi pallidiores; margine nigricante. Tibias albas, fuſco-annulatas.

517. Phalæna *Chryſitis.*

— *long.* lin. 6½. *lat.* 4½.

Linn. Syſt. Nat. p. 513.
Faun. Svec. 2. 1169.

Diagn. Alæ murinæ: anticæ faſciis binis, orichalceis.

Habitat in *Galeopſide.*

Alæ ſupra murinæ, fimbria pallidiore terminatæ; *anticæ* ſupra inter faſcias binis circulis obſcurioribus, (ꝯ) referentibus; ſubtus murinæ; limbo paleaceo: *poſticæ* ſupra murinæ totæ, ſubtus paleaceæ; lineola obſcuriore, lunata, media.

518. Phalæna *Pronuba.*

— *long.* lin. 11. *lat.* 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 512.
Faun. Svec. 2. 1167.
Roesel. Tom. 4. Tab. 32. fig. 4. 5. 6.
Frisch. Inſ. 10. Tab. 15. fig. 4.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 90.

Diagn. Alæ anticæ pallide-cervinæ; macula rotunda, media, fuſca, punctisque binis didymis atris prope apicem; poſticæ paleaceæ, faſcia nigra ſubmarginali.

Habitat in *Senecione*, *Hieracio pilos.*

Caput & thorax alis anticis concolor; abdomen poſticis, idemque ſericeo nitore fulgens.

Alæ poſticæ ſupra margine exteriore perlato. Alæ antice limbo poſtice fuliginoſæ, margine inferiore pariter perlaceo nitore fulgidæ.

590. Phalæna *Quadra.*

— *long.* lin. 11½. *lat.* 4½.

Linn. Syſt. Nat p. 511.
Roesel. Suppl. Papil. noct. Cl. II. Tab. 17. fig. 4. 5.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 89. Tab. 2. fig. 8.

Diagn. Alæ unicolores; anticæ lanceolatæ, rotundatæ; maculis binis, cyaneis.

In agro *Labacenſi.*

Situs macularum alæ anticæ conſtans, nempe una incumbens margini craſſiori & lineas quatuor cum

cum dimidia ab apice diſtans, altera in medio verſus marginem inferiorem lineas ſex ab apice remota.

Variat 1. alis ſtramineis, antennis pedibusque cyaneis.
2. — cereis.
3. — albis.

520. Phalæna *Sannio*.

— *long*. lin. 9. *lat*. 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 506. ſic puto.

Diagn. Alæ omnes macula media obſcuriore: anticæ ſubtus, poſticæ ſupra faſcia fuſca.

In *Carniolia* calidiore.

Variat 1. alis anticis *ſupra* paleaceis; macula media rubro-fuſcoque varia; margine undique rubro *ſubtus* diſco fuſceſcente; limbo paleaceo; macula fuſca reniformi, paleacea atmoſphæra cincta.
— poſticis *ſupra* albidis: faſcia obſoleta maculaque fuſcis; margine rubro.
— — *ſubtus* paleaceis, absque macula & faſcia.
2. alis iisdem, ſed poſticis ſubtus macula fuſca media obſoleta.
3. alis cereis, absque margine rubro; anticis ſubtus faſcia poſtica maculaque fuſcis; poſticis ſubtus immaculatis.
4. alis albis, absque margine rubro; anticis macula fuſca obſoleta; poſticis ſupra macula faſciaque fuſcis obſoletis; ſubtus rudi maculæ mediæ veſtigio.

521. Phalæna *Verbaſci*.

— *long*. lin. 9. *lat*. 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 515.
Faun. Svec. 2. 1186.
Roesel. Papil. noct. Cl. II. Tab. 23. fig. 4. 5.

Diagn. Lingua corporis longitudine. Thorax criſta duplici. Alæ ſubdentatæ, albo-cervinæ; margine fuſco.

Habitat in *Scrophularia.*

Abdomen dorſo acuminato, fuſco. Alæ poſticæ ſubtus puncto obſoleto, fuſco medio. Femora puncto nigro notata. Lineolæ duo transverſæ, lunatæ, pallidæ, parvæ, ad marginem internum alæ anticæ.

522. Phalæna *Braſſicæ.*

— *long.* lin. 9. *lat.* 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 516.
Faun. Svec. 2. 1205.
Roesel. Papil. noct. Cl. II. Tab. 29. fig. 4-5.

Diagn. Alæ anticæ murinæ, fuſco-nebuloſæ, alba media linea ita flexa ut ſubcordatam figuram habeat, cui vicina macula ſubrotunda pallida.

Circa *Labacum.*

Roeselii figuræ certe hanc repræſentant, quidquid deſcriptio Linnæana diſſentire quodammodo videatur. Huic lineolæ (8) fuſcæ curvæ ad marginem alæ anterioris, quæ ſubtus pallidior, & absque maculis. Alæ poſticæ ſupra murinæ: margine leniſſime crenulato & lucidiore fimbria terminato; ſubtus pallidiores; puncto fuſco medio.

523. Phalæna *Gamma.*

— *long.* lin. 9. *lat.* 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 513.
Faun. Svec. 2. 1171.
Roesel. Papil. noct. Cl. II. Tab. 30. fig. 4. 5.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 91.

Diagn. Alæ anticæ (γ) græco albo inſcriptæ.

Habitat in *Origano majorana*, & *Trifolio prat.* ſed copioſa in *Braſſica oleracea*, quam devaſtat.

Alæ anticæ *ſupra* bruneæ; lineolis vagis pallidis & macula pallida obſoleta conica exteriori margini poſtice impoſita; margine crenulato pallidiore; gamma græco cruribus eundem marginem reſpicientibus, baſi iis multo craſſiore & obtuſa; *ſubtus* fuſco & paleaceo variegatæ.

Alæ

Alæ poſticæ *ſupra* baſi murinæ, poſtice bruneæ, margine pallidiore; *ſubtus* anticis concolores, fimbria cinereo-fuſcoque varia.

Dorſum pone triplici criſta, abdomen autem unica: apice bifidum. Volatus rapidus, etiam diurnus.

Larva virens, villoſula: lineis (2) dorſalibus pallidioribus. Pedibus pector. (6), abdom. (4), caudal. (2); ſub *Geometra*.

524. PHALÆNA *Aceris.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 3½.

LINN. Syſt. Nat. p. 514.
Faun. Svec. 2. 1179.
ROESEL. Papil. noct. Cl. II. Tab. 29.

Diagn. Alæ anticæ caneſcentes; lineis transverſis, dentatis, annuloque ocellari nigris.

In *Acere.*

Sex circiter tales lineæ numerari poſſunt; inter quartam & quintam jacet ocellus canus iride pupillaque nigris, diametro ſua lineam non attingens. Alæ poſticæ utrinque pallide-murinæ, ſubtus macula fuſca ſublunata media.

525. PHALÆNA *Rubiginoſa.*

— *long.* lin. 6½. *lat.* 3½.

Diagn. Alæ anticæ ſupra ferrugineæ, lunula media nigra.

In *Carniolicæ* herbidis.

Corpus utrinque ferrugineum. Oculi brunei. Alæ anticæ lunula cornibus ſuis craſſiorem marginem reſpicit. Alæ poſticæ ſupra murino-ferrugineæ, ſubtus magis ferrugineæ: faſcia obſoleta maculaque media fuſcis.

526. PHALÆNA *Clavipalpis.*

— *long.* lin. 5½. *lat.* 3.

Diagn. Alae anticæ cervinæ; margine craſſiore punctis (4) nigris.

Habitat in agro *Labacenſi.*

Alæ *anticæ* ſubfuſco leniter nebuloſæ, puncto nigro verſus baſim; ſubtus pallidæ: margine inferiore ſub-perlato; *poſticæ* utrinque albidæ, imma-

culatæ: margine obſcuriore. Dorſum leve, valvis ſubtrigonis. Palpi clavati, compreſſi. Tibiæ ſupra fuſceſcentes, albidis annulis variegatæ.

527. Phalæna *Deceptoria.*

— *long.* lin. 5. *lat.* 3.

Diagn. Alæ anticæ albæ; margine externo faſciaque lata media eroſa fuſcis.

In ſylveſtribus circa *Idriam.*

Habitus *Ph. Tortric's.* Abdomen criſtulis binis. Intra faſciam alæ anticæ, cujus margines eroſi ſunt & tortuoſi, eſt annulus albus, eique vicinum punctum album; macula fuſca infra apicem margini inſidens. Alæ poſticæ griſeo-fuſcæ, immaculatæ.

II. *Geometræ.*

(a) *Alis poſticis angulatis.*

528. Phalæna *Amataria.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 4.

Linn. Faun. Svec. 2. 1223.

Diagn. Per alas expanſas omnes utrinque ab apice primoris unius ad apicem alterius ſociæ decurrunt ſtrigæ duo obſcuriores; quarum poſtica tenuior & repanda, extremitates ſuas adnectit apicibus alarum anticarum, ſeu extremitatibus ſtrigæ ſuperioris.

In ſylveſtribus.

Amataria ill. Linnæi ſolo colore a noſtra differt; illa enim albida, apicibus alarum margine, ruſis; noſtra vero zinziberis colore, ſtriga ſuperiore fuſco-ferruginea, altera fuſca, eaque ſubtus evidentiore quam ſuperior. Alarum pagina inferior atomis obſcurioribus adſperſa. Cæterum

Var. 1. Alis anticis puncto fuſco, nec non omnibus margine externo fimbriaque rubellis, margine, ſeu linea marginali eadem, ſubtus fuſceſcente.

2. Alis anticis abſque puncto fuſco fimbriaque rubella, antennis pectinatis: apice ſetaceis.

529.

529. Phalæna *Lactearia.*

— *long.* lin. 5. *lat.* 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 519.
Faun. Svec. 2. 1226.

Diagn. Alba; antennis pectinatis: pectinibus villoſis, apice ſetaceis; alis poſticis angulatis: omnibus ſtrigæ transverſæ veſtigio.

In agro *Labacenſi.*

Lingua paleacea. Oculi fuſceſcentes. Antennarum pectines piloſi, rachi obſcuriores.

530. Phalæna *Viridata.*

— *long.* lin. 5½. *lat.* 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 523.
Faun. Svec. 2. 1256.

Diagn. Alæ montano viridi colore tinctæ; ſtriga fimbriaque pallidiore, margine craſſiore flaveſcente.

10. Maji capta in herbido colle circa *Idriam*

Strigam quoque flavicantem ponit Linnæus, quæ, apud nos, albida. Dorſum alis concolor, Abdomen pedes & antennæ albo-paleaceæ.

531. Phalæna *Repandata.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 4¼.

Linn. Syſt. Nat. p. 524.
Faun. Svec. 2. 1260.

Diagn. Alæ albidæ utrinque; ſtrigis fuſcis, undatis, externo margini parallelis; punctoque fuſco utrinque notatis.

In herbidis locis, non rara.

Mihi ſane, juxta deſcriptionem in *Faun. Svec.* datam, videtur *Repandatæ* Linn. mera varietas. Alis omnibus punctulis numeroſis fuſcis adſperſis; lineola fuſca, marginem exteriorem alæ utriusque utrinque circumſcribente, punctoque fuſco non ſolum in inferioribus, ſed etiam ſuperioribus.

532. Phalæna *Nebulata.*

— *long.* lin. 5. *lat.* 3¼.

Diagn. Alæ ſupra albido-cervinoque nebuloſæ, ſubtus pallidiores; poſticæ ſubangulatæ.

In agro *Locopolitano.*

Fimbria alarum pallidior, cervinis punctis variegata. Alæ ſubtus obſoletis, ſubferrugineis faſciis tribus. Antennæ ſetaceæ, ut in priore.

(b) *Alis poſticis dentatis.*

533. PHALÆNA *Corticalis.*

— *long.* lin. 10½. *lat.* 6½.

Diagn. Alæ oſſeæ; lineolis transverſis parvis numeroſis ferrugineis; linea craſſiore utrinque pariter ferruginea, in ſingulis alis.

In agro *Labacenſi.*

Alæ lineolis illis transverſis, *Betulæ* corticem quodammodo referunt; poſticæ dentibus (5).

534. PHALÆNA *Cervinalis.*

— *long.* lin. 10. *lat.* 6½.

ROESEL. Papil. Noct. Cl. III. Tab. 3. fig. 3?

Diagn. Alæ cervinæ: anticæ faſciis binis, fuſcis, dentatis, lineaque alba undata ſubmarginali; poſticæ linea nigra, marginali.

In ſylvis noſtris, non rara.

Specimina mea majora *Roeſeliano*, carent lineis albis, transverſis, alarum anticarum baſes occupantibus. Alæ ſubtus faſcia obſoleta dentata & puncto nigro evidenti. Sexus unus habet faſciam anticam magis conſpicuam.

535. PHALÆNA *Fimbrialis.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 5.

Diagn. Alæ capparinæ: anticæ ſtrigis binis, albis; poſticæ una; omnibus fimbria albida, ferrugineo-punctata.

In agro *Vipacenſi*, & interiori *Carniolia.*

Antennæ pectinatæ; rachi albida: pectinibus pallide ferrugineis. Alarum color ſupra pallidior deſignato; harum ſtrigæ ſubrepandæ, ſubtus nullæ; dentes alarum poſticarum ferruginei. Pedes ferruginei.

536. Phalæna *Retialis.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 4.

Diagn. Alæ albæ, venis faſciisque (4) murinis reticulatæ.

Apud nos frequens.

Margo alæ anticæ craſſior & externus pallide luteolus lineolisque crebris murinis transverſis nebuloſus; faſcia ultima & penultima in medio alæ cohærent, faſcia tertia ex apice ſuperiorem marginem contingente uncum demittit proximæ faſciæ ſeu penultimæ ſe ſe unientem. Fimbria alarum albo murinoque varia; eædem ſubtus ut ſupra coloratæ, ſed colore murino pallidiore. Antennæ ſetaceæ.

537. Phalæna *Punctinalis.*

— *long.* lin. 10½. *lat.* 6.

Diagn. Alæ albæ; ſerie transverſa punctorum fuſcorum, faſcia obſoleta ſubmarginali atomisque fuſcis.

In arboribus pomiferis.

Puncta (7). Maculæ duæ obſoletæ margini craſſiori impoſitæ. Ala utraque ſubtus puncto fuſco. Alæ ſubdentatæ.

(c) *Alis omnibus dentatis.*

538. Phalæna *Feneſtrella.*

— *long.* lin. 3½. *lat.* 2.

Diagn. Alæ fuſceſcentes, erectæ, dentatæ; punctis rufis albisque.

Floribus involat, non frequens.

Tota ſubfuſca eſt. Puncta alarum utrinque, alia rufa multa & opaca, alia vero argentea diaphana, majora, in qualibet ala duo & tria, medio loco poſita. Abdomen annulis duobus albis faſciatur. Tibiæ poſticæ uno latere barbatæ, baſi & apice albo puncto notatæ.

(d) *Alis omnibus rotundatis.*

539. Phalæna *Niveata.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 4½.

Diagn. Alba tota & immaculata.

In pratis.

Oculi nigricantes. Antennæ pedesque pallide-cervini. *Mas* antennis pectinatis; alis fimbria manifeſta; *Fæmina* antenn. ſetaceis, alis manifeſta fimbria deſtitutis.

540. Phalæna *Lineata.*

— *long.* lin. 10. *lat.* 6.

Diagn. Alba tota; linea marginali veniſque ſubtus fuſcis.

In pomariis.

Margo ſuperior alæ anticæ fuſcus, eadem ſubtus faſcia obſoleta maculaque fuſcis. Antenn. ſetaceæ, cervinæ. Abdomen ſubtus lineis tribus, fuſcis, longitudinalibus. Pedes cervini.

541. Phalæna *Strigata.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 4½.

Diagn. Alba; alis anticis ſtrigis transverſis tribus, poſticis duabus ſubferrugineis.

In pratis humilioribus.

Antennæ pectinatæ, apice ſetaceæ. Macula obſoleta, ſubferruginea, marginalis; prope apicem alæ anticæ punctum nigrum, ſub ala qualibet.

542. Phalæna *Exanthemata.*

— *long.* lin. 5½. *lat.* 3½.

Diagn. Alba; ſtrigis ut in priore, ſed obſoletiſſimis punctulisque copioſis ferrugineis utrinque variegatas alas gerens.

In ſalicetis.

In ſpecimine, quod coram habeo, antennæ deſunt; ſed etiam ſi forent pectinatæ, diverſum videretur a priore, copia atomorum, ſtatura &c.

Variat puncto ſub alis nigro.

543. Phalæna *Punctata.*

— *long.* lin. 5½. *lat.* 3½.

Diagn. Alba; alis omnibus utrinque puncto nigro medio; anticis punctis (7) nigris marginem externum utrinque occupantibus.

In collibus herbidis, non rara.

An-

Antennæ ſetaceæ. Alæ anticæ ſtriga una biniſve obſoletiſſimis ſubferrugineis, minutisque punctulis raris fuſcis variegatæ, ſubtusque magis ferrugineæ. Puncta nigra marginalia in alæ ſingulæ inferiore pagina evidentiora quam in ſuperiore.

544. Phalæna *Groſſulariata.*

— *long.* lin. 9. *lat.* 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 525.
Faun. Svec. 2. 1261.
Friſch. Inſ. 3. Tab. 2. fig. 4. p. 13. 15.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 92. 93.

Diagn. Alba; alis fuſco-maculatis: anticis ſupra baſi faſciaque flavis.

In *Ribeſio groſſularia.*

Caput nigricans. Corpus flavum. Abdomen ſerie triplici punctorum nigrorum, nempe una dorſali, duabusque ſubtus. Alæ *anticæ* maculis in margine externo (7), quem numerum ponit etiam Linn. & figura Friſch, in diſco ſeries duæ macularum, quas inter faſcia flava; ad marginem craſſiorem duo paria ſimilium macularum, invicem, & cum ſerie antica macularum diſci, connexarum; inter baſim & ſeriem dictam maculæ duæ parvæ liberæ; ad baſim itidem maculæ aliæ ſepientes fere faſciam aliam flavam ibidem: *poſticæ* maculis marginalibus (7), diſci (8), dein tribus aliis, quarum una in medio, alia in margine inferiore, tertia eſt punctum baſim occupans. Alæ ſubtus eodem modo maculatæ ſunt, ſed anticæ hic carent faſciis flavis.

545. Phalæna *Ornata.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 3½.

Diagn. Alba; alis omnibus ſupra faſciis binis limbi: antica undata.

In pratis *Carnioliæ ſuper.*

Ornatus limbi ſingularis huic uni proprius; nempe faſcia fuſco-cinerea, ſubmarginalis, ex pluribus punctis conjunctis facta; aliaque faſcia compoſita maculis binis convexis, cervinis, linea nigra tectis, nec non maculis aliis duabus fuſco-cinereis intermediis, ſed inferioribus. Præterea ala quælibet ſupra faſciam gerit mediam, ſubcervinam, obſoletam,

tam, cui vicinum, in alis tantum poſticis, eſt punctum nigrum. Alæ anticæ ſubtus faſciis obſoletis fuſceſcentibus binis. Poſticæ unica, ſingulæ puncto nigro notatæ. Antennæ ſetaceæ.

In hac ſpecie alæ poſticæ ſubdentatæ ſunt; hinc ſive ad priorem, ſive ad hunc ordinem reducantur, idem erit; margo alarum ſubtus linea nigra, aut lineolis nigris notatus.

546. Phalæna *Sylvata.*

— *long.* lin. $8\frac{1}{2}$. *lat.* 5.

Diagn. Alba; alis anticis maculis fuſcis ſubelutis, baſi tamen & prope angulum poſticum macula majore obſcuriore & colore ferrugineo inquinata; abdomine paleaceo: punctorum nigrorum ſeriebus (7).

Habitat in ſylvis faginis, umbroſis.

Groſſulariatæ proxima, non tamen eadem. Alæ poſticæ margine fuſco, ſubtus maculis in diſco (6), tribus ad baſim. Tibiæ poſticæ flaveſcentes; faſcia fuſca. Ad baſim alæ anticæ ſupra punctum nigrum.

547. Phalæna *Urticata.*

— *long.* lin. $6\frac{1}{4}$. *lat.* 4.

Linn. Syſt. Nat. p. 529. Hortulata.
Faun. Svec. 2. 1297.
Roesel. Papil. Noct. Cl. IV. Tab. 14. fig. 7. 8.

Diagn. Alæ albæ; macularum fuſcarum ordinibus transverſis binis poſticis; thorace anoque flavis.

Habitat in *Urtica,* arboribus pomiferis, ſalicetis.

Macularum ſeries ſubmarginalis alarum ſuperiorum, maculas (7), inferiorum vero (8), continet; alia ſeries variat. Alæ ſuper. ad baſim maculis aliis fuſcis (4-5); inferiores unica, aut nulla. Variat abdomine toto flavo; cingulis nigris.

Salictariam Doctiſſ. P. Podæ, huc referri poſſe docet habitus, & numerus macularum ſeriei poſticæ. Muſ. Græc. Tab. 2. fig. 2.

548.

548. PHALÆNA *Staphylæata.*

— *long.* lin. 5¼. *lat.* 3⅜.

Diagn. Alæ concolores albæ: anticæ limbo maculiſque binis contiguis fuſcis craſſiori margini impoſitis.

Habitat in *Fago*, *Staphylæa.*

Lingua ferruginea. Antennæ ſetaceæ. Corpus totum maculis alarum concolor. Tibiæ poſticæ pallidæ.

Var. 1. Alis anticis; faſcia abrupta fuſca, maculiſque marginalibus coalitis.
2. — — macula parva diſci, maculiſque marginalibus disjunctis.
3. — poſticis limbo, & diſco fuſco-faſciato maculato.
4. — — limbo maculis tribus obſoletis, faſcia nulla.

549. PHALÆNA *Glaucata.*

— *long.* lin. 5½. *lat.* 4.

Diagn. Alba; alis anticis faſcia media ſubeluta fuſceſcente, ad marginem inferiorem glauco fuſcoque varia.

In ſylvis.

Caput fuſcum. Antennæ ſetaceæ eo pallidiores. Abdomen fuſceſcens. Alæ *anticæ* binis ordinibus punctorum ad marginem externum ſupra; ſubtus margine eodem & craſſiore nec non faſcia lata, fuſceſcentibus; *poſticæ* ſupra limbo fuſceſcente, ſubtus albæ totæ.

550. PHALÆNA *Faſciata.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 4½.

Diagn. Alba; alis anticis ſupra baſi faſciaque dentata fuſco ferrugineoque variis.

In ſylveſtribus, umbroſiſque locis.

Habitus & faſciæ figura, ut in *Phal.* FRISCH. Inſ. 7. Tab. 19. fig. 2, ſed colores alii. Cæterum

Var. 1. Baſi alarum anticarum, faſciaque lineolis curvis cæruleſcentibus variegata; punctis duobus nigris, duas lineas ab api-

apice remotis; limbo fuſceſcentibus binis faſciolis ad alæ apicem non productis; abdominis inciſuris ſingulis ſupra pari uno punctorum nigrorum; alis anticis ſubtus punctis (7) albidis in limbo, poſticis lineola nigra media antica transverſa, qualis etiam ſub anticis prope marginem craſſiorem.

2. Faſcia magis ferruginea, minusque fuſca & absque lineolis cæruleſcentibus, ſubtus ſine punctis albidis. Abdomine ſine punctis nigris.
3. Faſcia puncto nigro immerſo, baſi obiter faſciata. Abdomine punctato, ut in Var. 1.
4. Faſcia obſoleta interrupta; abdominis inciſuris ſupra bipunctatis.

551. Phalæna *Chloroſata.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 5½.

Diagn. Albida, ſeu colore eodem fere ut vultus in Cachexia virginea.

In paſcuis.

Alæ anticis lineis rectis ferrugineis binis transverſis, quibus interjacet punctum fuſcum in ſola pagina ſuperiore conſpicuum.

552. Phalæna *Mucronata.*

— *long.* lin. 8. *lat.* 5⅔.

Diagn. Oſſeo-cinerea; alis anticis apice acuminatis lineaque fuſca ibidem.

In ſalicetis.

Mucrone lineaque apicis a priore imprimis diverſa, nec non alis omnibus ſubtus fuſceſcentibus atomis adſperſis, anticisque ibidem ubi ſupra puncto fuſco notatis. Cæterum lineæ in alis anticis ſupra, cum interjecto puncto, ut in priore.

553. Phalæna *Variegata.*

— *long.* lin. 6½. *lat.* 4½.

Conf. *Geom. Immutata* Celeberr. Linnæi.

Diagn. Albida; atomis faſciisque undatis tenuibus fuſcis variegata; alis omnibus puncto medio margineque nigro punctato utrinque.

In

In herbidis.

Alæ *anticæ* ſupra ſtrigis (4) una aliave obſoleta, punctis nigris marginalibus (8); *poſticæ* ſtrigis tribus, punctisque pariter (8). Subtus anticæ fuſceſcentes; faſcia albida in limbo; poſticæ albæ ſtriga transverſa repanda fuſceſcente poſtica.

Variat ſtatura fere duplo minore, aliſque anticis ſubtus obſcurioribus quam ſupra.

Sed neque hanc ſpecie diverſam arbitror

— *long.* lin. 4½. *lat.* 2⅓.

Alis anticis ſupra punctis (4) anticis nigris, poſtice ſerie punctorum in limbo nigrorum.

— poſticis, eadem ſerie punctorum in limbo utrinque.

Conjungunt enim cum priore, color, habitus, oculi brunei, antennæ albidæ, caput inter antennas album, puncta alarum marginalia, & punctum nigrum ſingulis utrinque in medio.

554. Phalæna *Verberata.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 5.

Diagn. Albida; alis anticis ſtrigis (5) undatis transverſis fuſco-ferrugineis: duabus poſticis approximatis.

In ſterilioribus pratis.

Antennæ dentatæ. Oculi brunei. Tibiæ fuſcæ, albido annulatæ. Margines externi alarum utrinque linea fuſca, punctis contiguis facta, notati. Alæ poſticæ utrinque ſtriga obſoleta, punctoque ſubtus, fuſcis.

555. Phalæna *Undulata.*

— *long.* lin. 7½. *lat.* 5.

Diagn. Alæ cinereæ; anticæ faſcia lata fuſcocinereoque nebuloſa dentata: punctis duobus nigris, undulisque obſoletis crebris obſcurioribus transverſim ſtrigatæ.

In ſylvis.

Antennæ cervinæ, pectinatæ: apice ſetaceæ. Faſcia ibi lucidior ubi puncta duo nigra immerſa gerit. Alæ anticæ limbus rugoſus, vallecula qualibet nigro puncto ſignata; eædem ſubtus fuſceſcentes: faſcia poſtica pallidiore obſoletaque.

Poſti-

Poſticarum margo leniter repandus, nigriſque lineolis notatus; Variat colore griſeo.

556. Phalæna *Crategata.*

— *long.* lin. 9. *lat.* 5½.
Linn. Syſt. Nat. p. 525. luteolata.
Faun. Svec. 2. 1283.

Diagn. Lutea tota; alis anticis margine ſuperiore maculis ferrugineis (5); antice minoribus: macula ocellari dentata alba: iride fuſca, ferrugineæ ſecundæ adnata.

Inveni in M. *Nanas*, ſupra *Prewald* in itinere Botanico A. 1761, ſocio D. Doct. *Carolo Krapf*, Medico Tergeſtino.

Antennæ fuſco-ferrugineæ, ſuperne extrorſum albidæ. Palpi colore baſeos antennarum. Lingua ferruginea. Thoracis latus utrumque linea ferruginea a baſi alæ proxime nata. Pedum genicula ferruginea. Tibiæ albidæ. Alæ anticæ macula apicis conica major, baſi caput ſpectans. Puncta nonnulla ferruginea in margine alæ anticæ, verſus apicem; ordo punctorum fuſcorum obſoletorum transverſus in alis anticis ſupra. Alæ poſticæ ordine ſimili punctorum, puncto alio majore medio. Ex his patebit qualiter ſpecimen noſtrum differat a Linnæano *Faun. Svec.*

557. Phalæna *Maculata.*

— *long.* lin. 7. *lat.* 4½.
Linn. Syſt. Nat. p. 521. macularia, juxta deſcriptionem.

Diagn. Flava; alis omnibus utrinque fuſco maculatis.

In pratis noſtris non rara.

Antennæ ſetaceæ (†). Alarum baſes punctis fuſcis crebris obſitæ. Variat colore pallidiore, maculis

(†) Calamitas diviſionis *Phal. Geometrarum* in pectini- & ſeticornis, hæc eſt, 1. quod mas pectinicornis, fæmina ſeticornis; 2. quod ſexus uterque neque in indigenis facile habeatur; 3. quod *Phalænæ* ejuſmodi antennis mutilatæ in Muſæis ſæpius occurrant.

culisque poſticis alarum anticarum in faſciam coadunatis.

558. PHALÆNA *Iſoſcelata.*[3]

— *long.* lin. 6. *lat.* 3½.

Diagn. Alæ ſupra albæ; faſciis (4) lineolisque parvis transverſis fuſcis; ſubtus flaveſcentes.

In ſubſylveſtribus *Carniolia.*

Faſcia baſeos arcuata, alia huic proxima cum tertiæ apice in margine inferiore unita in triangulum Iſoſceles, faſcia quarta abrupta; flavedo etiam aliqua circa has faſcias obſervatur. Fimbria terminalis albo fuſcoque varia. Alæ poſticæ tres faſcias fuſcas obſoletas habent, ſubtus binas. Antennæ ſetaceæ.

559. PHALÆNA *Contaminata.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 4.

Diagn. Alæ utrinque faſciis cinereis & ferrugineis alternantibus coloratæ, atomisque fuſcis adſperſæ.

In herbidis montanis *Carnioliæ ſuper:*

Dubium an prævaleat color cinereus vel ferrugineus. Alæ anticæ faſciis decem; alternis cinereis; poſticæ octo: alternis quoque cinereis. Linea nigra marginalis utrinque. Antennæ ſetaceæ. Conf. LINN. *Atomaria.* Faun. Svec. 2. 245.

560. PHALÆNA *Menſurata.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 5.

Diagn. Alæ cineraſcentes, atomis fuſcis obſitæ: anticæ faſciis tribus lineaque apicis caſſeatis; margine paleaceo.

In ſiccis & apricis collibus.

Faſcia tertia baſeos modo evidens, modo fere nulla. Inter faſciam primam & ſecundam punctum fuſcum. Alæomnes ſupra lineola faſciis concolore terminali; poſticæ ſine faſciis; ſubtus omnes ſubferrugineæ. Antennæ mari pectinatæ, fæminæ ſetaceæ. Ab alæ margine ad faſciam primam, ab hac ad ſecundam, indeque ad baſim diſtantia eadem, ſeu tertia pars longitudinis totius alæ, menſura ducta circa medium.

561. Phalæna *Mæniata*.

— *long.* lin. 8½. *lat.* 6.

Diagn. Alæ anticæ albido-cineraſcentes; faſcia caffeata lata dentata margine paleaceo.

In ſylvis.

Faſcia vertice propugnaculi in medio alæ poſito in limbo, a cujus apice ad oppoſitum marginem ſi ducatur linea recta, erit hæc quatuor lineas longa, dum eadem faſcia in margine alæ inferiore lineas duas, in ſuperiore vero quatuor pariter lineas lata eſt, eademque antrorſum pallidior. Ad apicem alæ linea faſciæ concolor. Sub alis faſciæ nullæ. Antennæ mari pectinatæ. Corpus alæ anticæ limbo concolor.

562. Phalæna *Cruentata.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 4½.

Diagn. Alæ ſupra oſſeæ; faſcia communi fimbriaque ruſſeis.

In agro *Labacenſi.*

Antennæ pectinatæ. Alæ anticæ utrinque puncto ruſſeo. Alæ poſticæ ſupra faſcia magis obſoleta; omnes ſubtus maxima parte ruſſeæ, alibi paleaceæ.

563. Phalæna *Laccata.*

— *long.* lin. 5. *lat.* 3⅓.

Diagn. Alæ ſupra viridanæ; faſciis binis poſticis primorumque margine craſſiore laccatis.

In Juniperetis, verno tempore obvia.

Antennæ ſetaceæ. Faſciæ alarum poſticarum minus conſpicuæ, omnes ſubtus obſoletæ, & obſcuriores, puncto fuſco ſub alis anticis.

564. Phalæna *Inflammata.*

— *long.* lin. 4½. *lat.* 3.

Diagn. Alæ anticæ hepaticæ: diſco ſubtus nigricante; utrinque maculis quinis lineaque limbi aureis; poſticæ fuſcæ: faſciis binis maculaque aureis.

In pratis, tota æſtate, frequens.

Aureæ faſciæ & maculæ quoad colorem, non vero nitorem. Faſcia antica alarum poſticarum

alia

alis triplo craſſior. Abdomen alis anticis concolor: cingulis aureis. Antennæ ſetaceæ. Ovum luteum, nitidum, ſphæricum. Sedentis alæ non horizontales, ut in prioribus, ſed adſcendentes.

565. Phalæna *Aurata.*

— *long.* lin. 4. *lat.* 2½.

Diagn. Habitus & colores ut in priore, ſed alæ anticæ maculis (4); poſticæ unica, utrinque aureis, faſciis nullis.

In montanis *Carnioliæ.*

Niſi inveniſſem in copula utrumque ſexum uniformem, cum priore facile conjunxiſſem. Mas abdomen, canis longisque pilis, terminatum habet. Alarum ſedentis ſitus prioris.

566. Phalæna *Bilineata.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 4.

Linn. Syſt. Nat. p. 525.

Faun. Svec. 2. 1284.

Diagn. Alæ utrinque ſulphureo ochreaceæ: anticæ ſupra lineis binis repando-dentatis fuſcis albisque; omnibus ſubtus limbo fuſceſcente.

In pratis.

Deſcriptio *Ph. Bilineatæ* Linn. noſtræ quoque aptari poteſt, etſi in alis ſuperioribus ſupra faſciam latam ponat, quæ in meis exemplaribus non occurrit, elota ſine dubio a climate, remanentibus tamen lineis ſtrigis duabus albidis utrinque eandem diſtinguentibus, dentatisque potius quam repandis. Præter lineas haſce, duæ aliæ in noſtris adſunt repandæ & albæ, ſed obſcuriores, una baſim alæ ejuſdem, altera limbum occupante. Sub alis lineæ equidem repandæ ſed fuſcæ, punctumque fuſcum ſub qualibet ala occurrit. Antennæ ſetaceæ ſunt.

567. Phalæna *Ochrata.*

— *long.* lin. 5. *lat.* 3½.

Diagn. Alæ ochræ colore, ſubtus obſcuriores; utrinque ſtrigis transverſis repandis obſcurioribus.

In montanis *Carnioliæ.*

Antennæ mari leniter pectinatæ, fæm. ſetaceæ. Strigæ incerto numero, nempe (2-4). Sub alis poſticis punctum ſtrigis concolor, baſim verſus.

568. Phalæna *Limitata.*

— *long.* lin. 8 *lat.* 5¾.

Conf. *Ph.Proſapiariam.*Linn.Faun. Svec.2. 1252.

Diagn. Alæ ferrugineæ: anticæ ſupra faſcia lata nigro puncto ſignata, limboque cervinis.

In pratis noſtris, etiam ſubalpinis.

Mas pectinicornis. Alæ anticæ venis limbi nigris, lineolas (5-6) æque diſſitas parallelas præſeferentibus. Occurrit etiam alis iiſdem ſupra cervinis; faſciis binis, ferrugineis. Alæ poſticæ ſtrigis repandis limboque obſcurioribus. Sub alis anticis faſcia nulla, limbus obſcurior, punctumque fuſcum in diſco.

569. Phalæna *Pennata.*

— *long.* lin. 6¼. *lat.* 4⅔.

Diagn. Antennæ amplæ, deflexæ, ubique pectinatæ: pectinibus piloſis. Alæ pallide-ferrugineæ; faſciis obſoletis lineolisque plurimis confluentibus nebuloſæ.

Inter *Quercus* & *Corylos.*

Alarum fimbria albida obſcurioribus punctis variegata. Anticæ utrinque limbo obſcuriore. Antennæ fuſcæ: rachi pallidiore. Alæ poſticæ utrinque faſciis tribus obſcurioribus.

570. Phalæna *Spataceata.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 4.

Diagn. Alæ oſſeæ; ſtrigis transverſis obſcurioribus repandis obſoletis, puncto nigro utrinque notatis.

In agro *Labacenſi.*

Seticornis, ſi lente obſervetur, punctulis raris nigris hinc inde adſperſa videtur, ad margines alarum puncta nigra. Alæ ſubtus pallidiores: anticæ ſtrigis obſoletis fuſcis binis faſciatæ; poſticæ unica.

571. Phalæna *Alpinata.*

— *long.* lin. 5¾. *lat.* 3½.

Diagn. Fuſco-cervina; thorace capiteque nigricantibus tomentoſis.

In

In ſummis herbidisque cacuminibus alpium *Vochinenſium*, *Carnioliæ ſuper.* abunde.

Hæc alas non penitus expandit, lente volat, ſeticornis.

572. Phalæna *Murinata.*

— *long.* lin. 4½. *lat.* 3.

Diagn. Murina tota, absque maculis faſciisque.

Circa *Labacum.*

Seticornis, pulchella, oculis fuſcis.

573. Phalæna *Rivulata.*

— *long.* lin. 5½ *lat.* 3.

Diagn. Alba; alis anticis rivulis ferrugineis, poſticis faſcia ſtrigisque duabus transverſis fuſcis; omnibus ſtriga marginali utrinque ferruginea.

Copioſa apud nos in pratis, poſt primum fœniſecium.

Habitus *Pyralis*, ſed alæ ſedentis expanſæ *Geometram* indicant. Alarum primorum rivuli ita ſunt conſtituti ut tres albas inſulas in diſco efficiant; harum pagina inferior rivos fuſcos gerit, aut ſi velis, fuſca eſt, maculis 4 in diſco niveis, octo in limbo in unam ſeriem ordinatis. Alæ poſticæ faſcia limbi plerumque poſtico latere dentata, hujus lineæ nigricantes repandæ non attingunt marginem alæ oppoſitum; macula ferruginea impoſita lineæ poſticæ, in medio alæ. Corpus album, antennis ſetaceis. Pedes poſtici alis longiores.

Variat, alis omnibus etiam ſubtus albis, rivis obſcurioribus, alisque poſticis absque macula media ferruginea.

574. Phalæna *Litterata.*

— *long.* lin. 4½. *lat.* 2½.

Diagn. Alæ cervinæ: anticæ linea transverſa poſtica, alia antica, hisque interjecta littera (V), albis; poſticæ faſciis binis anguſtis albis.

Habitat cum priore, copioſa pariter.

Linea alarum anticarum ad baſim, ſubtus elota, ibidemque maculæ duæ albæ contiguæ loco litteræ (V). Conſtantes ſunt in omnibus. 1. Color cervinus, 2. Alba linea transverſa poſtica utrinque

in alis primoribus. 3. Faſciolæ duæ albæ alarum poſticarum utrinque, quarum poſtica arcuata naſcitur e medio marginis externi & deſinit in margine ſuperiore intervallo lineæ unius ab apice.

575. Phalæna *Lævigata.*

— *long.* lin. 4. *lat.* 2⅓.

Diagn. Cinereo-murina; alis ſubdentatis: denticulis puncto nigro notatis; anticis ſtrigis punctatis duabus nigris.

In arbuſtis.

Strigæ dictæ fiunt punctis nigricantibus approximatis. Alæ poſticæ binis obſcurioribus ſtrigis in medio faſciatæ, quas inter punctulum fuſcum. Alæ omnes ſubtus concolores ſubmurinæ, ſtriga punctata obſoleta, punctoque fuſco.

576. Phalæna *Inquinata.*

— *long.* lin. 4. *lat.* 2⅓

Diagn. Tota pallide ferruginea; alis omnibus ſupra faſciis bilineatis fuſceſcentibus, ſubtus immaculatis.

In pratis, non frequens.

Seticornis, ut prior. Alis margine externo fuſco-punctato: anticis bifaſciatis: faſciis bilineatis; harum poſticæ linea extima dentata, anticæ vero lineæ, ut ſerpens in Mercurii baculo, convolutis ita, ut duos annulos efficiant. Alæ poſticæ faſcia una bilinearis: linea poſtica dentata; linea alia antica obſoleta loco faſciæ ſecundæ.

577. Phalæna *Tenebrata.*

— *long.* lin. 4½. *lat.* 3.

Diagn. Fuſceſcentes; alis anticis ſubtus macula flava; poſticis utrinque faſcia flava.

In montanis *Carnioliæ.*

Seticornis & ſemigeometra, ſeu alis ſemipatulis, nec tamen *Tortrix.* Alæ anticæ lineola alba prope apicem in margine craſſiore, binisque ſimilibus in fimbria terminali. Alæ poſticæ albida fimbria terminatæ, ſubtus potiſſimum anticæ flavæ; limbo fuſço; ſuperne nigricantes; faſcia flava non attingente marginem inferiorem.

Variat

Variat lineolis alarum ſuper. flaveſcentibus, aliſque ſubtus flavo polline adſperſis.

578. Phalæna *Signata.*

— *long.* lin. 5. *lat.* 3½.

Diagn. Albida; alis anticis ſupra ſtrigis duabus obſoletis fuſceſcentibus, punctoque nigro utrinque.

In ſylvis.

Seticornis; alis poſticis ſubtus puncto fuſco ſignatis.

579. Phalæna *Deſpicata.*

— *long.* lin. 4½. *lat.* 2½.

Diagn. Alæ cervinæ aut murinæ: anticæ faſcia poſtica maculiſque binis marginalibus, poſticæ faſciis binis ferrugineis.

In incultis, ſiccis, neglectiſque locis.

Diagnoſis data colores alarum ſupernos indicat, faſciis maculiſque ſemper obſoletis. Alæ poſticæ ſubtus ferrugineæ: faſcia media punctoque baſeos murinis. Margo quoque ſingulæ alæ externus, præſertim ſubtus, punctulis obſcurioribus variegatus.

580. Phalæna *Nigrata.*

— *long.* lin. 3½. *lat.* 2.

Diagn. Fuſca; alis omnibus fimbria faſciaque albis: anticis punctis binis albis.

In diſtrictu *Idrienſi*, non frequens.

Faſcia ſub alis poſticis interrupta, puncto in eadem pagina maculaque antica inferiori margini impoſita, albis. Poſticæ alæ macula ad baſim alba ſubtus notatæ. Tibiæ pallidæ.

581. Phalæna *Æthiopata.*

— *long.* lin. 4. *lat.* 2¼.

Diagn. Nigra; alis omnibus utrinque faſcia albida.

In herbidis ſubſylveſtribus.

Cum *Albicillata* Linn. *Faun Svec.* confundi nequit, juxta datam deſcriptionem. Noſtræ enim alæ ſuper. totæ nigræ ſunt, ut & poſteriores, quæ

puncto centrali & arcu fuſco carent ; faſcia quoque in noſtris anguſta nimis , quam ut latiſſima diceretur.

582. Phalæna *Obfuſcata.*

— *long.* lin. 3. *lat.* 2.

Diagn. Fuſco-nigra ; Alis omnibus alba fimbria, maculaque flava.

In calidiore *Carniolia.*

Alæ anticæ margo inferior ſubtus albus.

III. *Tortrices.* (†)

583. Phalæna *Podana.*

— *long.* lin. 5½. *lat.* 3.

Diagn. Alæ ochreaceæ : anticæ cinnamomeæ : atomis ſtrigaque media fuſceſcentibus , apice caudatis.

Habitat in *Rhododendro ferrugin.* cujus dura folia cum torquere non poſſit, filis unit , metamorphorſin ſubitura.

Alæ poſticæ latere abdomen ſpectante fuſco. Corpus ſupra alis anticis concolor, ſubtus ochreaceum. Lingua nulla.

Larva albida , capite caſtaneo lucido. Pupa fuſca glabra.

543. Phalæna *Bergmanniana.*

— *long.* lin. 3½. *lat.* 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 531.

Faun. Svec. 2. 1324.

Diagn. Alæ anticæ flavæ: nodulis binis, faſciisque (4) argenteis: margine fuſco-ferrugineo.

Habitat in *Roſa hortenſi* frequens, ſed nunquam in nemoribus.

Roſana

(†) *Tortricum* alæ anticæ margo exterior totus curvus . eædemque ſemper & inſigniter deflexæ. Palpi clavati , breves , obtuſiſſimi : articulo ultimo tenui, pilis alterius, cui inſidet vix longiore.

Roſana. Cel. Linn. non eſt. *Bergmannianæ* deſcriptio huic etiam convenit. Alæ anticæ ſupra flavæ; nodulis binis parvis in medio, quorum unus nigricans. In ſingulis alis hiſce faſciæ argenteæ: margine fuſco-ferrugineo, quatuor: tertia bifida. Palpi, caput, thorax colore alarum ſuperiorum. Oculi nigri. Antennæ ſupra flavæ, ſubtus obſcuriores. Alæ anticæ ſubtus flavicantes: faſciis fuſcis; poſticæ utrinque pallide fuſcæ.

Larva albida, agilis, capite nigro, linea prope caput transverſa nigra, pedibus pectoralibus fuſcis, poſtice pallidior.

585. Phalæna *Rubiana.*

— *long.* lin. 4¼. *lat.* 2⅓.

Diagn. Alæ fuſceſcentes: anticæ ſupra cineraſcentes: macula communi poſtica ſubovata brunea, macula apicis punctisque tribus poſticis craſſiori margini impoſitis bruneis.

Habitat in *Rubo fruticoſo.*

T *Uddmanniana*, & *Alſtrömiana* Linn. quasdam notulas cum noſtra communes habent, an vero alterutra vere noſtra, valde dubito. Metamorphoſim ſubitura, ſumma folia complicat in nodum, indeque prodiit mihi 19. Iunii, antennis corpore duplo brevioribus, palpis clavatis, alis poſticis fimbria pallidiore, anticis baſi & apice obſcurioribus, macula communi margine albido cincta.

586. Phalæna *Faſciana.*

— *long.* lin. 4. *lat.* 2½.

Linn. Faun. Svec. 2. 1304.

Diagn. Alæ anticæ ſupra fuſco glaucoque variæ: faſcia lata albida poſtica.

Habitat in *Pomis*, quorum folia convolvit.

Alas cineraſcentes habet Linn. quæ tamen revera glauco-cæruleæ ſunt punctisque fuſcis aut nigris nebuloſæ, margo alæ poſticus fuſceſcens, faſcia alba ſumma latitudine, quæ eſt in margine alæ craſſiore, æquat latitudinem paginæ proximæ glauco-fuſcæ, eodemque in margine punctis fuſcis (4) notata. Alæ poſticæ utrinque ſubcinereæ. Tibiæ faſciæ concolores, fuſco-annulatæ.

587. PHALÆNA *Solandriana.*

— *long.* lin. 5. *lat.* 2½.

LINN. Syſt. Nat. p. 532.

Faun. Svec. 2. 1327.

Diagn. Macula media, communis, ovata, alterius coloris; alæ anticæ margo craſſior apicem verſus fuſco-punctatus.

Cum ſim in multiplicandis, absque ſumma neceſſitate, ſpeciebus, certe non facilis, ita ex ſitu maculæ communis, *Phalænæ* huic uni propriæ, *Solandrianam* LINNÆI facio, quidquid alas pallidas & maculam ferrugineam ſuæ tribuat Ill. Eques. Et nihil novi eſt variare colores in eadem ſpecie; noſtra enim 1. alis anticis nigro-cinereoque nebuloſis: baſi ferrugineis & fuſco punctatis, macula cineraſcente; 2. ferrugineo-fuſcoque nebuloſis, macula pallide ſtraminea; 3. murinis atomisque fuſcis, macula media albida.

588. PHALÆNA *Cervana.*

— *long.* lin. 5. *lat.* 2½.

Diagn. Alæ anticæ cervinæ; limbo ferrugineo & fuſco-punctato; faſcia fuſceſcente punctisque (3-4) glaucis variegata.

In Ericetis.

Ala eadem inter faſciam & baſim pallidior. Lineolæ duæ fuſcæ in limbo parallelæ longitudinales, punctaque tria fuſca in margine exteriore verſum apicem collocata.

589. PHALÆNA *Lambergiana.*

— *long.* lin. 4. *lat.* 2½.

Diagn. Alæ anticæ corticinæ; ſtrigis transverſis punctisque quatuor plumbeis.

Circa *Idriam* non rara.

Ala antica baſi linea media longitudinali parva, aliaque ibidem marginali, e cujus apice brevior alia transverſa naſcitur, his ſuccedit ſtriga transverſa prima, a qua intervallo lin. 1½ diſtat ſecunda interrupta, angulum alæ poſticum una extremitate reſpiciens ſed non attingens; ſtrigæ cætera binæ poſticæ ſunt, una in limbo, altera in apice. Inter ſtrigam primam & interruptam ſecundam eſt macula ob-

oblonga parva nigra tria puncta plumbea fovens; prope hanc maculam eſt lineola ablida alæ medium occupans, longitudinalis, poſtice bifida. Alæ fimbria fuſco-plumbea. Confer. *Phal. Arcuanam* LINN. *Faun. Svec.* 2. 1317. huic ſimilem.

Nomen impoſui in honorem Ill. & Remi. D. D. *Caroli* S. R. J. *Comitis* à LAMBERG, p. m. Inſectorum olim amantiſſimi, cujus benevolentiæ collectio noſtra ſua debet incrementa.

590. PHALÆNA *Wulfeniana.*

— *long.* lin. 3. *lat.* 1½.

Diagn. Nigricans, alis anticis plumbeo-punctatis; ſubtus puncto albo, quo poſticæ utrinque notatæ.

In ſylveſtribus, circa *Idriam.*

Alæ anticæ margo inferior, baſim verſus, albidus, puncto albo ſubtus prope marginem craſſiorem, diſtantia lineæ unius ab apice. Tibiæ anticæ albo annulatæ.

A. R. P. *Franc. Xav.* WULFEN è S. J. ut omnium rerum naturalium, ita & Inſectorum amantiſſimus, horum quoque ſpecimina quædam & icones nonnullas, una cum optimis deſcriptionibus, communicavit.

591. PHALÆNA *Rufana.*

— *long.* lin. 4½. *lat.* 2½.

Diagn. Alæ anticæ ferrugineæ, glauco-punctatæ.

In Salicetis, Majo M.

Puncta glauca numeroſa, eaque poſtice quaſi in ſtrigas transverſas ordinata.

592. PHALÆNA *Plumbana.*

— *long.* lin. 3. *lat.* ½.

Diagn. Alæ anticæ baſi fuſceſcentes; poſticæ ferrugineæ, lituris transverſis hamatis plumbeis, punctisque (2-3) nigris marginalibus ad angulum poſticum.

In herbidis.

Palpi potiſſimum, lamella obtuſa clavati, ſeparant a *Tineis*, a quibus alias ægerrime diſtingueretur. Alæ ſuperiores antice fuſceſcentes, punctisque ferrugineis nebuloſæ; fimbria ejuſdem alæ plumbea

bea pariter, ſed paulo obſcurior, quam ſtrigæ, quarum hami oppoſiti.

593. Phalæna *Ruſticana.*

— *long.* 4. lin. *lat.* 2.

Diagn. Alæ anticæ caneſcentes; maculis obſoletis faſciaque pallide caffeatis.

Circa tuguria & poſſeſſiones Ruſticorum.

Ad baſim alæ maculæ dictæ duæ, faſcia in medio, maculæ tres poſticæ, puncta (4) poſtica craſſiori margini impoſita. Pectus argenteum. Tibiæ pallide fuſco-annulatæ.

594. Phalæna *Miſcellana.*

— *long.* lin. 4. *lat.* 2.

Diagn. Alæ anticæ cervinæ fuſco-punctatæ; ſtriis transverſis interruptis plumbeis, faſciaque media fuſceſcente: plumbeo puncto notata.

In nemoribus, hortis, pomariis, Majo M.

Miſcella colorum fere indiſtinguibilium. Strigæ plumbeæ ſæpius abruptæ (5-6). Color alæ cervinus equidem ſed leniter etiam ferrugineus. Puncta fuſca (4), poſtica, in margine craſſiore. Caput inter antennas cervino — ferrugineis villis tomentoſum. Tibiæ fuſco-annulatæ.

595. Phalæna *Montana.*

— *long.* lin. 3. *lat.* $\frac{1}{2}$.

Diagn. Alæ anticæ fuſcæ, macula communi media margineque craſſiore poſtice ferrugineis; ſtrigis binis poſticis obliquis fimbriaque plumbeis.

In montanis *Carnioliæ.*

Margo alæ ubi ferrugineus, ibi & fuſco-punctatus. Abdomen nigrum.

596. Phalæna *Cana.*

— *long.* lin. 6. *lat.* 3.

Diagn. Alæ anticæ caneſcentes; fronte atomisque cervinis.

Inter *Corylos.*

Alæ ſuper. punctis cervinis vagis variegatæ. Pectoris latera & femora antica ſubtus ſubargentea.

597. PHALÆNA *Pedana.*

— *long.* lin. 5. *lat.* lin. 2½.

Diagn. Alæ anticæ cinereo-fuſcoque nebuloſæ: apice ſtriis obliquis ferrugineis.

Inter frutices.

Striæ poſticæ ſubquaternæ, una cum fimbria, ferrugineæ. Puncta (5) caſtanea in margine craſſiore verſus apicem. Pedes ſubargentei: poſtici longi & craſſi. Pectoris latera argentea. Tibiæ annulis nigricantibus,

598. PHALÆNA *Umbriana.*

— *long.* lin. 4. *lat.* 2.

Diagn. Umbrina; alis anticis cinereis faſcia punctisque marginalibus fuſceſcentibus.

In pratis.

Margo craſſior, alæ ſuperioris, poſticæ albofuſcoque punctatus. Fimbriæ margo albidus.

599. PHALÆNA *Formoſana.*

— *long.* lin. 4. *lat.* 2.

Diagn. Alæ anticæ nigro-corticinoque variæ: ſtrigis tribus ſubmarginalibus obliquis plumbeis, punctisque albis marginalibus (8).

Circa *Idriam* reperta, in pomariis.

Color prævalens niger, corticino variegatus. Strigæ non attingunt marginem alæ craſſiorem, cui proximæ; harum poſtica oritur e quintæ puncto albo (ab apice ſurſum numerando) & definit in margine alæ fimbriato lineæ fere diſtantia ab apice. In limbo ejuſdem alæ puncta tria plumbea: binis ſubmarginalibus. Inter bina puncta ex hiſce ſunt duæ parvæ parallelæ corticinæ lineolæ. Fimbria nigra, punctis tribus corticinis variegata.

600. PHALÆNA *Rivulana.*

— *long.* lin. 4 *lat.* 2.

Diagn. Alæ anticæ murinæ; faſcia rivulisque poſticis, albidis.

In ſylvis.

Faſcia

Faſcia antica & rivuli fiunt lineis binis. Rivi ita ſiti, ut duas inſulas murinas faciant, nempe unam ſubovatam inferiorique margini alæ ejuſdem impoſita, alteram ſubconicam obliquam duplo longiorem: convergente apice angulo poſtico proximo. In margine craſſiore puncta murina (4) verſus apicem poſita. Alæ poſticæ utrinque pallidæ; anticæ ſubtus fuſcæ.

601. PHALÆNA *Gramineana.*

— *long.* lin. 3½. *lat.* 1¾.

Diagn. Alæ anticæ atomis faſciisque binis obſoletis fuſceſcentibus.

In herbidis collibus.

Faſciæ undulatæ, non attingunt marginem alæ oppoſitum. Pectus & femora argenteis ſquamulis adſperſa.

602. PHALÆNA *Capillitiana.*

—. *long.* lin. 4. *lat.* 2.

Diagn. Alæ anticæ ſubferrugineæ; punctis marginalibus capite palpiſque albidis.

In ſylveſtribus locis.

Ratio nominis ex denſo pilorum capillitio capiti impoſito. Oculi nigri. Alæ anticæ ſubtus fuſcæ; poſticæ utrinque pallide fuſcæ. Pectus argenteum.

603. PHALÆNA *Oſſeana.*

— *long.* lin. 3½. *lat.* 1½

Diagn. Alæ anticæ oſſeæ; atomis fuſcis, punctoque apicis fuſceſcente.

In herbidis.

Palpi, caput, colore alarum ſuperiorum, ut & thorax tibiæque. In medio ejuſdem alæ, puncta duo obſoleta fuſca. Oculi nigri.

604. PHALÆNA *Pyraliana.*

— *long.* lin. 3. *lat.* 1½.

Diagn. Alæ anticæ ferrugineæ; limbo obſcuriore, faſciiſque binis fuſcis.

In ſylvis.

Pyrali proxima ob alas obliquius poſtice truncatas ac in omnibus aliis enumeratis. Palpi

etiam

etiam articulus ultimus, alterius pilis paulo longior eſt.

IV. *Pyrales* (†).

(a) *Palpis recurvatis.*

605. Phalæna *Barbalis.*

— *long.* lin. 6¼.

Linn. Faun. Svec. 2. 1345.

Diagn. Alæ omnes utrinque cineraſcentes; atomis ſtrigisque tribus. Antennæ ſubpectinatæ. Femora antica barbata.

Circa *Labacum.*

Palpi lin. 2. longi. Oculi fuſci. Margo alæ anticæ fuſco-punctatus. Alæ poſticæ ſtriga limbi unica, ſubtus pallidiores.

606. Phalæna *Proboſcidalis.*

— *long.* lin. 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 533.

Faun. Svec. 2. 1346.

Diagn. Alæ anticæ ſupra cinereæ; faſciis tribus fuſcis: margine utrinque ferrugineo; poſtica in alæ apice deſinente. Antennæ ſubpectinatæ.

In *Carniolia* non rara.

Palpi ſubrecurvati, fuſci, lineam longi. Alæ ſuper fimbria ferruginea. Alæ poſticæ fuſceſcentes: limbo obſcuriore; ſubtus ſtriga obſoleta fuſceſcente.

607. Phalæna *Anthracinalis.*

— *long.* lin. 6½.

Diagn. Tota nigra; alis anticis albo-maculatis. Antennæ mari pectinatæ.

Circa

(†) Alæ leniter deflexæ, quarum latitudo ſumma eſt dimidia longitudinis; ab hoc autem puncto ducatur linea recta ad angulum poſticum, aliaque oppoſita ab angulo poſtico ad apicem, ſic triangulum rectum aut quaſi rectum exſurget.

Circa torrentes, hinc forte in *Salicibus.*

Mas. Antennæ pectinatæ, (4) lin: longæ; rachi alba nigro-annulata; pectinibus capillaceis fuſcis piloſis ſub antennis pili flavi, poſt antennas faſciculus pilorum flavorum utrinque. Palpi barbati, articulo ultimo recurvato, nec barbato, tenui. Alæ anticæ maculis niveis (10), punctisque niveis poſticis (4); fimbria anticarum nigricante: punctis binis albis, poſticarum albida. Alæ poſticæ ſubtus macula alba media. Pedes nigri, tibiis albo-annulatis.

Fæmina. Antennæ ſetaceæ. Caput totum nigrum; cæterum alia omnia, ut in mare.

608. PHALÆNA *Farinalis.*

— *long.* lin. $5\frac{1}{2}$.

LINN. Syſt. Nat. p. 533.
Faun. Svec. 2. 1348.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 94.

Diagn. Alæ anticæ baſi & limbo caryophyllinis, media parte pallide cervina; marginibus repandis albidis.

Habitat in farina.

Talis certe noſtra, qualem deſcripſi, parte media nunquam glauca; quandoque tamen loco coloris caryophyllini eſt fuſco-ferrugineus, qualis etiam in alæ apice ſubtus. Vidi & in uno ſexu antennas ſubpectinatas. Alæ poſticæ, ſubtus ſaltem albidæ, punctis fuſcis marginalibus.

609. PHALÆNA *Citrinalis.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Alæ citrinæ: poſticæ pallidiores immaculatæ; anticæ faſcia ſubmarginali & cratere ſanguineo reticulatæ.

Inveni circa *Idriam*, in *Roſenberg.* 4. Junii.

Palpi lin. $1\frac{1}{2}$. longi. Oculi nigri. Antennæ ſetaceæ. Nullæ maculæ ſub alis anticis. Alæ anticæ lineolis depreſſis poſtice ſtriatæ.

610. PHALÆNA *Trabealis.*

— *long.* lin. $4\frac{1}{2}$.

Diagn. Alæ anticæ paleaceæ; faſciis binis, trabe longitudinali maculiſque (5) nigris.

Labaco

Labaco mortuam & expanſam accepi, incertus ideo an vere *Pyralis*, quod ſuadent palpi, & alarum figura.

Margo alæ ſuper. niger, faſciæ in limbo poſitæ ſubundulatæ, trabs margini inferiori parallela, maculæ tres ſuperiori margini adnatæ, palpi breves, alæ anticæ ſubtus fuſceſcentes: margine paleaceo; poſticæ ſupra fuſceſcentes; ſubtus pallidiores: litura transverſa punctoque medio fuſcis.

611. Phalæna *Criſtalis*.

— *long.* lin. 3⅓.

Diagn. Alæ fuſcæ: anticæ ſupra ferrugineo-fuſcoque nebuloſæ, criſtula nigricante in medio notatæ.

Circa *Idriam.*

Palpi lin. 1⅓ longi. Fimbria alis poſticis concolor. Alæ ſubtus politæ.

Larva nuda, de cauda pendens, fulva cum partui proxima.

612. Phalæna *Lunalis*.

— *long.* lin. 6½.

Diagn. Alæ cervinæ: anticæ ſtrigis tribus obſoletis lunulaque fuſcis.

Labaci degit.

Palpi lin. 2 longi. Antennæ ſetaceæ. Alæ omnes utrinque lineola lunulata fuſca, plus minusve conſpicua in medio notatæ.

613. Phalæna *Viminalis*.

— *long.* lin. 5.

Diagn. Alæ murinæ; faſcia obſcuriore utrinque.

Habitat in, aut circa *Salicem viminalem.*

Palpi vix lineam longi. Alæ anticæ limbo obſcuriore: poſticæ ſubtus faſcia punctoque fuſcis.

(b) *Palpis porrectis.*

614. Phalæna *Extimalis*.

— *long.* lin. 5.

Diagn. Alba; alis anticis apice ferrugineis.

In agro *Labacenſi.*

Oculi brunei. Alæ anticæ ſubtus etiam apice maculisque binis marginalibus ferrugineis; poſticæ margine utrinque punctis ferrugineis.

615. PHALÆNA *Sericealis.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Tota ſuboſſea ſed ſerici in modum nitens; alis anticis macula obſoleta fuſceſcente.

Habitat cum priore.

Oculi fuſci.

616. PHALÆNA *Ruralis.*

— *long.* lin. 7.

Diagn. Alæ paleaceæ; ſtrigis transverſis, undulatis, obſoletis, fuſcis.

Ruri degit, non rara.

Alæ anticæ ſupra ſtrigis tribus, ſubtus limbo fuſceſcente; poſticæ utrinque ſtriga una & faſcia limbi obſoletis fuſcis. Oculi brunei. Corpus alis concolor. Pedes albidi. Variat ſtrigis manifeſtis dentatisque.

617. PHALÆNA *Trivialis.*

— *long.* lin. 6.

Diagn. Alæ paleaceæ: anticæ ſupra faſcia lineis tribus obſcurioribus compoſita, ab alæ margine inferiore nata & in apicem deſinente.

Vulgaris apud nos, in hortis, & pratis.

Supra hanc faſciam ſunt etiam ſtrigulæ duæ eidem parallelæ & concolores, alæ medium occupantes, neutrum vero marginem attingentes. Linea fuſca in margine alarum omnium externo utrinque. Alæ poſticæ utrinque punctorum obſoletorum & fuſceſcentium ſerie transverſa prope limbum; punctoque alio ſimili ſubtus prope baſim.

618. PHALÆNA *Nemoralis.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Alæ anticæ baſi oſſeæ; venulis paleaceis reticulatæ; limbo paleaceo; parte intermedia vinaceæ; margine externo repando.

In nemoribus frigidis, umbroſis.

Ala-

Alarum media pars obſcuriore repandaque linea utrinque dividitur a coloribus baſeos & limbi, ut in *Ph. Farinali*, & maculam obſoletam limbo concolorem in medio, verſus marginem craſſiorem habet, ejuſdem color dictus poſtice dilutior eſt. Margo externus repandus, & quaſi dente in medio inſtructus, huic uni proprius; idem terminatus fimbria albo & paleaceo varia. Eadem ala ſubtus ſubpaleacea, ſtriga fuſceſcente undulata abrupta. Poſticæ alæ utrinque colore paginæ inferioris alarum ſuperiorum, ſtrigaque undulata poſtica fuſca faſciatæ.

619. Phalæna *Majalis.*

— *long* lin. 4.

Diagn. Alæ anticæ ſupra albæ;. faſciis tribus, interruptis, fuſceſcentibus. Pectus pedesque argentei; tibiis fuſco-annulatis.

In pratis Majo M.

Hæſitavi an *Tineis* adnumerarem, ſed palpi & alæ removent a conſortio *Tinearum* & *Tortricium*. Huic, ut aliis non paucis hujus ordinis, palporum paria duo: antico albo & minore, inferiore vero nigricante & longiore. Alæ anticæ ſubtus fuſceſcentes; poſticæ utrinque albidæ: limbo obſcuriore, ſubtus ſtriga fuſceſcente faſciato.

V. *Tineæ* (†).

(a) *Alis convolutis.*

620. Phalæna *Perlella.*

— *long.* lin. 6.

Diagn. Alæ ſupra eodem prorſus, quo perla, colore fulgidæ; ſubtus fuſceſcentes.

(†) *Alæ* reverſæ: margine interno longius fimbriato, præſertim ad angulum poſticum, latitudine minus dimidia longitudinis parte. *Tinearum* copia, parvitas, pulchritudo ſtupenda, ut in his potiſſimum Natura theſauros ſuos effudiſſe videatur, tantaque in minimis hiſce ma-

In pratis, Majo M., non rara.

Palpi porrecti, leniter deflexi, lin. $1\frac{1}{2}$ longi. Femora antica, ſubtus fuſca.

621. Phalæna *Paſcuella.*

— *long.* lin. 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 535.
Faun. Svec. 2. 1367. ſic mihi videtur.

Diagn. Alæ anticæ pallide aurantiæ; linea alba longitudinali, a baſi fere ad limbum uſque producta, utrinque acuminata, inferiore latere dente in medio inſtructa; linea limbi transverſa, aliaque marginali argenteis: area his interjecta cinerea; apice introrſum plicato.

In pratis.

Aurantius alæ color prope lineam argenteam limbi evidentior. Maculæ duæ albæ oblongæ inter limbum & apicem lineæ longitudinalis, quibus maculis interjacet lineola argentea. Inter marginem inferiorem & maculam albam lineolæ parallelæ tres argenteæ jacent. Margo alæ ſinu excavatus, ad apicem inflexum; ad marginem eundem puncta (5) nigra; fimbria argentea inflexa. Pagina plicati apicis binis maculis albis lateralibus prædita. Ala antica ſubtus fuſca, margine pallidiore punctisque (5) nigris notato. Alæ poſticæ utrinque fuſceſcentes: fimbria lucidiore. Palpi porrecti, fuſceſcentes, lineam longi.

622. Phalæna *Pinetella.*

— *long.* lin. 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 539. Pinella.
Faun. Svec. 2. 1368.

Diagn. Alæ anticæ ut in priore; ſed alba pyramide longitudinali faſciis binis colore alæ interrupta.

In gramineis.

Dor-

---

majeſtas, ut admirari potius eam liceat, quam aptis verbis indicare.

Dorſum, caput, palpi ſupra, albi coloris, ut & corpus ſubtus femoraque. Tibiæ alis concolores. Puncta marginalia nigra plicis interjecta, in alis anticis.

623. PHALÆNA *Semirubella.*

— *long.* lin. 6.

Diagn. Alæ anticæ vinaceæ, ſemipaleaceæ.

Habitat cum priore.

Alæ ſuperiores dimidia interna parte longitudinaliter paleaceæ. Palpi ſurrecti. Thorax paleaceus: latere vinoſus.

624. PHALÆNA *Roſella.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Alæ anticæ albæ, ſemiroſeæ. Occiput aureum.

In herbidis collibus, rarior.

Palpi ſurrecti. Alarum margo utrinque nigricante linea ſignatus. Alæ fuſcæ: anticæ dimidia interna pagina longitudinaliter alba, altera roſea.

625. PHALÆNA *Viduella.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Alæ anticæ albæ; linea fuſca, a baſi ad apicem prope marginem craſſiorem decurrente.

In ſylvis, rarior & ſolitaria.

Oculi nigri. Antennæ ſupra albæ, ſubtus fuſcæ. Caput cum thorace album. Alæ anticæ punctis binis nigris prope lineam fuſcam, ſeniſque minoribus in margine externo. Alæ poſticæ utrinque fuſceſcentes.

626. PHALÆNA *Fuſcella.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Alæ caneſcentes, fuſco-punctatæ.

In montanis noſtris, paſſim.

Tota unicolor, ſubcaneſcens, punctulis copioſis fuſcis nebuloſa.

627. Phalæna *Craterella.*

— *long.* lin. 5¼.

Diagn. Alæ anticæ albidæ; lineis longitudinalibus octo binisque transverſis ferrugineis.

In Gramine.

Palpi porrecti lin. 1½ longi; fimbria alæ ſuper. argentea.

628. Phalæna *Chryſonuchella.*

— *long.* lin. 5¼.

Diagn. Alæ albidæ; margine craſſiore, punctulis ſparſis, ſtrigisque binis transverſis fuſceſcentibus.

In pratis.

Differt a priore, occipite fulvo, alis fuſcopunctatis, exterius ad marginem craſſiorem fuſceſcentibus, ſtriga poſtica arcuata, antica obſoleta. Cæterum & huic palpi lin. 1½ longi, alarumque ſuperiorum fimbria argentea.

629. Phalæna *Virginella.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Pallida tota & albicans; alis anticis maculis duabus albiſſimis: anteriore conica, poſteriore quadrata.

In nemoribus.

Maculæ albæ ut in *Ph. Pinetella*, ſed colores alii, & linea nulla alba marginalis ſub macula tetragona.

630. Phalæna *Culmella.*

— *long.* lin. 4½.

Linn. Faun. Svec. 2. 1370.

Diagn. Albida tota & immaculata; alis poſticis fimbria argentea; oculis nigris.

In agro *Labacenſi.*

Subtus paulo obſcurior, quam ſupra. Alæ anticæ margo exterior punctis nigris notatus.

631. Phalæna *Evonymella.*

— *long.* lin. 5¼.

Linn. Syſt. Nat. p. 534.
Faun. Svec. 2. 1363.

Roe-

Roesel. Papil. Noct. Cl. IV. Tab. 8. fig. 4. 5.

Diagn. Alæ anticæ ſupra albæ; punctis nigris ad (27).

Habitat in *Evonymo vulgari.*

Antennæ albæ, ſubtus nigro-punctatæ. Palpi, pedes, caput, thorax, pariter alba. Thorax punctis binis nigris, valvulis puncto nigro notatis. Puncta nigra in ſingulis alis anticis (23-27): marginalibus minoribus magisque contiguis. Alæ eædem ſubtus fimbria margineque toto albis, alibi fuſcæ; poſticæ utrinque fuſcæ, fimbria alba.

Larva pallide lutea, puncto nigro laterali in quolibet annulo, capite nigro: pedibus pectoralibus ſeminigris. Harum plures habitant in ſocietate ſub communi tentorio, e quo, conſumptis viciniis foliis emigrant & in ſuperioribus ramis, aliud nent. Folliculos ſæpius parallelos conſtruunt intra tentorium.

632. Phalæna *Padella.*

— *long.* lin. 4½.

Linn. Syſt. Nat. p. 535.
Faun. Svec. 2. 1364.

Diagn. Similis priori, ſed diverſa 1. punctis paucioribus, nec ultra (20); 2. alis anticis minus albis, ſubtus ubique fuſcis; 3. alis poſticis utrinque fuſcis totis.

Habitat in pomiferis arboribus.

633. Phalæna *Cornutella.*

— *long.* lin. 5½.

Diagn. Tota oſſea & polita; palpis erectis.

In pratis.

Oculi fuſci. Palpi lineam longi, erecti, duo cornua referunt.

634. Phalæna *Niſella.*

— *long.* lin. 4¼.

Linn. Faun. Svec. 2. 1377.

Diagn. Alæ anticæ caneſcentes; macula communi, ovata, nigricante.

In ſylvis.

Puncta (4) fuſca in margine craſſiore poſtice ſita, quinto majore apicem occupante. Macula communis nigricans: margine eroſo.

635. Phalæna *Marginella.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Pallide caryophyllina; alis anticis margine craſſiore pallidiore punctisque (6-7) caryophyllinis variegato, fimbria ſubargentea.

In pomariis, circa *Idriam*, Majo M.

Palpi pallidi, articulo ultimo alis concolore.

(**) *Alis planiuſculis.*

636. Phalæna *Palliatella.*

— *long.* lin. 7.

Diagn. Oſſea tota; alis impoſitis; oculis nigris.

In nemoribus noſtris, non rara.

Alæ anticæ una, in hac ſpecie, ſupra alteram poſita, quo ſitu alarum convexa fit pars ſuperior animalis. Alæ poſticæ plicis duabus. Lingua ferruginea. Abdomen alis brevius.

637. Phalæna *Cervinella.*

— *long.* lin. 5½.

Diagn. Alæ cervinæ: anticæ punctis poſticis nigris (4) in margine craſſiore, (7) in exteriore. Corpus ſubtus ſubargenteum.

In pratis, Junio M.

Oculi fuſci.

638. Phalæna *Forficella.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Alæ anticæ fuſco-ferrugineæ; capite, ſtriga a baſi ad angulum poſticum extenſa, maculaque obliqua poſtica marginis craſſioris, ſubaurei coloris.

In ſylvis.

Alarum ſitus ut in *Pyrali*, ſed character *Tineæ*. Oculi nigri. Alæ poſticæ totæ, anticæ ſubtus, fuſcæ. Corpus ſubauratum.

639.

639. Phalæna *Flavella.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Caput, dorſum, alæ anticæ ſupra flavæ ferrugineo-ſubfaſciatæ.

In nemoribus umbroſis.

Faſciarum trium, in ſingulis alis, rudera ferruginea. Palpi flavi, porrecti, lineam longi. Alæ omnes ſubtus fuſceſcentes.

640. Phalæna *Gemmatella.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Alæ anticæ flaveſcentes; faſciis ferrugineis punctisque argenteis variegatæ.

In collibus noſtris, non ſemel viſa.

Faſciæ duo: poſtica ſubabrupta. Alæ baſis fimbriaque faſciis concolor. Puncta lineæque argenteæ ſparſæ, præſertim ſuper paginam flaveſcentem. Alæ anticæ ſubtus fuſcæ, albido-punctulatæ; poſticæ ſupra pallide fuſcæ, lineis obſcurioribus longitudinalibus ſtriatæ, ſubtus albo-fuſcoque nebuloſæ. Abdomen nigrum; cingulis pallidis. Tibiæ pallidæ, fuſco-annulatæ; poſticæ craſſiores & piloſiores.

641. Phalæna *Eclipſella.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Obſcure cana; alis anticis margine craſſiore nigro-punctatis.

In pratis.

Alæ anticæ *Tortricium*, poſticæ *Tinearum*; cum vero planæ penitus non ſint, ita *Tineis* adnumeravi. Huic alæ anticæ obſoletiſſima obſcuriore faſcia, punctisque fuſcis ſparſis exiguis variegatæ. Pagina inferiorum earumdem alarum obſcurior, quam eadem pagina poſticarum.

642. Phalæna *Bicoſtella.*

— *long.* lin. 5.

Linn. Faun. Svec. 2. 1438.

Diagn. Caput, dorſum, alæ anticæ, alba; linea longitudinali ferruginea a baſi ad apicem excur-

rente prope marginem craſſiorem; diſco punctis ſubternis atris.

Circa *Idriam* capta.

Palpi lamella lineam longa, piloſa, ſupra albicans, ſubtus fuſca, articulo tenui fuſco parvo, tanquam ariſta, terminata. Oculi nigri. Alæ anticæ margo poſticus punctis (7) fuſceſcentibus; poſticæ colore pedum poſticorum. Abdomen ſuperne nigris lineis transverſis faſciatum.

643. Phalæna *Mucronella.*

— *long.* lin. 6½.

Diagn. Alæ omnes lanceolatæ, mucronatæ, nitidæ, concolores, pallidæ: anticæ longitudinaliter fuſco-ſublineatæ.

Unicam collegi A. 1759. circa *Idriam.*

Palpi porrecti. Lingua ferruginea.

644. Phalæna *Scabioſella.*

— *long.* lin. 4.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 94. Metallica.

Diagn. Alæ anticæ auratæ, margine ſubtusque una cum poſticis utrinque hæmatiticæ lucidæ. Antennæ alis longiores, albæ, baſi nigricantes.

Inſidet perpetuo floribus *Scabioſæ officin.*

Pigrum, præter ingenium gentis ſuæ, animal. Sexus *unus* occipite aurato, antennisque ſemiuncialibus; *alter* occipite fuſco, antennis lin. (10-11) longis. Femora aurata. Tibiæ alis poſticis concolores.

645. Phalæna *Viridella.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Alæ anticæ viridi-auratæ. Femora poſtica barbata.

Habitat in Sylvis *Idrienſibus* Majo M.

Sexus *unus* antennis, lin. 4½ longis obſcure violaceis: apice albis. Alæ poſticæ ſubtus antennis concolores; poſticæ ſupra obſcure violaceæ, ſubtus limbo aurato-viridi. Sexus *alter* antennis fere uncialibus, albidis; pectore barbato; alis ſubtus obſcurioribus.

646.

646. PHALÆNA *Barbatella.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Alæ anticæ glaucæ, aurato-punctatæ. Palpi barbati. Antennæ alis longiores; apice albidæ.

In collibus gramineis *Carnioliæ ſuper.*

Differt a *Reaumurella* Ill. LINNÆI, corpore viridi-æneo, fronte nigra, alis antrorſum magis auratis. Huic non pectus, non femora ulla barbata; alæ etiam ſubtus nulla tinctura rubro-violacea fulgidæ, ut in priore.

647. PHALÆNA *Degeerella.*

— *long.* lin. 2.

LINN. Syſt. Nat. p. 540.
Faun. Svec. 2. 1393.

Diagn. Alæ nigræ; faſcia argenteo-aurea. Antennæ longæ.

Labaco miſit Amiciſſimus & R. P. WULFEN.

Ill. LINN. in Syſt. Nat. faſciam argenteam, in Faun. Svec. 2. flavam, ponit; ego inter utrumque colorem mediam video.

648. PHALÆNA *Cræſella.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Alæ ſature violaceæ: anticæ faſcia, baſi & apice, lineisque longitudinalibus (5-7) aureis. Antennæ longiſſimæ, albidæ.

In *Evonymo vulg.* capta circa *Idriam:*

Pulcherrima; alis ita coloratis, ac ſi argento lævigato ſature violaceus color ſuperinductus fuiſſet. Faſcia alæ medium occupat, lineæ limbum: quarum mediæ longiores, ut fiſtulæ in organo. Ad baſim alæ lineæ aliæ quinque longitudinales, pariter aureæ. Alæ eædem ſubtus faſcia aurea, ſed absque lineis. Dorſum aureum, præſertim anticæ. Caput rufis pilis pubeſcens. Antennæ lin. 6½ longæ. Crœſeas oſtentat opes, vanumque nitorem.

649. PHALÆNA *Rufimitrella.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Caput lana rufa veſtitum. Corpus nigrum. Alæ fuſcæ; anticæ ſupra fuſco-viridi æneæ.

In

In ſylveſtribus, non rara, in floribus Majo M.

Femora poſtica barbata & craſſiora. Alæ poſticæ fimbria alis anticis concolore. *Ph. Capitella* Linn. Faun. Svec. maculas tres albido-flaveſcentes in ſingulis alis ſuperioribus habet, caput vero lana helvola veſtitum, ergo non noſtra, quæ *Calthellæ* Linn. proxima.

650. Phalæna *Hemerobiella.*

Frisch. Inſ. 1. Tab. 11. fig. 4. 6.

Diagn. Alæ anticæ canæ, fuſco-punctulatæ. Tibiæ poſticæ plumoſæ.

Larva degit intra tubulum rufeſcens, apice trigonum, qui foliis perpendiculariter inpoſitus paſſim apparet, & circumfertur a larva de loco in locum.

651. Phalæna *Vorticella.*

— *long.* lin. 2½.

Linn. Faun. Svec. 2. 1381. cinctella.

Diagn. Nigra; alis anticis faſcia alba, lineari.

In foliis fruticum, frequens.

Vorticellam dixi, quia ſedens, circa idem punctum, ſe ſe in circulum ſæpe gyrat. Huic præterea alæ ſedentis planæ. Antennæ tibiæque poſticæ albo-annulatæ.

652. Phalæna *Obſcurella.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Fuſca; alis anticis ſupra fuſco-auratis, apice ſubhæmatiticis.

In *Carniolia* interiore.

Caput, thorax, pedes, colore alarum ſuperiorum.

653. Phalæna *Feneſtrella.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Alæ anticæ albidæ; maculis punctisque nigris, poſtice nebula ſubaurata.

Circa feneſtras occurrit, primo vere.

Hæc, cum ſequentibus aliis quatuor, caput album habet. Puncta & maculæ pleræque inſident margini craſſiori.

654. Phalæna *Scalella.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Alæ anticæ albæ; tribus paribus punctorum nigrorum, contiguorum, totidem obliquas æque diſſitas veluti faſcias præſeferentium.

Majo M. reperitur, ruri.

Faſciolæ illæ ſcalam repræſentant, licet quandoque unicum punctum ſit, cum aliis in unam longitudinalem quaſi lineam coaleſcens. Palpi albi: articulo ultimo punctis binis atris.

655. Phalæna *Punctella.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Alæ anticæ niveæ; punctis fuſceſcentibus, in apice confluentibus, variegatæ.

Ruri degit, inter *Corylos.*

Antennæ albæ, fuſco-annulatæ. Oculi nigri. Caput cum thorace niveum. Alæ anticæ obſoleta faſcia punctisque fuſceſcentibus: pluribus in apice. Tibiæ albæ, nigro-annulatæ.

656. Phalæna *Comella.*

— *long.* lin. 2¼.

Diagn. Capillitium album, alba coma per marginem alæ internum decurrente auctum. Alæ anticæ ferrugineæ; faſcia obſcuriore, obſoleta, obliqua.

Circa domos & hortos volitat, Junio M.

Ubi deſinit coma, ibi incipit faſcia, ſub qua idem alæ margo denuo albicans eſt. Antennæ albæ, fuſco-annulatæ.

657. Phalæna *Puſiella.*

— *long.* lin. 1½.

Diagn. Alæ anticæ cauda repanda terminatæ, poſticæ lineares.

In pratis.

Hæc & tres ſequentes, alas anticas caudatas habent.

Alæ oſſeæ, puncto fuſco, caudæ impoſito.

658. Phalæna *Thraſonella.*

— *long.* lin. 2¾.

Diagn.

Diagn. Alæ anticæ fuſco-auratæ, lineis ſtrigisque transverſis argenteis, macula nigra ad angulum poſticum, in qua puncta tria argentea.

Habitat in herbidis paludoſis.

Faſcia una integra, tres abruptæ, ſtrigæ duæ. Thorax antice argenteus. Punctum nigrum in cauda, ſeu lobo, alæ apicem terminante.

659. Phalæna *Equitella.*

— *long.* lin $2\frac{1}{2}$.

Diagn. Alæ anticæ caudula e margine exteriore nata, loboque terminatæ; lituris in margine eodem quinis, in oppoſito vero binis argenteis.

Habitat cum priore.

Intra lobum alæ macula ſubovata nigra. Lineolæ duæ anticæ obliquæ in formam literæ (V); ſed disjunctæ; in alæ limbo puncta tria argentea.

660. Phalæna *Aruncella.*

— *long.* lin. $1\frac{1}{4}$.

Diagn. Alæ anticæ auratæ, cum intermixto violaceo-rubro colore; fronte aureis pilis pubeſcente.

Copioſa in paniculis *Actea, Arunci.*

Antennæ nigricantes. *Mas* faſcia pallida lineari; *Fæmina* absque alarum faſcia.

661. Phalæna *Alchimiella.*

— *long.* lin. $2\frac{1}{2}$.

Diagn. Alæ anticæ aureæ; ſtriga transverſa, antica, maculaque lanceolata apicis, laccæ colore.

Circa *Idriam* reperta.

Oculi nigri. Palpi aurei: apice fuſco-rubri. Antennæ ſubæquales. Frons & alæ auri colorem nitoremque æmulantes. Femora fuſco-rubra. Tibiæ argenteæ: annulis fuſcis. Felices Alchemiſtæ ſi tinctura hac ſolari ſua ſaturare metalla poſſent!

662. Phalæna *Aureatella.*

— *long.* lin. $2\frac{1}{2}$.

Diagn. Alæ anticæ rubro-auratæ; faſcia maculisque aureis.

In ſylveſtribus locis.

Ma-

Macula aurea in limbo & alia ad baſin, faſcia intermedia. Caput rufis pilis pubeſcens.
Oculi fuſci.

663. Phalæna *Æneella.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Fuſca tota; alis anticis æneo-fuſcis.
In ſylvis.
Statura, habitu, & defectu ruboris alarum ſuperiorum, differt ab *Obſcurella.*

664. Phalæna *Leucocerella.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Alæ anticæ aurato-rubræ; punctis binis, obſoletis, albis.
In ſylvis.
Tota nigricans; antennis corpore longioribus: apice albis. Non debet confundi cum *Ph. Scabioſella*, ut ex dictis clare patet.

665. Phalæna *Luridella.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Alæ argenteæ, anticæ atomis punctisque fuſcis inquinatæ. Caput cum thorace album.
Circa *Labacum.*
Fimbria alarum poſticarum iis latior pallideque rufa. Oculi nigri. Palpi argentei; articulo ultimo baſi & apice fuſco.

666. Phalæna *Zoolegella.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Pallide cervina; alis anticis puncto poſtico nigro.
Habitat in Avium exuviis, & Inſectis adſervatis, præſertim *Cancris.*
Huic proxima, & forte eadem, *Phal. Pellionella.* Ill. Linnæi. Sed noſtra non eſt cana.

667. Phalæna *Rufella.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Alæ griſeo-cinereæ, corpore pedibusque rufis.

Cir-

Circa *Labacum.*
Alæ poſticæ anguſtiſſimæ.

668. PHALÆNA *Murinella.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Alæ pallide murinæ.
In *Carniolia* inferiore.
Caput, thorax, corpusque alis concolor.

669. PHALÆNA *Veſtianella.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Alæ cinerafcentes; coſta alba.
Habitat in Veſtimentis, quæ deſtruit, ut invido dente rodunt malevoli aliena ſcripta.
Alæ atomis nigris adſperſæ. Antennæ annulis albis. Ingenii ejusdem, quo impudens compilator.

670. PHALÆNA *Arbuſtella.*

— *long.* lin. 1½.

Diagn. Alæ anticæ ſubargenteæ; puncto nigro.
Inter arbuſta, frequens.
Veſtianella duplo minor, ſubargentea, punctulisque obſcurioribus irrorata.

671. PHALÆNA *Domeſticella.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Albida nitens; alis omnibus apice utrinque nigro nebuloſis.
In *cubilibus*, non rara.
Alæ anticæ ſupra punctis ſparſis fuſcis.

VI. *Alucitæ.*

672. PHALÆNA *Didactyla.*

— *long.* lin. 5.

LINN. Syſt. Nat. p. 542.
Faun. Svec. 2. 1453.

Diagn. Alæ fuſcæ: anticæ ſemibifidæ: ſegmento inferiore falcato; omnibus rachi albida.
In pratis noſtris frequens.

Dor-

Dorſum, abdomen, pedesque albidi. Alæ poſticæ trifidæ.

673. Phalæna *Bipuncti dactyla.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Alæ anticæ cinereæ; punctis tribus, nigris, lineaque fuſca longitudinali in limbo.

In ſylveſtribus.

Alæ ſuper. bifidæ: inciſura lin. $1\frac{1}{2}$ longa, ſegmentis parallelis, ſupra pari uno punctorum nigrorum, intervallo lin. $1\frac{2}{3}$ ab alæ apice diſtantium, punctoque alio minore eodem intervallo, a baſi aliisque punctis remoto. Alæ poſticæ trifidæ, fuſco-ferrugineæ nitidæ. Abdomen alis poſticis concolor, lineis argenteis dorſalibus binis, lateralibus denuo binis ſed ad medium uſque non productis, infra iterum binis; præter has, eſt lineola nigra lateralis ad baſim abdominis.

674. Phalæna *Ptero-dactyla.*

— *long.* lin. 4.

Linn. Faun. Svec. 2. 1456.

Diagn. Alæ anticæ bifidæ; diviſura lineari, puncto nigro medio notatæ.

In pratis ſterilioribus.

Alæ apud nos albidæ, ſed poſticæ obſcuriores. Punctum anticarum parvum valde utrinque conſpicuum; ſed & punctula alia nigra adhuc minora, lente admota, obſervantur.

675. Phalæna *Tri-dactyla.*

— *long.* lin. 6.

Diagn. Nivea tota; alis anticis ultra medium bifidis; poſticis trifidis.

In pratis non rara.

Segmenta alarum ſuperiorum deflexa & falcata. Segmentum infimum alæ poſticæ ſubdiſtinctum. Oculi nigri. Hanc exprimit Icon P. Poda. Muſ. Græc. Tab. 2. fig. 14.

676. Phalæna *Hexa-dactyla.*

— *long.* lin. 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 542.

Faun. Svec. 2. 1458.

Frisch. Inſ. 3. Tab. 7. fig. 2. 5. p. 19.

Diagn. Alæ ſingulæ ſexpartitæ fuſcæ, albis transverſis lineolis faſciatæ.

Circa *Labacum.*

Ala antica profunde trifida, ſegmento extimo paulo magis quam ſemibifido ſegmento infimo ſolitario, hiſce intermedio trifido: ſegmento inferiore duobus aliis longiore. Rachis horum digitorum albis punctis notata, quorum (5) in digito intimo.

OR-

ORDO IV.

NEUROPTERA.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 543.

LIBELLULA.

Linn. *l. c.*

677. Libellula *Grandis.*

Alæ ant. *long.* lin. 7.

Linn. Syſt. Nat. p. 544.
Faun. Svec. 2. 1467.
Roesel. Inf. aquat. Cl. II. Tab. 2. fig. 1. 2.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 96.

Diagn. Thorax piloſus; lineis ſex flavis, quarum duo anticæ, totidemque in ſingulo latere.

Habitat in aquis ſtagnantibus.

Quisque ſua ſpecimina aliter deſcribit, & in qualibet icone ſingulare quid, nec cæteris proprium obſervatur. Interim larva eadem, naſcendi tempus idem, unaque ſemper & eadem proportio partium. Specimen noſtrum exacte denuncians deſcriptio nulla hucusque data, cum tamen abdomen gerat attenuatum ex lato principio ut *L. Quadrimaculata*, thoracem abdomini concolorem hirſutumque, ut *L. Grandis*, maculasque flavas abdominales, ut *Forcipata.* Unde ego ſane judico ſpecies ſpurias in hoc Genere vel admiſſas fuiſſe, vel earum hiſtoriam de novo inchoandam, cum differentiæ a coloribus petitæ non ſufficiant.

Noſtræ *ovum* orbiculatum, ferrugineum, ſubtus planum, ſupra convexum, apice perforandum a *larva* nigra, oblonga, piloſa; cauda biſeta, quam alio anno deponit, trivalvem anum induens; hæc maturunciam & lin. tres longa, (roſtro non computato); roſtro inflexo ſub thorace, decem lin. longo, biarticulato: articulo inferiore breviore & baſi tetragono; ſuperiore concavo, extrorſum dilatato, maxil-

 lis

lis terminato tridentatis: dente medio minimo. Hæc natat & ambulat ſub aquis victitans larvis aquaticis aliorum Inſectorum, donec Junio M. *Equiſeti* culmos adſcendens, e dorſo *Inſectum* pariat, cui frons flava: linea fuſca transverſa; os apice flavum: linea media longitudinali nigra; caput pone oculos & nucha flavum; thorax faſciis flavis obliquis ſenis, quarum duæ anticæ. Alæ hyalinæ: baſi puncto flavo marginali, alibi immaculatæ, linea nigricante, aut rufo-nigra marginali verſum apicem. Inter alas maculæ duæ flavæ dorſales: inferiore majore fere hemiſphærica, marginata; abdomen nigrum, a baſi convergens, poſtice denuo divergens, apice iterum convergente, quale *Libellulæ* ſuæ maxime N.72.N.2. tribuit Rajus; idem faſciis (7) flavis, quibus interjacent lineæ flavæ transverſæ totidem. Pedes nigri. Vidi larvam in ſtomacho *Alcedinis Hiſpidæ*, 21. Nov.

678. Libellula *Depreſſa.*

— *long.* unc. 1. *lin.* 4½.

Diagn. Abdomen lanceolatum triquetrum. Alæ ſingulæ ad apicem linea nigra; baſi nigricante aut flava macula notatæ.

Habitat in aquis ſtagnantibus.

Larva in humo ſpongioſa impalpabili lutoſa degens, tardigrada, ore bivalvi: valvis vireſcentibus, roſtro inflexo maxilloſo, abdomine trigono: ſubtus fulveſcente, pedibus ciliatis.

Inſectum cui alæ anticæ latitudo in medio lineæ ad apicem collocatæ deſumpta, æqualis eſt latitudini abdominis ſegmenti quinti aut tertii.

Variat 1. *Libell.* abdomine lanceolato triquetro fuſco: baſi lateribusque flaveſcentibus.

Linn. Syſt. Nat. p. 544. depreſſa.
Faun. Svec. 2. 1463.
Roesel. Inſ. aquat. Cl. II. Tab. 6. fig. 4.

Abdomen colore maculæ baſeos alæ ſingulæ nigro variegatæ, ſed margine linea dorſali & ſegmentis (3-4) ultimis in medio nigricantibus. Alios colores habet Linn. ſed maculæ & lineæ alarum noſtram indicant.

2. *Libell.* abdomine lanceolato, triquetro, fuſco; ſegmentis ſingulis macula fulva laterali. Maculæ alarum fuſcæ, rufis venulis reticulatæ, lineaque rufa longitudinali.

3. *Libell.* abdomine lanceolato, triquetro, cæruleſcente.

Roesel. Inſ. aquat. Cl. II. Tab. 7. fig. 3.

Varietatem hanc ad *Libell.* ſuam *Depreſſam* retulit Ill. Linnæus, cui alarum maculæ ut in priore.

4. *Libell.* abdomine lanceolato, triquetro, cæruleſcente; ſegmentis, 3. 4. 5. fuſceſcentibus. Huic & priori abdomen pulviſculo cæruleſcente adſperſum; hæc vero ſegmentis tribus dictis macula laterali flaveſcente utrinque notatis.

679. Libellula *Quadrimaculata.*

— *long.* unc. 1. lin. 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 543.

Faun. Svec. 2. 1459.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 95.

Diagn. Abdomen triquetrum; ſegmentis poſtice deſcreſcentibus, appendicibus apice divaricatis. Alæ anticæ baſi luteo-aurantiæ, poſticæ baſi macula nigra; ſingulæ macula media lineaque ad apicem fuſcis marginalibus.

Habitat in foſſis, circa *Labacum.*

Variat 1. abdomine baſi aureo-fulva ſubpellucida.

2. abdomine obſcuriore opaco.

680. Libellula *Vulgata.*

— *long.* unc. 1. & lin. 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 543.

Faun. Svec. 2. 1461.

Diagn. Alæ baſi immaculatæ; lineola flaveſcente marginali ad apicem. Abdomen triquetrum, poſtice attenuatum.

Circa aquas fluentes.

Variat 1. Thorace abdomineque cæruleis, hujus tamen apice nigro; lineæ marginalis marginibus nigris.

2. Thorace abdomineque flaveſcentibus, linea alarum concolore Raji. Inſ. 49. n. 6.

681. Libellula *Virgo*,

— *long.* unc. 1. & lin. 2.

Diagn. Abdomen lineare teres; particulis caudalibus ſuperioribus incurvis. Alæ erectæ, triplo latiores quam thorax.

Habitat in aquis fluentibus.

Var. a) Alis coloratis.

Linn. Syſt. Nat. p. 545.

Faun. Svec. 2. 1470.

1. Alis violaceis; apice excolore.
Thorax & abdomen violaceo-cæruleo colore tincta.

2. Alis violaceo-evanidis, abdomine viridi.
Color alarum violaceus evaneſcit in alio oculi ſitu, & in fuſcum tranſit.

3. Alis fuſco-violaceis: baſi & apice excoloribus; abdom. violaceo-cæruleo.
Roesel. Inſ. aquat. Cl. II. Tab. 9. fig. 7.

4. Alis fuſco-ferrugineis; puncto marginali albo ad apicem. Abdom., baſi viridi.
Roesel. l. c. fig. 6.

5. Alis fuſco ferrugineis, absque puncto marginali, thorace abdomineque violaceis; apice obſcure cæruleo.

Var. (b) Alis excoloribus.

6. Alis excoloribus: venis viridibus: puncto albo marginali ad apicem.
Frons, thorax, abdomen aurato-virens.

682.

682. Libellula *Puella.*

— *long.* lin. 10.

Diagn. Abdomen teres, lineare, alis longius; particulis caudalibus exiguis rectis. Alæ erectæ hyalinæ, nervis obſcurioribus reticulatæ.

Linn. Syſt. Nat. p. 546.
Faun. Svec. 2. 1471.

Habitat in aquis ſtagnantibus.

Var. (a) Alis puncto fuſco marginali ad apicem.
1. Abdomine ferrugineo, dorſo & capite maculis flavis.
2. —— cæruleo maculiſque cæruleis.
Roesel. Inſ. aquat. Cl. II. Tab. 10. fig. 3. 5. Tab. 11. fig. 7.
3. —— nigro: maculis albis.
4. —— rufo-rubro: ſegmentis tribus ultimis vireſcentibus.
5. —— rufo: linea dorſali ſegmentiſque tribus ultimis vireſcentibus.
6. —— fuſco-viridi: ſubtus albo.
7. —— ſegmentis 1-5 ſanguineis: margine fuſco.

(b) Alis abſque puncto marginali.
8. Abdom. fuſco: ſegmentorum marginibus albidis.

Omnibus *larva* ambulatoria; ligulis caudalibus fuſco-faſciatis.

EPHEMERA. (†)

Linn. *Syſt. Nat.* p. 546.

683. Ephemera *Vulgata.*

— *long.* lin. 8½.

Linn. Syſt. Nat. p. 546.
Faun. Svec. 2. 1472.

Diagn. Cauda triſeta. Alæ fuſco-reticulatæ maculatæque. T 4 In

(†) *Larva* aquatica, vita brevis, antennæ ſunt ſetulæ cylindris inarticulatæ. Alæ erectæ: poſticæ minimæ. Pedes antici porrecti.

In aquis fluentibus copioſior, quam in ſtagnantibus.

Nigricans; abdomine albido: inciſuris ſingulis ſubtus lineolis binis longitudinalibus nigris. Sexui uni ſetæ caudales unciam cum dimidia longæ, alteri duplo breviores. Recens nata, alas ſordide flavicantes habet. Meridie choreas aereas inſtituit, ſurſum recta tendens, rediensque eadem fere via. Hujus tanta copia, circa *Laz*, e rivo quodam, Junio M. naſcitur, ut vicini Ruſtici exiguam meſſem ſe collegiſſe putent, niſi quilibet ultra viginti currus his inſectis probe onuſtos, in agrum exoneraverit, ſtercorationi optime inſervientes.

684. Ephemera *Gemmata*.

— *long*. lin. 7½.

Diagn. Tubercula tria frontalia, diaphana, cryſtallina, nigro-punctulata. Corpus rufum.

Habitat circa aquæductus *Fodinarum Idrienſium*.

Hæc & ſequentes caudam biſetam gerunt. Inciſuræ abdominis marginibus flavicantibus. Setæ caudales unciales.

685. Ephemera *Albipes*.

— *long*. lin. 3½.

Diagn. Fuſca; oculis ruſeſcentibus; pedibus albidis.

In aquoſis.

Oculorum ambitus pallidior. Alæ villoſulæ. Setæ caudales albidæ, corpore duplo longiores.

686. Ephemera *Culiciformis?*

— *long*. lin. 4½.

Linn. Syſt. Nat. p. 547.
Faun. Svec. 2. 1475.

Diagn. Thorax linea longitudinali nigra. Oculi nigri, ſupra quos tubercula duo brunea.

Habitat circa aquas & paludes.

Corpus fuſcum & alæ albidæ *Culiciformis* Linn. ſed ſetæ caudales corpore fere duplo longiores in uno ſexu ſaltem. Alæ hyalinæ, venoſæ.

687. Ephemera *Parvula*.

— *long*. lin. 2.

Diagn.

Diagn. Alba; capite thorace abdominiſque apice nigris.

In paludoſis, Majo M.

Oculi rufi, alæ hyalinæ. Setæ abdominales alis duplo longiores, albæ. Abdomen pellucens.

PHRYGANEA. (†)

LINN. *Syſt. Nat.* p. 547.

(*) *Alis deflexis.*

688. PHRYGANEA *Striata.*

— *long* lin. 7.

LINN. Syſt. Nat. p. 547.
Faun. Svec. 2. 1483.

Diagn. Corpus nigricans. Alæ fuſco-teſtaceæ, antennarum longitudine.

Circa aquæductus.

Mas. Alæ immaculatæ, pedibus concolores. Abdomen terminatum molli ſpinula utroque in latere.

Fœmina. Alæ obſcuriores, teſtaceo-punctatæ; margine externo albis punctis variegato.

Uterque, oculis bruneis, occipite piloſo, antennis fuſco rufoque variis longitudine alarum.

689. PHRYGANEA *Albicornis.*

— *long.* lin. 8.

Diagn. Alæ anticæ albidæ; linea media transverſa veniſque fuſcis longitudinalibus. Nucha albis pilis pubeſcens. Antennæ albidæ, alarum longitudine.

Ad aquas.

Oculi nigri. Palpi lin. (1½) longi. Alarum ſuperiorum apices teſtacei. Alæ poſticæ fuſcæ: venis obſcurioribus. Corpus fuſcum. Pedes alis anticis concolores.

(†) *Phrygan.* 1. ordinis, præſertim parvulæ, *Phal. Tineæ* ut ovum ovo ſimiles, ſed alæ piloſæ & palpi ad os incurvi detrahunt larvam.

690. PHRYGANEA *Ruficrus*.

— *long*. lin. 6½.

Diagn. Alæ anticæ lucidæ atro-rufæ; venis fuſcis. Femora rufa.

Habitat in aquis fluentibus.

Alæ fuſcæ ſunt ſi a longe obſerventur, ſed luci oppoſitæ & propius inſpectæ fuſco rufæ videntur. Thorax, caput, antennæ, tibiæ, corpus totum, nigri coloris. Thorax caput inter & pedes anticos fulvus. Antennæ baſim verſus craſſiores, quam in aliis omnibus noſtris.

691. PHRYGANEA *Ferruginea*.

— *long*. lin. 6½.

Diagn. Ferruginea tota: alis anticis fuſco obiterque reticulatis; oculis nigris.

In ſylvis ſecus aquas; Majo M.

Abdomen punctis nigris lateralibus tot, quot ejus ſegmenta. Antennæ lin. (6) longæ, ferrugineæ. Sexus alter maculam albidam rotundam communem, punctaque alba (5-6) in margine externo alarum anticarum.

692. PHRYGANEA *Bimaculata*.

— *long*. lin. 8½.

Diagn. Alæ anticæ teſtaceæ nitidæ: macula fuſca marginali.

Circa *Labacum* capta.

Corpus fuſcum. Antennæ pedesque alarum ſuper. colore. Macula harum dicta inſidet margini ſuperiori verſus apicem. Alæ poſticæ hyalinæ. Abdomen linea albida laterali.

693. PHRYGANEA *Variegata*.

— *long*. lin. 5.

Diagn. Alæ anticæ fuſcæ; punctis ferrugineis.

In aquoſis, & circa torrentes.

Antennæ longitudine fere alarum ſuperiorum, ferrugineæ. Oculi, corpus, femora nigricantia. Caput ferrugineis villis pubeſcens. Tibiæ ferrugineæ.

694. PHRYGANEA *Tineoides.*

— *long.* lin. $3\frac{3}{4}$.

Diagn. Alæ anticæ fuſco-ferrugineæ. Antennæ corpore triplo & ultra longiores, fuſcæ, albo-annulatæ.

In plantis lacuſtribus, Junio M. non rara.

Deſcriptio *Phr. Longicornis* LINN. huic minime aptari poteſt. Noſtra *Phal. Tineam* longiſſimis antennis exacte refert. Alæ poſticæ fuſcæ. Pedes alis anticis concolores. Corpus fuſcum, tres lineas longum.

695. PHRYGANEA *Obfuſcata.*

— *long.* lin. 3[illegible].

Diagn. Fuſceſcens tota; pedibus ferrugineis.

Circa lacus, & fontes, primo vere.

Antennæ craſſiuſculæ, nigricantes, alis breviores.

696. PHRYGANEA *Fuliginoſa.*

— *long.* lin. $3\frac{1}{4}$.

Diagn. Supra lucida nigra; alis ſubtus fuſcis; antennis nigris, albo annulatis; pedibus albidis.

Circa aquas.

Corpus nigrum, lin. ($2\frac{1}{2}$) longum. Alæ nigræ, ſed cæruleo quodam aut viridi translucente colore, ut ideò non male ad *Phr. Nigram* LINN. reduci poſſet.

697. PHRYGANEA *Teſtacea.*

— *long.* lin. $3\frac{1}{2}$.

Diagn. Fuſco teſtacea; alis fimbriatis: poſticis fuſceſcentibus.

Prope aquæductus.

Habitus, alarumque fimbria, ut in *Ph. Tinea.* Pedes ſubferruginei. Corpus alis anticis duplo brevius.

698. PHRYGANEA *Pyralina.*

— *long.* lin. $2\frac{1}{2}$.

Diagn. Alæ fuſco-hyalinæ, piloſæ. Pedes ferruginei.

Paſſim

Paſſim circa rivos, fontes, paludes.

Noctu cubilibus involat copioſe & avide lumen appetens, hinc alia die in lucernis nocturnis immerſæ plurimæ reperiuntur.

699. Phryganea *Dubia.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Antennæ deflexæ, pectinatæ. Corpus nigrum, tomentoſum.

Prodierunt mihi tres ex eo cylindro, ex quo *Phr. Rhombica* Linn.

Cl. P. Poda, hanc ipſam deſcripſit & ſubmiſit ſub nomine *Tentredinis hirſutæ* Muſ. Græc. p. 102. Quid ergo ſtatuendum? An eſt proles paraſitica *Phalænæ Bombycis*? ſed alæ piloſæ *Lepidoptero* nulli. Nigra eſt & valde tomentoſa; alis nigricantibus piloſis deflexis: poſticis plicatis. Os valde barbatum, aut palpos occultat, aut palpi ſunt ita lanati, vel nulli prorſus.

700. Phryganea *Pectinicornis.*

— *long.* lin. 5½.

Diagn. Antennæ deflexæ, pectinatæ. Alæ & dorſum caneſcentia. Abdomen ferrugineum.

Natæ mihi duæ ex eo cylindro, unde *Phr. Grandis* Linn.

Facies prioris, ſed non nigra, major; thorace magis tomentoſo.

(**) *Alis planiuſculis.*

701. Phryganea *Martia.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Alæ incumbentes, hyalinæ, immaculatæ; venulis fuſcis. Corpus fuſcum. Pedes teſtacei.

Habitat in aquæductibus *Idrienſibus*, M. Martio circumvolans.

Antennæ nigræ, alarum longitudine. Frons tuberculis tribus. Thorax linea depreſſa, transverſa, antica, ſub qua foveolæ nonnullæ. Palpi colore pedum. Abdomen muticum, ſubtus fuſco-teſtaceum.

702. PHRYGANEA *Regelationis*.

— *long*. lin. 4.

Diagn. Tota nigra; alis fuſceſcentibus, incumbentibus, hyalinis.

Circa fluvios volitat etiam M. Februario.

Inter caput & thoracem plica transverſa pallida. Abdomen muticum, ſupra plicæ prædictæ concolor.

703. PHRYGANEA *Grammatica.*

— *long*. lin. 6.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 99.

Diagn. Flava; linea lunata, nigra, fronti inſcripta; abdomine biſeto.

In aquoſis & paludoſis.

Alæ hyalinæ, albidæ, immaculatæ, antennis longiores. Antenn. baſi flavæ, extrorſum fuſcæ. Oculi nigri. Abdomen ſupra nigricans, ſetis caudalibus longius. Scutellum tuberculis binis.

704. PHRYGANEA *Tripunctata.*

— *long*. lin. 3½.

Diagn. Flava; tuberculis tribus, frontalibus, oculisque nigris; abdomine biſeto.

Majo M. capta in aquoſis.

Diverſa a priore, ſtatura, colore homogeneo, defectu lunulæ frontalis.

705. PHRYGANEA *Maxima.*

— *long*. unc. 1. & lin. 1.

LINN. Syſt. Nat. p. 548. bicaudata.
Faun. Svec. 2. 1489.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 99.

Diagn. Gigas noſtrarum; ſetis caudalibus antennarum longitudine; capite fulvo: antice truncato, tuberculis quinque: lateralibus majoribus fulvis, intermediis tribus nigris.

Habitat in torrentibus, præſertim *Idria.*

Ovulum nigrum, quorum plurima in globum unita fæmina ſub ventre circumfert, ut aranea ſaccifera ſuum ſaccum.

Lar-

Larva perfecta teſtacea, decem lin. longa, littera (π) nigra in occipite notata, dorſo linea nigra undique ſubmarginali, aliaque media longitudinali, puncto nigro utrinque inter lineam mediam & marginem. Poſticus thorax punctis nigris tribus, quorum medium tetragonum. Abdomen inciſuris margine nigris. Pedes immaculati. Tibiæ externo latere ciliatæ. Tales *larvas* integras eduxi ex ventriculo *Ardeæ* cujusdam. Parituræ deſerunt aquas, Aprili & Majo M; irrepunt *Salicibus*, vicinisque hortorum ſepibus, unde naſcitur

Inſectum antennis nigris (6-7) lin. longis; oculis nigris. Thorace nigro, marginato, lateraliter cicatrizato. Corpore ſubtus ſubferrugineo. Alis nitidis, albidis; venis fuſcis ramoſisque. Pedibus fuſcis. Setis caudalibus fuſcis: articulis (43-46). *Phryganeas* haſce prædantur *Lacertæ Agiles*.

HEMEROBIUS.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 549.

706. HEMEROBIUS *Fulvicephalus*.

— *long.* lin. 10.

Diagn. Alæ hyalinæ; maculis marginalibus venulisque fuſcis reticulatæ. Caput fulvum. Corpus nigricans.

Circa aquæductus *Fodinarum Idrienſium*, non rarus.

Facies *Hem. Formicaleonis*, ſed antennæ minime clavatæ. Alæ acuminatæ. Oculi fuſco-vireſcentes. Collum utrinque dentatum. Caput fulvum; tuberculis tribus occipitalibus. Palpi fulvi. Abdomen inflexum, antennis longius. Corpus nigricans, lin. (5½) longum.

707. HEMEROBIUS *Flavus*.

— *long.* lin. 7½.

Diagn. Flavus; oculis nigris.

Circa aquas volitat, etiam primo vere.

Antennæ quoque flavæ. Abdomen muticum. Alæ hyalinæ albæ; venulis pallide vireſcentibus.

708.

708. Hemerobius *Chryſops.*

— long. lin. 6½.

Linn. Syſt. Nat. p. 549.
Faun. Svec. 2. 1505.
Frisch. Inſ. 4. Tab. 23. fig. 5. p. 40-41.

Diagn. Viridi nigroque varius. Alæ hyalinæ viridi-fuſcoque reticulatæ.

Circa fluvios, & *Salices* volitat.

Vaſorum trunci in alis, ut & primi rami, luteo-virentes; ultimi ramuli fuſci.

709. Hemerobius *Perla.*

— long. lin. 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 549.
Faun. Svec. 2. 1504.
Roesel. Suppl. Tab. 21. formical. fig. 4.

Diagn. Corpus virens. Oculi viridi-aurati. Alarum vaſa viridia.

Habitat cum priore.

Dubito, num Synon. Frischii ſuperioris ſpeciei, huc referendus ſit, cum dicat animal ano ſuccum fundere ſtercoris humani odore.

PANORPA.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 551.

710. Panorpa *Communis.*

— long. lin. 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 551.
Faun. Svec. 2. 1516.
Frisch. Inſ. 9. Tab. 14 fig. 1. mas.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 100.

Diagn. Alæ æquales; macula apicis, faſcia obſoleta, vaſisque fuſcis.

Paſſim in hortis & pratis.

Roſtrum corneum, ſubvillofum: plica laterali; apice lacero-papilloſo, terminatum ſuperne corpuſculis duobus bifidis palpigeris: palpis 4-articulatis, ſubtus corpore oblongo obtuſo ſuſtinente maxillas edentatas: apice nigro.

RA-

RAPHIDIA.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 552.

711. RAPHIDIA *Ophiopſis.*

— *long.* lin. $5\frac{2}{3}$.

LINN. Syſt. Nat. p. 552.
Faun. Svec. 2. 1517.
ROESEL. Suppl. Formic. Tab. 21. fig. 6. 7.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 101.

Diagn. Corpus nigrum. Pedes æquediſſiti.

Habitat etiam in ſylvis.

Maxillæ tridentatæ. Palpi (4); baſi albis articulis (3-4). Antennæ lin. ($2\frac{1}{2}$) longæ. Thorax longus, capite tenuior. Alæ hyalinæ; venis atris, piloſis reticulatæ; macula fuſca marginali. Abdomen ſegmentis ſubtùs margine albidis, ſupra punctis tribus albidis. Femora nigra. Tibiæ ſordide ferrugineæ.

712. RAPHIDIA *Mantiſpa.*

— *long.* lin. $5\frac{1}{3}$.

P. PODA. Muſ. Græc. pag. 101. Tab. 1. fig. 15.

Diagn. Pedes antici, a reliquis remoti ex apice thoracis prope caput orti; tibiis fuſceſcentibus latis, ſubtus ſpinoſis.

In *Carniolia* calidiore, ad ſepes.

Thorax & femora antica flaveſcentia. Pedes alii pariter flavi. Alæ macula marginali ferruginea. Manuum anticarum loco uncus reflexus.

OR-

ORDO V.

ACULEATA.

HYMENOPTERA.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 553.

CYNIPS.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 553.

713. CYNIPS *Roſæ.*

Alæ anticæ *long.* — *lat.* —

LINN. Syſt. Nat. l. c.

Faun. Svec. 2. 1518.

FRISCH. Inſ. 6. N. 1. Tab. 1. N. 3.

Diagn. Abdomen ferrugineum; poſtice nigrum. Pedes ferruginei.

Habitat in hiſpida Galla *Roſæ caninæ*, *Bedeguar.* officin.

714. CYNIPS *Hieracii.*

— *long.* — *lat.* —

LINN. Syſt. Nat. l. c.

Faun. Svec. 2. 1519.

Habitat in *Hieracio murorum*, galla caulina, hirſuta.

715. CYNIPS *Glechomæ.*

— *long.* — *lat.* —

LINN. Syſt. Nat. l. c.

Faun. Svec. 2. 1520.

Habitat in *Glechoma hederacea*, galla folii ſubhirſuta.

716. CYNIPS *Quercus* petioli.

— *long.* — *lat.* —

LINN. Syſt. Nat. p. 554.
Faun. Svec. 2. 1523.
ROESEL. Suppl. Tab. 35. 36. fig. 16. 17.
Habitat in ramulo *Quercus*, galla mollis, rubella.

717. CYNIPS *Quercus* folii.
— *long.* — *lat.* —
LINN. Syſt. Nat. p. 553.
Faun. Svec. 2. 1521.
FRISCH. Inſ. 2. Tab. 3. fig. 3. 6. 7.
Habitat infra folia *Quercus*, galla rotunda 5. locularis, cum Vitriolo ſoluto atramentum conſtituens.

718. CYNIPS *Salicis* ſtrobili.
— *long.* — *lat.* —
LINN. Syſt. Nat. p. 554.
Faun. Svec. 2. 1532.
J. BAUCH. Hiſt. Plant. 1. p. 2. p. 313.
FRISCH. Inſ. 12. Tab. 1.
Habitat in ſummitatibus virgarum *Salicis*, galla ſtrobiliformis.

Aliæ gallæ multæ, unde ſpecies aliæ, ut in *Geniſtæ ſagittalis* ſummitatibus, *Veronicæ chamædr.* ſummitatibus, *Populo alba* ad originem petioli &c.

TENTHREDO.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 555.

(*) *Antennis clavatis.*

719. TENTHREDO *Lutea.*
Alæ anticæ *long.* lin. $10\frac{1}{2}$.
LINN. Syſt. Nat. p. 555.
Faun. Svec. 2. 1534.
ROESEL. Veſp. Tab. 13. fig. 5.
FRISCH. Inſ. 4. Tab. 25. fig. 3. 4.
Diagn. Nigra; antennis ferrugineis; abdom. articulis primis duobus nigris, cæteris flavis.
Habitat in *Salice.*
Craſſities abdominis ſuperat longitudinem antennarum. Tibiæ ferrugineæ. Aculei valvæ piloſæ.

720.

720. TENTHREDO *Amerina.*

— *long.* lin. 6.

LINN. Syſt. Nat. p. 555.
Faun. Svec. 2. 1536.
ROESEL. Veſp. Tab. 11. fig. 1.
Tab. 1. fig. 5. alter ſexus?

Diagn. Nigra; albis villis tomentoſa; antenn. clava, abdominis apice, tibiisque rufis.

Habitat in *Salice.*

Maxillæ magnæ, tridentatæ, validæ, ſquama albida plana marginata obtuſa ſemitectæ. Alæ apicibus fuſcis. Abdominis ſegmenta ſubtus pleraque rufa. Corpus cinereum ponit LINNÆUS, ſed vere nigrum eſt.

721. TENTHREDO *Nitens.*

— *long.* lin. 4½.

LINN. Syſt. Nat. p. 556.
Faun. Svec. 2. 1539.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 102.

Diagn. Tota viridi-cærulea, nitens; antennis ferrugineis; pedibus luteis.

Inveni in floribus.

Ante maxillas ſquama hemiſphærica, ferruginea. Maxillæ baſi unidentatæ. Alæ ſuperiores coſta ferruginea; litura in medio transverſa fuſca, faſciam mentiente. Aculeus ferrugineus. Il. LINN: ſpecimen caput & thoracem nigra poſſidet, quæ in noſtris abdominis colorem habent.

(**) *Antennis filiformibus:* articulis (7-8). (†)

722. TENTHREDO *Roſæ.*

— *long.* lin. 6.

LINN. Syſt. Nat. p. 555.
Faun. Svec. 2. 1549.

(†) Metu perculſæ antennas deflectunt, coloribus variant ratione ſexus; hinc ſpecierum verarum hujus Generis cognitio etiamnum manca.

Diagn. Corpus totum ſupra nigrum, ſubtus viridi-luteum. Antennæ, una cum coſta alarum anticarum, nigræ.

Apud nos paſſim occurrit.

Caput nigrum, ſub antennis nigris flavum. Thorax niger; linea laterali flava. Scutellum flavum. Adominis ſegmenta tria prima margine flaveſcentia; ſubtus omnia flava. Femora flava, cum aliquo virore. Tibiæ apice nigricantes. Manus nigræ.

Variat ſtatura minore, abdominis lateribus faſciis tot quod inciſuræ, quæ ſupra ſubtusque nigræ; marginibus flavis. Manibus flavo nigroque variis.

723. Tenthredo *Meſomela.*

— *long.* lin. 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 557.
Faun. Svec. 2. 1549.

Diagn. Flava; vertice capitis thoraceque ſupra nigro. Sub ſcutello par unum punctorum flaveſcentium. Abdomen linea dorſali nigra a baſi ad apicem producta.

In *Carniolia* non rara.

Deſcriptio *T. Meſomelæ* Cel. Linnæi huic magis, quam ulli aliæ convenit, licet in multis ſpecimina noſtra differant a *Linnæano*; iis enim antennæ ſupra nigræ, ſubtus flavæ. Caput flavum, oculis nigricantibus, macula nigra inter oculos in qua puncto duo flava cum intermedio tuberculo flavo. Thorax dorſo nigro, flavo-variegato. Scutellum flavum ſub quo utrinque punctum flavum. Abdomen flavum totum, ſed linea longitudinali nigra in medio ſuperne pictum. Thorax ad latera & ſubtus flavo-virens, immaculatus. Pedes flavo-virides; manus ſimiliter coloratæ, ſed annulis nigris faſciatæ. Alæ ad apicem macula obſoleta, ferruginea; coſta flaveſcente.

724. Tenthredo *Montana.*

— *long.* lin. 4¼.

Diagn. Nigra; tuberculis binis, flaveſcentibus ſub ſcutello; alis anticis coſta nigris.

In montanis diſtrictus *Idrienſis*, ſuper umbellas floridas *Laſerpitii ſiler.* in copula capta.

Mas inermis, totus niger; tuberculis ſcutello ſubditis albidis; lamina maxillotega alba; palpis albis; pedibus anticis mediiſque totis pallide flavis: poſticis femorum baſi lutea; abdominis apice lineola alba terminato; ligulis binis albis genitalia protegentibus.

Fæmina aculeata major, linea thoracis utrinque flava a baſi alæ anticæ ſurſum tendente, lamella maxillotega flava, palpis albidis, pedibus flavis ubi in mare albidi, abdomine baſi faſcia flava maculiſque binis lateralibus utrinque, tuberibus binis flavis genitale protegentibus.

725. TENTHREDO *Temula.*

— *long.* lin. $5\frac{1}{2}$.

Diagn. Nigra ore, punctis duobus ſub ſcutello; abdominis cingulo tertio, tibiiſque flavis.

In floribus *Petroſelini temuli*, frequens.

Abdomen ſubtus nullibi flavum; ſegmento quarto macula laterali, flava, cingulo adjacente. Femora antica & media ſupra flaveſcentia, ſubtus nigra; poſtica tota nigra. Alæ anticæ linea nigra marginali; coſta antice ferruginea.

Tenthr. Campeſtris LINN. differt a noſtra, antennis flavis, puncto ferrugineo ante oculos, ſcutello flavo, abdomine luteo: baſi & apice nigro, alarum macula ferruginea.

726. TENTHREDO *Cingulata.*

— *long.* lin. $3\frac{3}{4}$.

Diagn. Nigra; punctis binis ſub ſcutello; abdominis baſi macula trigona cinguloque quinto flavis.

Ruri degit.

Priore duplo fere tenuior; ore nigro; palpis flavis; cingulo abdomen totum adinſtar annuli amplectente. Femora poſtica ſubtus nigra: ſupra flava. Tibiæ rufæ.

Neque hæc *Tenthr. Campeſtris* LINN. dici poteſt.

727. Tenthredo *Faſciata.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Nigra; ore, abdominis cingulis duobus, pedibusque luteis.

In collibus & campis *Carniolia ſuper.*

Antennæ baſi flavæ. Palpi flavi. Puncta duo lutea ſub ſcutello. Linea thoracis utrinque alarum coſtis parallela. Faſcia cinguli abdominis primi ſemicylindrica ſubtus non præſens; dimidium ſegmenti ejuſdem occupans; faſcia ſecunda occupat totum ſegmentum quintum ſupra & infra. Pedes toti lutei, ſed genua poſtica nigra.

Tenthr. Rufipes Linn. eadem fere, ſed nomina rerum a fallacibus notis deſumpta non placent.

728. Tenthredo *Fulvipes.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Nigra; abdominis ſegm. 3, 4, 5, pedibusque fulvis.

In *Salice* capta, 3. May. M.

Antennæ ſupra nigræ, ſubtus fulvæ. Linea circa oculos, lamella maxillotega, palpi, & maxillæ baſi, pallide lutea. A baſi alæ ſuperioris ad apicem thoracis linea flava utrinque. Puncta duo flava ſub ſcutello. Abdomen linea lutea laterali; ſegmentis dictis & dimidia parte ſexti ſupra fulvis & ſubpellucidis. Femora tibiæque fulvæ; manus nigricantes. Alæ anticæ puncto nigro aut fuſco marginali. Inter femora antica & media punctum flavum utrinque.

729. Tenthredo *Atra.*

— *long.* lin. 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 557.
Faun. Svec. 2. 1552.

Diagn. Nigra; ore flavo; pedibus ferrugineo-rufis.

Ruri degit.

Antennæ abdominis longitudine. Alarum anticarum baſes pedibus concolores, in harum coſta linea nigra. Thorax linea flava a baſi alæ ſuper. ad apicem utrinque producta.

730.

730. Tentredo *Craſſa*.

— *long.* lin. 6.

Diagn. Nigra; antenn. apice, coſta alarum anticarum, tibiis, manibusque rufis.

In *Carniolia* calidiore.

Corpus craſſum, nigrum. Maxillarum baſes & palpi rufi. Tubercula duo rufa ſub ſcutello. Ante baſes femorum omnium macula albo-virens. Alæ apice fuſceſcentes.

731. Tenthredo *Flava*.

— *long.* lin. 5⅔.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 103.

Diagn. Antennæ, coſta alarum ſuperiorum, abdom. articuli quatuor primi, pedesque rufi. Caput, thorax ſubtus, & abdominis apex, nigra.

Habitat in *Carnioliæ* interioris apricis.

Os flavum. Thorax ſupra rufus. Alarum omnium apices fuliginoſi. Ante femora poſtica macula flaveſcens.

Tenthr. Abietis. Linn. definitio, huic quoque convenit, quæ *Pratenſis. Syſt. Nat.*

732. Tenthredo *Signata*.

— *long.* lin. 4.

Diagn. Nigra; punctis infra ſcutellum binis, manibusque poſticis flaveſcentibus.

Circa *Idriam.* Aprili. M. capta.

Tota nigra. Macula albida ad baſes femorum poſticorum. Tibiæ anticæ & poſticæ flaveſcentes. Alæ hyalinæ; anticæ coſta fuſca.

733. Tenthredo *Carbonaria*.

— *long.* lin. 3.

Diagn. Tota nigra, nitens; abdominis articulis ſingulis utroque latere puncto depreſſo ſuperne notatis.

In floribus *Hellebori roſei*, copioſa, Aprili M.

Alæ fuſceſcentes, hyalinæ, puncto nigro marginali. Maxillæ apice bidentatæ. Antennæ lin (1½) longæ. Aculeus ferrugineus, rectus. Alæ ad lentem punctulis obſcurioribus, piliferis, adſperſæ.

734. Tenthredo *Ribeſii.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Nigra; abdomine ſubtus pedibusque flaveſcentibus.

Habitat in *Ribeſio rubro* & *Groſſularia.*

Larva pallide virens, tuberculis nigris parvis piloſis adſperſa; capite nigro; folliculum paratura ponit exuvias, pallida immaculata glabra fit; oculis nigris; ſegmento corporis primo duobusque ultimis luteis; dein alia die in eodem ramulo folliculum parat, ovo formicæ ſimilem, pallide luteum, unde poſt dies (14), orbiculariter exciſo apice, naſcitur

Inſectum nigrum, lin. (2½) longum; maxillis edentatis, abdomine pone dilatato, ſubangulato; alis hyalinis; puncto fuſco marginali; pedibus flaveſcentibus; antennis longitudine abdominis, quod ſubtus plerumque flaveſcens.

735. Tenthredo *Ceraſi.*

— *long.* lin. 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 557.
Faun. Svec. 2. 1547.

Diagn. Nigra tota; pedibus luteis.

Habitat in *Pruno ceraſo.*

Habitus & ſtatura *Tenthr. Ribeſii*, ſed pedes tantum flavi, & ſcutellum quoque flaveſcens.

736 Tenthredo *Fulviventris.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Caput, antennæ, thorax ſubtus, femoraque nigra; abdomen fulvum.

Apud nos non rara.

Thorax modo niger, modo fulvus, modo vero fulvo nigroque varius. Pedes colore abdominis, ſed femora nigra. Alæ anticæ coſta punctoque nigris.

737. Tenthredo *Impura.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Tota nigra; alarum coſta, tibiis, manibus, antennarumque apicibus rufis; alis apice fuſcis.

Circa

Circa *Tergeſtum* capta,

Corpus totum ſemiunciam longum, nitidulum, atrum. Antenn. articuli tres ultimi rufi. Femora poſtica longiora & craſſiora.

738. Tenthredo *Solitaria.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Nigra; ſegmentis abdominis tribus mediis, tibiisque poſticis rufis; punctis utrinque binis ad baſim femorum poſticorum antennarumque apicibus albidis.

Rarior, in pratis montanis.

Os flavum. Antenn. articuli (3-4) ultimi albo-lutei. Tibiæ anticæ flaveſcentes, medio flavo-rufæ. Alarum anticarum coſta nigra.

ICHNEUMON.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 560.

Aculeus exſertus: vagina bivalvi.

(a) Sirex *Linn. Faun. Svec.* 2. p. 396.

Alis poſticis plicatis; abdomine mucronato: aculeum ſubtus circa medium proferente.

739. Ichneumon *Gigas.*

— *long.* unc. 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 560.
Faun. Svec. 2. 1573.
Roesel. Veſp. Tab. 9. fig. 3. 4.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 104. Tab. 1. fig. 6.

Diagn. Niger; abdominis inciſuris, 1, 2, 7, 8, 9. ſuperne: nona utrinque, ferrugineis.

Habitat in *Pino abiete* & *pinea*, qua *fodinis Idrienſibus* illatus, ibidem etiamnum vivit, a Foſſoribus *Zuker* dictus, lampadibus involans eaſque extinquens.

Caput cum thorace villoſum, nigrum. Abdom. inciſuræ 3, 4, 5. 6. nigræ, holoſericeo nitore fulgidæ; inciſuræ reliquæ ſupra una cum maculis retro oculos, antennis, tibiis, manibus, & mucrone ab-

abdominis, ferrugineæ. Alæ coſta, veniſque fuſco-ferrugineis, ferruginea quoque tinctura ad baſim inquinatæ. Ante mortem filum tenuiſſimum circinatum ex aculeo promit, volans ſtridet, acu transfixus pulſum in collo conſpicuum habet, tempore ſyſtoles ſuccum e vulnere fundit; ungues baſi dente inſtructos gerit.

Mas minor, inermis; abdomine extrorſum dilatato fulvo, tibiis fuſcis: baſi & apice ferrugineis.

740. Ichneumon *Spectrum.*

— *long.* lin. 7½.

Linn. Syſt. Nat. p. 560.

Faun. Svec. 2. 1574.

Diagn. Niger; litura ante alas lutea; pedibus ferrugineis; aculeo valvis longiore.

Habitat in ſemiputrido ligno.

Aculeus toto corpore longior. Mucro abdominis baſi attenuatus. Locus, unde naſcitur aculeus, ferrugineus in medio abdominis. Abdomen tenuius, quam in ſequente.

741. Ichneumon *Juvencus.*

— *long.* lin. 8½.

Linn. Syſt. Nat. p. 560.

Faun. Svec. 2. 1575.

Diagn. Atro cæruleus nitens; thorace villoſo; abdomine violacea tinctura decolore: mucrone conico.

Inveni circa *Idriam*, in nemore *Weichenthall*, inſidentem dejectæ *Abieti.*

Antennæ articulis (20). Alæ apicibus paulo obſcurioribus. Pedes rufi. Aculeus lin. (4½) longus. Abdominis acumen margine ad apicem denticulato.

742. Ichneumon *Camelus.*

— *long.* lin. 10½.

Linn. Syſt. Nat. p. 560.

Faun. Svec. 2. 1576.

Diagn. Niger; abdomine ſegmentis ſingulis utrinque macula alba, acuta, pedibus rufis.

Ex

Ex intimis cuniculis *Fodinarum Idrienſium* ad me delatus.

Antennæ, quas Ill. Linnæus thorace breviores habet, nobis certe longiores & ubique nigræ. Longitudo totius a capite ad acumen abdominis unciam & lineas quatuor æquat; latitudo vero ſumma thoracis lin. (2). Oculi albida linea cincti. Thorax antice ſupra alas linea alba laterali; inter alas poſticas punctum rotundum cum ſubjecta linea alba, baſis ejuſdem linea alba transverſa punctoque notata. Aculeus corpore toto longior. Pedes toti rufi.

(b) *Alis omnibus planis, nec plicatis.*

(*) *Antennis faſcia albida.*

743. Ichneumon *Uſurpator.*

— *long.* lin. 6.

Diagn. Niger; abdomine fulvo: inciſuris quatuor ultimis nigris; femoribus fulvis.

In *ſuperiore Carniolia.*

Scutellum thoraci concolor. Oculi rufi. Abdomen baſi & apice nigrum. Aculeus rufus, lin. ($6\frac{1}{2}$) longus. Mari alæ hyalinæ, ſtatura minor, abdomen duplo tenuius.

744. Ichneumon *Gladiator.*

— *long.* lin. $4\frac{1}{2}$.

Diagn. Niger; femoribus fulvis; aculeo corpore duplo longiore.

Habitat in cultis.

Antennæ corporis longitudine: annulo albo. Scutellum thoraci concolor. Tibiæ nigræ. Palmæ poſticæ albidæ; unguibus nigris. Abdomen petiolatum, lin. $2\frac{1}{2}$ longum non computato petiolo. Alæ hyalinæ.

745. Ichneumon *Incubitor.*

— *long.* lin. 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 563.
Faun. Svec. 2. 1602.

Diagn. Abdomen ellipticum pedesque rufi. Aculeus abdomine brevior.

In

In collibus ſylvoſis captus Auguſto M.

Antennæ nigræ; faſcia alba, corpore breviores. Caput nigrum. Thorax rufus, pone niger. Abdomen politum petiolatum, apice fuſcum, punctoque albo terminatum. Abdomen ſubtus in medio tumiorem gerit, e quo aculeus, ut in *Ichneumon. Ordin. I.* Specimen *Linnæanum* thorace toto nigro.

746. Ichneumon *Deceptor*.

— *long*. lin. 3.

Diagn. Niger; ſcutello punctoque ſub alis anticis flavicante; abdomine fulvo: apice nigro, albidoque puncto terminato.

Paſſim occurrit.

Pedes fulvi, ſed femora nigra. Alæ anticæ puncto marginali ferrugineo. Aculeus vix exſertus Entomologum facile decipit, ut pro *Sphege* adſumatur.

747. Ichneumon *Viator*.

— *long*. lin. 5.

Diagn. Totus niger; femoribus fulvis.

Habitat in calidiore *Carniolia*, inquietus & ſæpe migrans de loco in locum.

Abdomen petiolatum, tres lineas longum, aculeo longius. Alarum anticarum coſta nigra.

(**) *Antennis totis nigris.*

748. Ichneumon *Excitator*.

— *long*. lin. $8\frac{1}{2}$.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 105.

Diagn. Niger; abdomine ſupra lineis quatuor transverſis albidis, ſubtus lamina vomeriformi.

In interiore *Carniolia*.

Caput & thorax villoſus, abſque maculis; punctum rufum ad baſim thoracis. Palpi rufi. Alæ coſta fuſceſcente lineaque rufa marginali. Squama concava, acuminata, vomeri ſimilis, ſub abdomine. Aculeus corpore brevior, lin. (9) longus. Pedes rufi: medii & antici baſi nigri.

749.

749. Ichneumon *Terebrator.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Niger; pedibus fulvis: poſticis craſſioribus fulcratisque; abdomine ſubtus ſpina canaliculata.

In *Carniolia media.*

Scutellum nigrum. Aculeus abdomine gibbo lucido brevior. Femora poſtica craſſa, longiora, nigræ baſi impoſita. Alarum apices fuliginoſi.

750. Ichneumon *Viſitator.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Niger; pedibus fulvis; aculeo longitudine abdominis: valvis piloſis.

Super arborum & plantarum folia jugiter discurrens.

Abdomen apice ſubtus quaſi dente notato. Femora æqualia. Scutellum nigrum.

751. Ichneumon *Manifeſtator.*

— *long.* lin. 8½.

Linn. Syſt. Nat. p. 563.
Faun. Svec. 2. 1608.

Diagn. Niger; abdomine ſeſſili cylindrico; aculeo corpore longiore; pedibus fulvis.

In locis ſterilibus.

Abdomen fere unciale, teres, immaculatum. Aculeus, in ſpecimine miſſo ab Amiciſſ. P. Poda, unciam & lin. novem longus. Intervallum, quod inter pedes anticos mediosque intercedit, æquale eſt longitudini ſegmenti ultimi abdominis. Alæ coſta nigra, pallide rufo puncto interrupta.

752. Ichneumon *Cunctator.*

— *long.* lin. 5½.

Roesel. Veſp. Tab. 12. fig. 2. 3.
P. Poda. Muſ. Græc. pag. 105. Braſſicariæ.

Diagn. Niger villoſus; antennis pedibusque rufis; aculeo brevi: valvis ſubclavatis.

Habitat in pupa *Papilionis Cratægi.*

An-

Antennæ articulis non ultra (30). Totum corpus exiguis villis pubeſcens. Palporum articulus ultimus rufus. Scutellum albo puncto notatum. Abdomen ſubpetiolatum: aculeo lineas duas vix longo, cujus valvæ villoſæ & apice dilatatæ.

Non poteſt confundi cum *Ichn. Compunctore* Linn. qui minor, antennis corpore dimidio brevioribus, ſubtus luteis, &c.

753. Ichneumon *Speculator*.

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Totus rufus & nitens; aculeo abdomine duplo breviore.

Inventus in *Corylo*.

Ad lentem villoſus. Femora poſtica clavata, longiora reliquis & craſſiora. Antennæ abdomine longiores, toto corpore breviores. Alæ ferrugineæ.

754. Ichneumon *Inquiſitor*.

— *long.* lin. 4.

Diagn. Niger; alis hyalinis; pedibus fulvis; tibiis poſticis flavis, nigro-annulatis.

Vagatur ruri & circa hortos, domos etiam intrans, ſub finem Octobris in feneſtra mei Muſeoli captus.

Antennæ totæ nigræ, abdomine breviores. Alæ anticæ puncto ferrugineo-marginali. Abdomen ſubſeſſile: aculeo antennis breviore. Tibiæ poſticæ faſciis binis atris.

755. Ichneumon *Vinulæ*.

— *long.* lin. 4½.

An *Flavus* Linn.? Deſcriptio non recedit.

Diagn. Totus rufus; abdomine falcato: aculeo brevi.

Habitat in larva *Phalænæ Vinulæ*.

Larva hæc matura rodit corticem *Salicis*, eaque ſcobe cum glutine proprio folliculum parat coriaceum oblongum pallidum. Hunc ſi aperias poſt hebdomadam, videbis in eo cellulas (5-7) tenues oblongas, intra quas totidem larvæ albæ, flavo ſucco plenæ, unde altero anno, Majo M. prodeunt totidem *Ichneumones* non flavi, ſed ſemper fer-

ferruginei, oculis nigris, antennis corpori æqualibus, abdomine falcato petiolato, apice truncato; aculeo lineam longo tenui: valvis villoſis; alis hyalinis.

756. Ichneumon *Aſſectator*.

— *long.* lin. 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 566.
Faun. Svec. 2. 1627.

Diagn. Antennæ alis, alæ abdomine breviores; tibiæ poſticæ craſſæ, clavatæ: faſcia flaveſcente.

Floribus involat, præcipue *Umbellatis*, quibus inſidet porrecto abdomine.

Niger. Antennæ abdomine duplo breviores. Alæ hyalinæ; lineola nigra marginali. Pedes poſtici abdominis longitudine. Abdomen vix falcatum, lin. (3½) longum extrorſum craſſius, ſegmentis 1, 2, 3, latere fulvis. Aculeus lineam longus.

757. Ichneumon *Victor*.

— *long.* lin. 4.

Diagn. Niger; antennis longis, pedibus, ſegmentiſque abdominis 2, 3, 4, fulvis.

Ruri degit, ſuper folia diſcurrens, obvia inſecta cuncta depellens.

Antennæ corpore longiores. Palpi longi, antennis concolores. Abdomen fulvum, baſi & apice nigrum. Aculeus ſemilineam longus. Alæ hyalinæ, puncto nigro marginali. Femora poſtica nigricantia.

758. Ichneumon *Impoſtor*.

— *long.* lin. 4.

Diagn. Niger; alis fuſcis; abdomine ovato rubro.

Circa *Labacum* captus.

Antennæ nigræ, alarum anticarum longitudine. Oculi fulvi. Thorax nitens, villoſulus. Alæ omnes nigricantes: anticæ longitudine corporis. Abdomen miniatum, ovatum; aculeo brevi, nigro. Pedes nigri.

759.

759. Ichneumon *Vagator*.

— *long.* lin. $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Niger; abdomine ſubtus fulvo; alis fuſceſcentibus.

Inquietiſſimum animal ſuper arborum folia continuo diſcurrit.

Antennæ corporis longitudine. Aculeus lineam longus. Abdomen ovatum, ſupra fuſcum, ſubtus fulvum. Alæ hyalinæ, fuſceſcentes: apice pallidiores.

760. Ichneumon *Cannabis*.

— *long.* lin. $1\frac{1}{3}$.

Diagn. Niger; ſcutello flavicante; abdomine baſi pedibusque rufeſcentibus.

Prodiit mihi ex pupa *Muſcæ Cannabinæ*.

Thorax aculeo longior. Alæ hyalinæ: anticæ puncto marginali. Antennæ abdominis longitudine.

761. Ichneumon *Tipulæ*.

— *long.* — —

Diagn. Niger; abdomine ovato, nitido: apice rufo; pedibus flaveſcentibus.

Natus mihi ex pupa *Tipulæ Boleti*.

Antennæ alarum poſticarum longitudine. Abdomen ſubſeſſile, longitudine aculei.

762. Ichneumon *Pavoniæ*.

— *long.* — —

Diagn. Niger; antennis baſi pedibusque ferrugineis.

Prodiit ex larva *Ph. Pavoniæ* in pupam mutandæ intra folliculum.

Vermiculus net ſibi folliculum tenuem, oblongum, fuſco-ferrugineum.

Idem natus mihi ex pupa *Phalænæ Tortricis* cujusdam in *Mali* folio convoluto latentis.

763. Ichneumon *Pectinicornis*.

— *long.* — —

Linn. Syſt. Nat. p. 568.
Faun. Svec. 2. 1647.

Diagn.

Diagn. Antennæ (maris, quinquenodiæ: nodis primis tribus, ramos totidem proferentibus.

Ex larva *Phal.* nati vermiculi aliquot, demum involuti ſeorſim, unde totidem animalcula.

Huic caput & thorax viridi-aurata, ſcutello ſaturatiore. Abdomen æneo-nigrum, baſi pedum colore. Pedes pallidiſſime lutei. Antennæ maſculæ, baſi pallide vireſcentes, glabræ; quæ in *fœmina* ſimplices ſunt. *Ichn. Pectinicornis* Linn. ab hoc forte diverſus eſt.

764. Ichneumon *Graminum.*

— long. — —

Diagn. Æneo-fuſcus; abdomine ſeſſili acuminato nitente; oculis bruneis; tibiis albidis.

In culmis graminum, ac præſertim *Anthoxanthi*, ſupra medium, videtur cruſta albida, ſemiunciam longa, culmo circumpoſita; huic fundamento inædificat pupa celluloſum rete, oblongum, ſpongioſum, intra quod pupa, unde Junio M. circa æquinoctium prodit animal antennis abdomine brevioribus infractis: articulis ſupra fracturam (9) æqualibus, baſi craſſioribus, palpis tenuibus, thorace minus nitido; abdomine elliptico, aculeo non evidenti; alis hyalinis, immaculatis.

765. Ichneumon *Antiopæ.*

— long. — —

Linn. Syſt. Nat. p. 567.
Roesel. Inſ. 1. p. 8.

Diagn. Viridi-auratus lucidus; pedibus ferrugineis.

Ultra (200) bis mihi prodierunt ex pupa *Papil. Antiopæ;* idem obſervavit & pinxit Roesel. Sed etiam ex pupa *Papil. Sinapis* triginta circiter nati.

Antennæ nigræ, apice dilatatæ, abdominis longitudine. Alæ puncto fuſco notatæ. Agile animal, continuo pedum poſteriorum ad abdomen, & anteriorum ad antennas attritu, ſe ſe abſtergens. Oculi brunei. Ill. Linn. in Syſt. Nat. alium Roeselii locum citat.

766. Ichneumon *Globatus.*

— *long.* — —

Linn. Syſt. Nat. p. 568.
Faun. Svec. 2. 1645.
Roesel. Veſp. Tab. 4. fig. 3. 4.
Frisch. Inſ. 6. Tab. 10.

Diagn. Niger; abdomine flavo: apice nigro.

Plantarum caulibus adhærent globi ſericei, cui ſæpe adhærent exuviæ larvæ *Papil. Cratægi*, ex qua nati vermiculi, intra eum globum latitantes, cujus filamenta bombycinis cedunt nihil.

767. Ichneumon *Glomeratus.*

— *long.* — —

Linn. Syſt. Nat. p. 568.
Faun. Svec. 2. 1646.

Diagn. Niger; pedibus flaveſcentibus.

Septembri M. in *Braſſica oleracea* reperiuntur larvæ flavo nigroque variæ, unde ſemper prodierunt mihi vermiculi multi, eodem momento flavum folliculum ſibi parantes, quorum multi in unum acervum congeruntur.

SPHEX.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 569.

Alæ absque plicis. Os ſine probofcide.
Aculeus reconditus.

(*) *Abdomine petiolato.*

768. Sphex *Truncata.*

Alæ anticæ *long.* lin. 7.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 107.

Diagn. Ferruginea; abdomine falcato, compreſſo: apice truncato, dilatato, nigro.

Habitat in pupis *Phalænarum*, quæ in *Salice* degunt; mihi ex pupa *Phal. Laneſtris* orta.

Ambigit hoc inter & prædictum genus, cum apices valvarum exſerti, ſeta vero recondita.

An-

Antennæ corporis longitudine. Oculi fuſci. Occiput tuberculis tribus nigris.

769. SPHEX *Craſſicornis.*

— *long.* lin. 7.

Diagn. Ferruginea; antennis apice oculis abdominisque apice nigris.
Habitat in pupis *Lepidopterorum.*

Var. 1. Alarum longitudine data; antennis nigris: baſi ferrugineis, alarum ſuperiorum longitudine; oculis fuſcis; tuberculis occipitalibus tribus nigris; thorace nigro: ſcutello ferrugineo; alis apice obſcurioribus: coſta ferruginea, abdomine lin. (6) longo, lanceolato ferrugineo: apice nigro; pedibus ferrugineis: femoribus poſticis apice faſcia nigra annulatis.

2. Statura eadem, ſed antennis apice nigris, thorace fuſceſcente, femoribus poſticis ſubtus ad apicem macula fuſca; cæterum eadem cum priore.
Habitat in pupa *Sphingis Tiliæ.*

3. Antennis ferrugineis, medio pallidioribus, apice nigris; ſtatura minore; thorace abdomini concolore utrinque.

P. PODA. Muſ. Græc. p. 107. Diſparis.

Habitat in pupa *Phalænæ Diſparis.*

770. SPHEX *Sabuloſa.*

— *long.* lin. 4.

LINN. Syſt. Nat. p. 569.
Faun. Svec. 2. 1648.
FRISCH. Inſect. 2. Tab. 1. fig. 6. 7. 8.

Diagn. Nigra; abdomine clavæformi, longitudine pedum mediorum; petiolo biarticulato: articuli ſecundi poſtica parte, ſegmento primo toto, ſecundo vero dimidia parte, fulvo colore tinctis.
Habitat in aridis, incultis, ſabuloſis.

Huic quoque propria ſunt. Caput craſſum. antennæ thorace non longiores. Alæ abdomine

breviores. Roſtrum bivalve: valvis palpigeris: palpis ſexnodiis. Aculeus biſetus: ſeta una breviore & tenuiore.

771. Sphex *Fuliginoſa*.

— *long*. lin. $3\frac{2}{5}$.

Diagn. Nigra; alis hyalinis: apice fuſceſcentibus; ſpinis tibiarum rufis.

Unguibus *Pici atri* eripui, Auguſto M. in ſylva quadam.

Antennæ thoracis longitudine. Caput anticis pilis ſubargenteis pubeſcens. Abdomen ſubfalcatum, teres, nitens: petiolo ſubclavato.

772. Sphex *Hirſuta*.

— *long*. lin. $5\frac{1}{2}$.

Diagn. Nigra; capite thoraceque pubeſcentibus; abdomine antice fulvo.

Apud nos non rara in cavis ſemitis.

Antennæ lin. ($2\frac{2}{3}$) longæ. Maxillæ longæ, arcuatæ. Abdominis petiolus niger, lineam longus. Abdom. lin. ($3\frac{1}{2}$) longum, media parte fulva, altera eaque poſtica nigra. Femora piloſa. Tibiæ omnes ſpinoſæ.

773. Sphex *Cincta*.

— *long*. lin. 4.

Diagn. Nigra; abdominis ſegmentis 1, 2, tibiisque flavis.

Habitat in agro *Tergeſtino*.

Antennæ alis anticis longiores. Abdom. petiolus niger; ſegmentum primum flavum, ſed ſuperne macula nigra poſtice emarginata magna notatum, ſegmentum ſecundum totum flavum. Femora clavata. Tibiæ & palmæ flavæ.

774. Sphex *Æquinoctialis*.

— *long*. lin. $2\frac{1}{2}$.

Diagn. Nigra; abdomine ſubtus linea flava longitudinali; tibiis fulvis.

In collibus *Carnioliæ ſuper*. circa æquinoctium vernum,

An-

Antennæ lin. (2) longæ. Alæ hyalinæ: anticæ baſi coſtaque puncto flavo notatæ. Abdomen nitens, aculeo fulvo.

775. Sphex *Profuga.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Nigra; abdominis inciſuris, 1, 2, tibiisque rufis, antennis longitudine corporis.

In incultis non raro obvia.

Antennæ totæ nigræ, lin. (5½.) longæ. Alæ hyalinæ; coſta fuſca; puncto ferrugineo. Abdominis petiolus niger; margine poſtico fulvo, ſegmentum tertium antice fulvum. Pedes antici & medii toti rufi, femora poſtica eorumque tibiæ apice nigræ. Frons flava.

776. Sphex *Furcata.*

— *long.* lin. 1½.

Diagn. Thorax poſtice furcula terminatus. Abdomen ovatum, nitens, ſurſum flexum.

Inveni inſidentem foliis *Origani vulg.* 3. Auguſti.

Caput virens, ut & thorax. Abdomen nigrum, ſplendens; petiolo capillari ferrugineo uniarticulato. Pedes ferruginei.

777. Sphex *Gregaria.*

— *long.* lin. 1½.

Diagn. Nigra; abdomine cingulis fulvis; pedibus flaveſcentibus.

Harum plures choreas aereas ineuntes vidi, floribusque inſidentes.

Antennæ alarum longitudine. Alæ hyalinæ; puncto nigro marginali.

778. Sphex *Coarctata.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Nigra; abdomine ad apicem petioli clavati coarctato: cingulis duobus apiceque rufis.

Rarior in pratis.

Antennæ baſi flavæ, thorace breviores. Caput craſſum. Thorax ſubrotundus. Abdominis petiolus infundibuliformis, ſegmentum tertium reliquis majus.

majus. Femora nigra: baſi & apice flava; tibiæ flavæ, ſed poſticæ fulvæ & craſſiores.

779. SPHEX *Anthracina.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Nigra, opaca, punctulisque confertis prominulis ſcabra; pedibus fulvis.

In hortis.

Antennæ fuſco-ferrugineæ, lin. (3⅝) longæ. Occipitis tubercula lucida. Alæ hyalino-ferrugineæ. Abdomen (abſque petiolo) lineas tres longum.

(**) *Abdomine ſubſeſſili.*

780. SPHEX *Viatica.*

— *long.* lin. 4½.

LINN. Syſt. Nat. p. 570.
Faun. Svec. 2. 1651.
FRISCH. Inſ. 1. Tab. 1. fig. 13. abſque cingulis anticis nigris,

Diagn. Nigra; abdominis dimidia parte antica ſuperne fulva: cingulis duobus atris; pedibus æque dilutis: poſticorum femoribus ſemi fulvis.

In hortis & circa vias, frequens.

Antennæ lin. (3) longæ. Caput & thorax pubeſcens. Pedes, abdomen apice ſubtusque, nigra. Varietas, aut ſexus alter, abdomine antice fulvo & abſque cingulis nigris, minus pubeſcens, & ſtaturæ minoris, nec non pedibus poſticis totis nigris, ſemel a me viſa, qualem FRISCHIUS habet loc. cit.

781. SPHEX *Apiaria.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Nigra & piloſa tota; antennis thorace brevioribus.

In floribus nectar colligit paſſim.

Porrecto roſtro caret, alasque rufo-fuſcas lucidasque gerit.

782. SPHEX *Carbonaria.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Tota nigra; alis hyalinis.

In pratis, & circa ſepes.

Pedes

Pedes huic quoque nigri, corpus vix piloſum, antennæ thorace longiores.

783. Sphex *Verſicolor.*

— *long.* lin. 4.

Linn. Syſt. Nat. p. 571.
Faun. Svec. 2. 1659.

Diagn. Nigra; abdomine maculis tribus albidis; alis apice fuſcis; femoribus poſticis fulvis.

Inveni in floribus *Paſtinacæ ſat.*

Statura *Viaticæ*, & etiam major, pilis paucis infra antennas & in apice abdominis adſperſum corpus gerens, alibi glabra. Antennæ lin. (3) longæ. Abdomen faſciis obſolete admodum cinereis, quatuor, quarum prima maculas duas albidas, tertia unicam habet. Femora poſtica ſola fulva; tibiis ibidem uno latere duplicato denticulatis; ſed & aliæ pedes rufos gerunt.

784. Sphex *Nigerrima.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Atra tota; alarum apicibus fuſcis.

Ruri habitat.

Antennæ abdomine longiores. Maxillæ tridentatæ. Baſes femorum mediorum & poſticorum argenteo fere nitore fulgidæ. Abdomen oblongum, absque petiolo, lin. (2) longum.

Ex oblongo, cineraſcente, antice dilatato folliculo nata mihi, e quo probabiliter *Muſca* aliqua prodiiſſet.

785. Sphex *Vaga.*

— *long.* lin. 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 571.
Faun. Svec. 2. 1664.

Diagn. Nigra; thorace punctis binis, abdomine quatuor lateralibus, tibiisque flavis.

Circa *Idriam* capta.

Antennæ capitis longitudine, baſi flaveſcentes. Thorax puncto flavo laterali antico ſupra alas. Abdomen thorace tenuius, vix longius, nitens, latere ſingulo maculis quatuor flavis, quibus differt a *Linnæana*, quæ faſcias, loco macularum, habet, quamvis unicam integram.

786. Sphex *Gibba.*

— *long.* lin. 2¾.

Linn. Syſt. Nat. p. 571.
Faun. Svec. 2. 1658.

Diagn. Nigra; abdomine fulvo: apice nigro; alarum apicibus fuſceſcentibus.

In herbidis collibus *Carniolia.*

Antennæ abdomine longiores. Alæ hyalinæ. Pedes nigri. Alæ anticæ puncto rotundo pallido intra apicem fuſcum. Nec diverſa videtur alia, paſſim obvia; abdomine baſi macula nigra; femoribus apice tibiisque totis fulvis. Invenitur & major; abdomine ferrugineo, gibboſo, verſus apicem nigro.

787. Sphex *Bilocularis.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Abdomen ſubtus in duo loculamenta diviſum; ſepto longitudinali tibiisque luteis.

In Diſtrictu *Idrienſi.*

Alæ hyalinæ; puncto nigro marginali. Antennæ abdomine longiores nigræ. Caput & thorax nigra. Abdomen ſupra nigrum, aut fulvum: baſi nigrum. Pedes flavi, femoribus fulvis.

(***) *Abdomine ſeſſili.*

788. Sphex *Abietina.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Nigra; abdomine fulvo: baſi nigro: alis anticis faſciis duabus, fuſcis.

In nemoribus abietinis *Carniolia ſuperioris.*

Animal ſeptem fere lineas longum; Antennis nigris, abdomine non longioribus, prope baſim ſuperne albis, ex antica capitis parte prope maxillas prodeuntibus; lineola alba utrinque inter frontem & oculum. Tibiæ ſuperne maxima parte albæ. Aculei regio nigra.

789. Sphex *Veſpoides.*

— *long.* lin. 5½.

Diagn. Nigra; abdomine baſi ſegmentisque omnibus (ſecundo excepto) faſcia flava marginali.

Duæ

Duæ mihi natæ, ex pupis *Phalænæ Laneſtris.*

Antennæ nigræ, lin. (4½) longæ, craſſiuſculæ, apice attenuatæ. Maxillæ nigræ edentatæ. Frons lutea, linea media nigra. Palpi flavi, articulis (2-3): extremo nigro & craſſiore. Thorax lineola flava laterali ſupra alas, poſtice punctis duobus flavis. Abdominis ſegmentum primum flavum, ſecundum nigrum, reliqua nigra ſed cingulo flavo marginali diſtincta; abdom. longitudo qualis antennarum, ſuperficies punctulato-rugoſa ad apicem piloſa. Pedes antici & medii toti flavi: linea nigra ſubtus ad femora; poſtici flavi: femoribus ſeminigris. Alæ lucidæ, ſubferrugineæ, ad apicem vinoſo-hyalinæ. Habitus *Veſpæ Feneſtralis.*

790. Sphex *Tenthredoides.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Nigra; alis hyalinis; pedibus albonigroque variis.

Antennæ in cadavere deflexæ, abdominis longitudine. Femora poſtica tota nigra, antica & media ſuperne linea alba; tibiæ albæ. Punctum album ad baſim femoris poſtici. Alæ hyalinæ. Aculeus non ſerratus, ſed genti ſuæ proprius.

791. Sphex *Ignita.*

— *long.* lin. 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 571.
Faun. Svec. 2. 1665. Chryſis.

Diagn. Viridi-cærulea aut cyanea; abdomine aurato-rubro: apice quadridentato.

Circa muros.

Caput & thorax punctis prominulis ſcabra. Tubercula tria fuſca occipitalia. Oculi nigricantes. Antennæ fuſcæ, thoracis longitudine. Thorax ſub alis utroque in latere dentibus binis. Abdomen flammeo-auratum, nitidiſſimum; ſubtus aureo-virens. Aculeo longo, planiuſculo: apice piloſo.

792. Sphex *Nobilis.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Caput, pedes, thorax poſtice, colore viridi; abdomen aureo colore tinctum: apice rotundato edentato.

Inveni in floribus *Ptharmicæ millefolii.*

Thorax pallio aureo ad baſes alarum uſque producto tectus, alibi capiti pedibusque concolor. Abdomine ſupra, nullum ſplendidius aurum. Alæ apice fuſceſcentes. Abdomen ſubtus fuſcum. Aculeus ſetaceus, longus: valvis piloſis, quibus adjacent duo alia corpuſcula pallida ſetacea incurva.

793. Sphex *Violacea.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Tota violacea nitens; abdomine pone rotundato, edentato, ſubtus virente.

Unam cepi, circa *Tergeſtum.*

Alæ apice fuſceſcentes. Corpus brevius quam priorum.

APIS. (†)

Linn. *Syſt. Nat. p.* 574.

Roſtrum porrectum, inflexum, melliſugum, bivalve, 1-3-ſetum.

(*) *Antennis rectis.*

794. Apis *Longicornis.*

Alæ anticæ *long.* lin. 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 574.
Faun. Svec. 2. 1684.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 109.

Diagn. Nigra, hirſuta; antennis longitudine corporis.

Paſſim occurrit.

Anten-

(†) *Apes* indefeſſæ, anthophilæ, diſperſo polline antherarum Floræ regnum extendunt, ſed & eodem alienis thalamis illato, plantarum varietates introducunt, Botanicorum ſyrtes. Sonus & hirſuties in his ſpeciebus gradatim aucta, incertos reddit Ordines inde petitos, quos nobis antennæ ſuppeditarunt. Apes, quæ flores plantarum aſperifoliarum ſæpius frequentant, eroſas acquirunt alas.

Antennæ nigræ, lin. (5½) longæ. Maxillæ apice obiter tridentatæ. Caput antice flaveſcens. Dorſum & abdomen antice hirſuta. Roſtrum triſetum, præter valvas duas baſi ſubtus palpigeras. Corpus nigrum.

Variat hirſutie thoracis abdominisque caneſcente, & rufa.

795. Apis *Sordida.*

— *long.* lin. 4⅓.

Diagn. Nigra; thorace hirſuto; ano tibiisque rufis.

Apud nos, non infrequens.

Paulo minor priore; antennis thorace brevioribus; alis anticis lineola ferruginea marginali, abdomine nitido; tibiis palmisque rufis.

796. Apis *Floriſomnis.*

— *long.* lin. 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 577.
Faun. Svec. 2. 1704.

Diagn. Nigra punctata; fronte albo-tomentoſa; abdomine incurvo: ſegmento ultimo utrinque unidentato.

In collibus herbidis, ſylveſtribus.

Noſtræ corpus æque longum ac in A. *Longiroſtri.* Abdominis anus non eſt dentatus, ſed margo ultimi ſegmenti unum dentem utrinque habet, quo diſtinguitur a congeneribus.

797. Apis *Atra.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Nigerrima tota; fronte & thorace antice ac poſtice albo-tomentoſis; abdomine ſubrotundo; alis ſemifuſcis.

In *Gariuſche*, inter *Veldes* & *Vochein*, capta An. 1761. ſuper flores *Laſerpitii latifolii.*

Statura *Longicornis*, ſed craſſior. Antennæ lin. (2) longæ. Ad baſim maxillæ cujusque tubercula tria: intermedio majore. Abdomen nitens, duas lineas longum & æque craſſum. Alæ fuſceſcentes, baſi excolores.

798.

798. Apis *Globoſa.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Nigra, rufo-pubeſcens; abdomine ſubrotundo; ſegmentorum margine antico longioribus pilis ciliato.

In montibus circa *Idriam.*

Antennæ longitudine abdominis. Roſtrum valde longum, ratione ſtaturæ corporis. Alæ anticæ coſta fuſco-ferruginea.

799. Apis *Centuncularis.*

— *long.* lin. 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 575.
Faun. Svec. 2. 1687.

Diagn. Abdomen ſubtus fulva lana tectum.

Habitat intra terram.

Antennæ longitudine thoracis. Abdomen baſi truncatum; ſegmentorum marginibus præſertim ad latera pilis pallide rufis ciliatis.

800. Apis *Farfariſequa.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Nigra, rufo-tomentoſa; abdomine ovato.

Conſpicua dum floret *Tuſſilago farfara*, cujus floribus inſidet, Aprili M.

Statura fere *Longicornis.* Antennæ lin. (1½) longæ, ſublucidæ. Maxillæ unidentatæ, longæ, baſi tuberculis duobus. Alæ anticæ lineola ferruginea, marginali.

801. Apis *Sabuloſa.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Pubeſcens; antennis longitudine thoracis; abdomine elliptico.

Aprili M. conveniunt in ſabulo ab aquis diſperſo, ibique nuptias inſtituunt, de loco in locum continuo volitantes, zephyro plaudente choreis.

Mas. fronte barbata pilis flaveſcentibus; thorace albido, pilis rufis utrinque pubeſcente.

Fæmina

Fæmina pigrior, craſſior; fronte barbata pilis nigricantibus; maxillis longioribus; thorace rufo-pubeſcente; pedibus ſubtus longius barbatis.

802. Apis *Riparia.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Nigerrima tota; capite thoraceque pubeſcentibus; abdomine lucido elliptico.

Duas inveni in floribus *Eryſimi barbareæ*, prope litus fluvii *Idriæ.*

Antennæ lin. (2½) longæ. Alæ fuſco-ferrugineæ, nube in medio obductæ. Maxillæ apice bidentatæ.

803. Apis *Calcarata.*

— *long.* lin. 2¼.

Diagn. Nigra; capite craſſo, pubeſcente; femoribus poſticis dente inſtructis.

Circa *Idriam* capta.

Antennæ extrorſum rufæ, thoracis longitudine. Caput thorace craſſius, piloſum. Abdomen ovatum.

804. Apis *Præcox.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Caput, thorax, abdomen baſi, albis villis pubeſcentia; antennæ longitudine abdominis elliptici.

Primo vere, flores adit.

Nigra tota; maxillis longis: apice rufeſcentibus; capite craſſo; alis hyalinis: linea ferruginea marginali. Variat fronte denſis longioribusque villis barbata, qualis in amentis *Salicis* copioſa reperitur.

805. Apis *Calceata.*

— *long.* lin. 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 578. Carioſa?

Diagn. Nigra; oris apice tibiiſque albidis; abdomine lucido cylindrico: antennarum longitudine.

In amentis *Salicis* frequens, etiam in ſylvis. Vidi etiam in panicula *Poæ cæruleæ* plures ſimul.

Thorax cum capite villoſus. Alæ hyalinæ; puncto ferrugineo terminatæ. Abdomen incurvum. Genua colore tibiarum.

806.

806. Apis *Montana.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Nigra; antennis abdomine pedibusque fulvis.

Capta in floribus *Laſerpitii ſileris.*

Corpus lin. (4.) longum. Antennæ articuli (10); 7, 8, 9, nigricantibus. Tuberculum fulvum in ſingulo latere thoracis, ſupra alas. Scutellum fuſco-fulvum. Thoracis latera ſub alis, & ejuſdem pars poſtica ſubargenteis villis pubeſcentia. Alæ limbo obſcuriore. Pedes fulvi; femorum baſi nigra. Abdomen antennarum longitudine, ellipticum, nitens, fulvum, in ſingulo latere maculis tribus flaveſcentibus.

Variat, tuberculis thoracis anticis flaveſcentibus, unicoque puncto luteo in latere ſingulo abdominis; nec non ore antice rufo, antennisque totis rufis.

807. Apis *Fulviventris.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Nigra; abdomine fulvo nitente: apice nigro.

In montanis *Carnioliæ.*

Antennæ thorace breviores. Caput & thorax punctulis prominulis ſcabra. Alæ hyalinæ; puncto fuſco marginali. Abdomen ellipticum, antennis longius. Palmæ pallide rufis villis adſperſæ.

808. Apis *Veſpiformis.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Nigra; antennis ſcutello pedibusque fulvis; abdomine ſupra cingulis flavis.

In floribus, præſertim *Umbelliferis.*

Lineas (3½) longa. Maxillæ, linea circum oculos, punctum in medio frontis, & labii margo, fulvi coloris. Thorax latere ſingulo linea punctoque fulvis. Scutellum punctis binis fulvis contiguis ſignatum. Alæ hyalinæ; limbo obſcuriore. Abdomen antennarum longitudine, ellipticum, nitens, glabrum; ſupra faſciis nigris flavisque

que alternantibus, ſubtus fulvum: cingulis anticis tribus nigris. Femora poſtica nigra.

(**) *Antennis baſi infractis.*

809. Apis *Ænea.*

— *long.* lin. 2.

Linn. Faun. Svec. 2. 1695.

Diagn. Ænea tota & villoſa; antennis nigris.

In floribus paſſim occurrit.

Parva, abdomine ovato obtuſo; ſegmentis duobus ultimis margine flaveſcentibus. Alæ hyalinæ.

810. Apis *Fuſca.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Fuſca, rufis villis adſperſa abdomine ſegmentis margine rufis.

Frequens in ſubmontanis noſtris.

Abdomen antennis longius, ellipticum, nitens. Pedes rufo villo pubeſcentes.

811. Apis *Mellifica.*

— *long.* lin. 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 576.
Faun. Svec. 2. 1697.
Spectacle de la Nat. Tom. I. Entr. VI.

Diagn. Thorax utrinque rufo-pubeſcens, abdomen fuſcum; ſegmentis margine rufis.

Copioſe & ſedulo culta in *Carniolia* præſertim *ſuperiore.*

Fœmina. Regina, aculeata, raro feriens, ictu ſibi non lethali, ſpadonum mater, antenn: articulis decem, tibiis ferrugineis: margine breviter ciliato, abdomine ſupra fuſco, ſubtus rufeſcente, Fucorum centuriis aliquot ſtipata evolat, fœcundatur in aere volans, Crabronis inſidiis in itinere, morti vero in reditu expoſita, ſi alienum ſubierit alveare. Hæc junior, per triduum, omni horæ quadrante, ſtridorem quemdam edit, eoque admonet emigraturum gregem; propagatur ab operariis ſeorſim propriis in cellulis ad favorum latera exſtructis.

Fuci

Fuci craſſiores quam Operariæ & villioſiores, inermes, otioſi, Reginæ mariti & comites, generantur ab operariis intra proprias & ampliores cellas; abſoluto vero fæcundationis Reginæ munere occiduntur, ejiciuntur.

Operariæ minores, mellifugæ, Reginæ filiæ, unius electores aliarumque carnifices, primo vere alvearia purgant a fordibus, mel & ceram colligunt, digerunt, conficiunt, multiplicatæ migrant, inſident arboribus in globum unitæ, pulſatæ ſartaginis vano clangore ſtipatæ, colligendæ vaſe idoneo melle oblito.

Flores apibus acceptos ſuppeditat apud nos princeps *Polygonum Fagopyrum*, ad quod ex montanis alvearia Auguſto M. a Ruſticis transferuntur.

Hoſtes ſunt Crabro, Hirundines, Tinea mellonella, Apes alienæ, Aranea Kleinii.

Oeconomiam Apum promovent 1. Purgatio diligens alvearium a larvis Tineæ mellonellæ. 2. Reginæ deficientis ſubſtitutio alterius, cavea tamen per octiduum prius incluſæ. 3. Subminiſtratio mellis in anonæ caritate. 4. Favi primi prope foramen alvearis exſtructi. 5. Morbidarum, enervium Apum & Spadonum interfectorum expurgatio. 6. Fagopyrum in vicina ſatum. 7. Caſtratio favorum labe infectorum. 8. Debilium corroboratio electuario cardiaco ex melle, vino malvatico & pulvere radicis Athamanthæ Mei. 9. Migrationis tempeſtiva obſervatio. 10. Migratarum collectio cauta.

Parvum animal, quam utile! *Politicis* Monarchiæ præſtantiam, Reipublicæ tranquillitatem, commercii culturam; *Ethicis* otii fugam, libidinis odium, curam prolis, amorem erga fratres; *Oeconomis* ſobriam ſedulitatem, innoxiam aliis induſtriam, occaſionis captandæ modum, commendat; *Medicis* mel & ceram offert, ſimplicium uſum ſuadet, aeris ſalubritatem indicat.

812.

812. Apis *Violacea.*

— *long.* lin. 8.

Linn. Syſt. Nat. p. 578.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 110.

Diagn. Bombinatrix, nigra; alis violaceis.

Apud nos non rara.

Roſtri ſeta media eſt fiſtula in medio exciſa, laterales canaliculatæ: baſi piloſum palpum proferentes. Maxillæ edentatæ. Aculeus rectus, ferrugineus, cui ad baſim adjacent verrucæ papillæformes oblongæ, ſub quibus aculei baſis pedunculum educit capitulo deflexo terminatum. Antennæ articulis duobus penultimis fulvis. Vidi etiam thoracis dorſo albido.

813. Apis *Lapidaria.*

— *long.* lin. 7½.

Linn. Syſt. Nat. p. 579.
Faun. Svec. 2. 1712.

Diagn. Bomb. nigra; abdominis apice fulvo.

Habitat inter lapides, prædatur mel apum, plerumque infeliciter.

Var. 1. Corpore lin. (9) longo; alis apice obſcurioribus; maxillis lineis tribus elevatis ſtriatis, tibiis poſticis ſubtus fulvis. Roſtri ſeta media rufa, ſub apice deflexo piloſa.

2. Duplo minor, alis apice non evidenter fuſceſcentibus, maxillis lævibus, tibiis utrinque nigris. Hæc habitat in collibus lapidoſis apricis, inter frutices. An ſpecies diverſæ?

814. Apis *Argillacea.*

— *long.* lin. 6¼.

Diagn. Bomb. nigra; thorace rufo: faſcia nigra.

Habitat in ſylveſtribus, imo & circa domos, favos ſtruens cretaceos.

Statura *Violaceæ*, & quandoque major. Alæ fuſco-rufæ. Corpus ſubtus totum nigrum.

815. Apis *Terreſtris.*

— *long.* lin. 7.

Linn. Syſt. Nat. p. 578.
Faun. Svec. 2. 1709.

Diagn. Bomb. nigra; thorace antice flavo; abdomine antice nigro, dein flavo, in medio nigro: apice albo.

Habitat in terra.

Maxillæ apice dilatatæ, ſubtus cochlearis adinſtar excavatæ. Roſtri ſeta media lin. (5) longa.

816. Apis *Rufa.*

— *long.* lin. 6.

Apis minima. R. P. Poda. Muſ. Græc. p. 110. huc trahi poteſt.

Diagn. Bomb. nigra; thorace abdominisque apice rufo.

In ſylvis habitat.

Variat ſtatura, nempe abdomine lin. (3-4) longo.

817. Apis *Hortorum.*

— *long.* lin. 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 1710.

Diagn. Bomb. nigra; thorace antice flavo; abdomine faſcia flava: apice albo.

In floribus paſſim occurrit.

Variat faſciis albidis.

818. Apis *Collaris.*

— *long.* lin. 4.

Apis pratorum Linn. Faun. Svec. 2. 1711, huc pertinere videtur.

Diagn. Bomb. nigra; thorace antice anoque flavis.

Cum priore circumvolat, minus frequens.

Abdominis apex anticæ thoracis faſciæ concolor.

819. Apis *Paſcuorum.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Bomb. rufa; antennis pedibusque nigris.

Habitat

Habitat in herbidis ſterilibus.

Thorax & abdomen rufo-tomentoſa ut & frons. Alæ apice paulo obſcuriores; ſed ſubtus thorax albido pilo tomentoſus; abdomen vero nigrum.

820. Apis *Hypnorum.*

— *long.* lin. 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 579.
Faun. Svec. 2. 1715.

Diagn. Bomb. nigra; thorace rufo; abdominis apice albo.

821. Apis *Nemorum.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Bomb. thorace albido: faſcia media nigra, abdomine ſegmento 1 fuſco, 2 fuſco-ferrugineo, 3 nigro, cæteris flaveſcentibus.

In nemoribus Diſtrictus *Idrienſis*, ſæpe vidi.

Inter meas minima; pedibus nigris; alis apice obſcurioribus.

822. Apis *Sylvarum.*

— *long.* lin. 5.

Linn. Faun. Svec. p. 2. 1713.

Diagn. Bomb. pallida; thoracis faſcia nigra; ano rubro vel rufo.

Habitat in ſylvis.

Antennæ, caput, pedeſque nigri. Abdomen ovatum: apice rufum.

823. Apis *Collium.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Bomb. thorace rufo; abdomine pallidis villis tomentoſo.

In collibus *Carniolia ſuper.*

Roſtrum huic abdomine longius.

VESPA. (†)

LINN. *Syſt. Nat.* p. 572.

824. VESPA *Crabro.*

Alæ anticæ *long.* lin. 10

LINN. Syſt. Nat l. c.
Faun. Svec. 2. 1670.
FRISCH. Inſ. 9. Tab 11. fig. 1.

Diagn. Abdominis ſegmentum primum rufum: margine flavo, ſecundum cæteris duplo longius fuſco-rufum: faſcia flava ſinuata marginali, reliqua. flava: punctis duobus fuſcis, ſed tertium ſegmentum inter puncta habet maculam trigonam fuſcam.

Nidificat in cavis arboribus, frequentat corticem *Quercus rob.* e quo exſtillantem humorem lingit, una cum *Scarabæis Nobilibus* & *Auratis.*

Gigas noſtrarum, horæis fructibusque maxime infenſa, corpore ſæpius unciali; maxillis apice tridentato nigro; thorace nigro: antice macula rufa laterali; aculeo recto, acutiſſimo, nigro; alis plicatis.

825. VESPA *Vulgaris.*

— *long.* lin. 6½.

LINN. Syſt. Nat. p. 572.
Faun. Svec. 2. 1671.
FRISCH. Inſ. 9. Tab. 12. fig. 1.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 108.

Diagn. Thorax antice utrinque macula trigona. Abdomen ſegmentis (5) flavis, nigro-bipunctatis, medioque ſemiabruptis.

Habitat ſub tectis.

Maxillæ flavæ, tridentatæ: dentibus nigris. Frons flava, poſtice emarginata, punctulo nigro in medio

(†) Maledictæ terræ ſoboles inviſa & audax aculeo exerendo cum *Api* convenit, differt vero ore mutico, abſentia ſacci melliferi, cellulis ſqualidis inutilibus.

medio notata. Supra antennas maculæ tres, contiguæ, flavæ, in unam ſeriem tranſverſam ordinatæ: media antice emarginata. Retro oculos linea flava ad maxillas uſque producta. Thorax ad baſim alæ ſingulæ ſuperioris tuberculo ovato flavo, ocellato: pupilla nigra; ſub iiſdem alis punctum triangulare; inter caput & alas macula trigona flava: angulo verticali ſaturatiore & coſtam reſpiciente; pars poſtica thoracis duo paria punctorum flavorum gerit. Abdomen ſegmento 1 flavo, ſubquadrata nigra macula in medio, punctoque nigro laterali utrinque ad angulum anticum; 2, 3, 4, faſcia lata flava marginali, in medio triquetro-exciſa, & uno pari nigrorum punctorum; apice flavo: linea nigra longitudinali. Pedes flavi; femoribus mediis & poſticis nigris: apice flavis. Pedibus anticis detergit antennas & os, poſticis abdomen.

826. Vespa *Sylveſtris.*

— *long.* lin. 6.

Diagn. Thorax antice utrinque lineola flava. Abdomen ſegmentis margine flavo repando cingulo diſtinctis.

Habitat in ſylvis, inter ramos arborum, ubi favum unum alteri inædificat, nudum aut cortice tenui veſtitum, cujus cellæ, cum larvæ perfectæ fuerint, operculo albo teguntur.

Differt a *Vulgari*; fronte flava absque puncto medio nigro, linea nigra media ab apice ad medium uſque producta; thorace antice lineola laterali non vero maculis trigonis, abdomine punctis nigris nullis. Neque pro altero ſexu prioris habeo, *Vulgaris* enim in hujus nido a me viſa nondum.

827. Vespa *Parietum.*

— *long.* lin. $5\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 572.
Faun. Svec. 2. 1673.
Roesel. Veſp. Tab. 7. fig. 8.

Diagn. Abdomen cingulis quinque flavis: 1, 2, invicem remotioribus, ſpatio intercepto bipunctato: punctis flavis fulvisve.

Habitat in trabibus antiquis, parietibus ligneis, feneſtris, non rara.

Nidus expoſitus, nudus, orbiculatus, inædificatus columnæ fuſcæ, in quo cellulæ (40-60) quibus mater ſuos fœtus concredit, excubias noctu & interdiu retro nidum agens; perfecta pupa tegitur cella operculo concolore, quod poſt dies 12-15, protrudit perfecta *Veſpa*, cui macula frontis flava, ſubrotunda, macula nigra in medio notata; punctum flavum, unum utrinque inter oculos & eam maculam; lineola flava transverſa ſupra antennas, aliaque retro oculos. Thorax antice linea terminatus flava, ſupra alas alia ſimili linea utrinque; poſtice tribus paribus punctorum flavorum, quorum ultimum ſunt potius lineolæ quam puncta. Pedes flavi; femoribus nigris.

Variat 1. Antennis ferrugineis, macula frontis puncto nigro oblongo transverſo inſcripta, abdom. ſegmento ſecundo punctis duobus flavis.

2. Antennis nigris, maculæ flavæ frontalis puncto nigro poſtice trilobo, abdom. ſegmento ſecundo punctis binis fulvis.

3. Antennis nigris, maculæ frontalis puncto lunato, abdom. ſegmento ſecundo maculis binis fulvis.

Delitiæ *Veſparum* ſunt fructus horæi, flores *Scrophulariæ*, *Cannæ Indicæ*, *Muſcæ*.

828. Vespa *Muraria*.

— *long*. lin. 4.

Linn. Syſt. Nat. p. 573.
Faun. Svec. 2. 1674.

Diagn. Abdomen faſciis quatuor flavis, ſecunda a prima remotiore & craſſiore.

Habitat in trabibus, & parietibus.

Nidus involucro duplici: exteriore hemiſphærico, altero rotundo in cujus ſinu cellulæ paucæ.

Anten-

Antennæ ſupra nigræ, ſubtus flavæ. Macula transverſa flava oblonga in fronte. Thorax antice flava linea terminatus; puncto flavo utrinque ſub alis anticis; linea flava transverſa loco ſcutelli. Has maculas gerit quoque *Campeſtris* Linn. Faun. Svec. ſed abdomen *Murariæ* faſciis (4) flavis, prima remotiore. Pedes flavi, femoribus poſticis nigris: apice flavis.

829. Vespa *Tinniens*.

— *long.* lin. 4½.

Linn. Faun. Svec. 2. 1679. parietina?

Diagn. Thorax pone punctis binis flavis, loco ſcutelli. Abdomen faſciis (5).

Habitat in ſylvis, tinnitu ſingulari ſe manifeſtans.

Antennæ nigræ: baſi ſubtus flava. Frons flava tota; maxillæ flavæ tridentatæ. Inter antennas macula flava obcordata: baſi puncto nigro notata, ad latus hujus maculæ utrinque lunula flava oculis inſcripta. Retro oculos linea flava. Thorax linea laterali inter alas & caput. Sub alis anticis punctum trigonum, flavum. Scutelli loco par punctorum flavorum. Abdominis faſciæ flavæ 2, 3, 4, uno latere repando, primæ a ſecunda, ſecundæ a tertia &c. diſtantia inſenſibiliter diminuta.

830. Vespa *Coarctata*.

— *long.* lin. 4.

Linn. Syſt. Nat. p. 573.
Faun. Svec. 2. 1676.
Frisch. Inſ. 9. Tab. 9. fig. 3.

Diagn. Abdomen petiolatum, ellipticum, acuminatum: petiolo infundibuliformi.

Circa *Labacum* &c.

Idem erit ſive àbdomen dicas petiolatum ſive biarticulatum: articulo primo annulo flavo diſtincto a ſecundo, qui craſſior & longior, antice duas maculas flavas in primo ſegmento gerit, cujus longitudo aliorum omnium longitudinem ſimul ſumptam æquat aut ſuperat. Thorax gibbus, antice linea flava terminatus; poſtice linea unoque pari punctorum flavorum, ſub alis puncto utrinque uni-

co flavo. Antennæ nigræ: baſi ſubtus flava. Frons flava. Tibiæ flavæ.

831. VESPA *Maculata.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Abdomen punctorum flavorum paribus tribus: primo remotiſſimo.

Araneæ tela involutam cœpi, 15. Junii, in horto.

Caput totum nigrum. Thorax antice lineola terminatus, punctoque flavo laterali ſupra alas poſito. Abdomen acumine deflexo, antice non truncatum, ſed convergens, ſubtus immaculatum nitens. Thorax & caput punctis prominulis ſcabra, abdomen punctis impreſſis. Pedes nigri.

FORMICA. (†)

LINN. *Syſt. Nat.* pag. 579.

832. FORMICA *Herculeana.*

Abd. *long.* lin. 3.

LINN. Syſt. Nat. p. 579.
Faun. Svec. 2. 1720.

Diagn. Noſtrarum maxima, nigra; abdomine oblongo.

Habitat in carioſis putridisque arborum truncis.

Tria puncta impreſſa, ſeu foveolæ in vertice capitis. Maxillæ dentibus (5). Squama rotundata integra. Femora modo nigra, modo plus minus ruſeſcentia, ſed vere ferruginea nunquam.

833. FORMICA *Vaga.*

— *long.* lin. 1½.

Diagn. Nigra; abdomine ovato piloſo.

Ha-

(†) Genus gregarium, ſatagens, inquietum, melliphagum, ferox, ſuæ ſobolis amans, vindictæ cupidum, terram purgat a quisquiliis, reſinam balſamicam congregat, ſcatet ſpiritu volatili nervino ſubacido; œconomiæ & ſedulitatis humanæ cathedra.

Habitat in putridis arboribus.

Puncta aut foveæ in capite nullæ. Thorax poſtice in ſingulo latere duo parva tubercula gerit. Squama integerrima, rotundata. Abdomen piloſum.

834. Formica *Nigra.*

— *long.* lin. 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 580.
Faun. Svec. 2. 1723.

Diagn. Nigra nitens; ſquamula integra.

Habitat in terra.

Minor priore; abdomine paucis pilis adſperſo.

835. Formica *Libera.*

— *long.* lin. 1.

Linn. Obſoleta? Faun. Svec. 2. 1724. deſcriptio certe in multis convenit.

Diagn. Nigra; antennis baſi tibiisque rufis.

In terra degit, ſine lege excurrens; nec ceſpites efficiens.

Squama integra, obtuſa. Abdomen brevibus villis adſperſum.

836. Formica *Rufa.*

— *long.* lin. 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 580.
Faun. Svec. 2. 1721.

Diagn. Fuſca; capite antice thoraceque rufis.

Habitat ad radices *Abietum*, *Betularum* &c. intra acervos vegetabilibus compoſitos.

Squama integra; apice nigricante. Pedes fuſceſcentes.

Harum ovulis ſeu embryonibus, pulli *Tetraonis Urogalli* & *Coturnicis* certo educantur.

837. Formica *Ceſpitum.*

— *long.* lin. ½.

Linn. Syſt. Nat. p. 581.
Faun. Svec. 2. 1726.

Diagn. Abdominis petiolus nodis duobus alternis: poſteriore majore.

In gramineis, tuberoſis.

Thorax biſpinoſus, ſeu poſtice duabus ſpinis terminatus, quæ ſquamulæ loco ſunt. Maxillæ dentibus ſex. Abdomen nitidum, ſubrotundum.

Deſcriptiones neutrarum ſunt.

MUTILLA.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 582.

838. MUTILLA *Saltatrix.*

— *long.* — —

Huc refero animal 21. Martii cum floribus *Farfaræ* lectum, pediculo triplo minus, fuſcum glabrum; maxillis pedibusque ferrugineis; antennis motatoriis, infractis, thorace longioribus: articulo oblongo, acuto, fuſco clavatis; ſtipite albido; abdomine ovato, ſubtus jugo ſeu plica compreſſa inſtructo. Hæc currit velociter, leviter tacta ſaltat, antennas aſſiduo agitat.

OR-

ORDO VI.

HALTERATA.

DIPTERA (†)

Linn. *Syſt. Nat.* p. 584.

HALTERES CLAVATI SOLITARII PONE SINGULAM ALAM.

OESTRUS.

Linn. *Syſt. Nat.* l. c.

Cum ſpeciem hujus generis nullam hactenus examinaverim, ita de charactere generico nihil ſtatuo. Ill. Linnæus os absque proboſcide aut roſtro exſerto ponit, Frischius autem in deſcriptione *Oeſtri Bovini*, ait habere roſtrum retractile, ut *Muſca Domeſtica.*

TIPULA,

Linn. *Syſt. Nat.* p. 585.

Os inerme, elongatum, antice palpiferum: palpis duobus.

(*) *Antennis maſculis compoſitis.*

839. Tipula *Pectinicornis.*

Alæ *long.* lin. 6½.

Linn. Syſt. Nat. p. 585.
Faun. Svec. 2. 1735.

Tipu-

(†) Ignota oris fabrica, nulla de his generibus certitudo.

Diagn. Thorax niger: dorſo immaculato, politura nitente. Antennæ maris pectinatæ. Femora rufa.

Habitat in terra culta, circa hortos & pomaria volitans, Majo M.

Mas. Antennæ rufæ, falcatæ, pectinum paribus decem; rachi ſubtus e quolibet articulo proferente clavulam rufam; baſi nigræ. Caput nigrum, poſtice villoſulum; palpis rufis. Thorax antice rufa transverſa tumida linea terminatus; linea rufa laterali caput inter & alas, poſtice immaculatus, minusque nitens. Halteres rufi; capitulo luteo. Alæ patulæ, hyalinæ, baſi rufæ; macula nigra coſtæ impoſita ſupra medium. Abdomen rufum; dorſo macula nigra trigona, in ſingulo ſegmento; lateribus nigro-maculatis, nempe unica macula in ſegmento, 1, 3, 4, apice tuberoſo ſurſum flexo ovato ſubbifido. Pedes femoribus rufis; genubus atris; tibiis fuſco-rufis.

Fœmina. Seticornis; margine thoracis antico nigro, halteribus fuſcis: capituli apice luteo, abdomine acuminato longiore nigro: baſi, ſeu articulis 1, 2, rufis. Pedes ut in mare.

840. Tipula *Idrienſis.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Antennæ maris pectinatæ. Alæ faſcia obſoleta lineaque media transverſa fuſcis. Femora rufa.

In pratis udis.

Mas. Antennæ nigræ, falcatæ, absque clavulis e rachi genitis, ut in priore. Caput nigrum, palporum articulis binis tribusve primis luteis. Thorax niger, immaculatus: dorſo nitente politiſſimo. Halteres nigri, baſi rufi. Abdomen totum nigrum. Alæ hyalinæ, apice fuſco, faſcia antica obſoleta & puncto medio fuſcis. Femora rufa; genubus nigris. Tibiæ fuſco-rufæ.

Fœmina. Antenn. ſetaceæ: articulis (14). Dorſum tuberculo rufo, loco ſcutelli. Alæ apice non fuſcæ, linea in medio fuſca. Abdomen apice rufum.

Tipulæ in copula circumvolant, *fœmina* marem poſt ſe trahente.

fum, baſi nigrum; ſegmentis intermediis rufis, ſed annulis fuſcis invicem diſtinctis. Femora fuſco rufa. Tibiæ nigræ.

841. TIPULA *Plumoſa.*

— *long.* lin. 2½.

LINN. Syſt. Nat. p. 587.
Faun. Svec. 2. 1758.

Diagn. Pallide virens; abdomine faſciis nigris; antennis fuſcis, hyalinis, plumatis; alis hyalinis: puncto nigro.

Habitat in lacubus noſtris copioſa.

Culice Pipiente paulo major, abdomine vero æque villoſo & faſciato; noſtræ præterea, oculi nigri; thorax luteo-virens; antice lineis parallelis & macula laterali, rufis; alæ albidæ, membranaceæ; margine villoſo, puncto fuſco. Pedes vireſcentes.

842. TIPULA *Lacuſtris.*

— *long.* lin. 2¼.

Diagn. Nigra; antennis plumatis: extimo articulo craſſiore albisque villis adſperſo.

Circa lacus, Majo M.

Statura prioris, ſed nigra tota. Alæ hyalinæ, absque puncto. Abdomen ſegmentis villoſis, latere pallidioribus. Femora rufeſcentia. Recens nata, ſpumam albam pone thoracem, loco ſcutelli, gerit.

843. TIPULA *Graminea.*

— *long.* lin. 1.

Diagn. Luteo-virens; antennis plumatis; alis pedibusque albidis.

In herbidis udis, non rara, Aprili M.

Parvula; oculis fuſcis; antennis albidis hyalinis; alis immaculatis; abdomine villoſo.

844. TIPULA *Convallium.*

— *long.* lin. 1.

Diagn. Antennæ plumatæ, albidæ. Thorax rufus. Abdomen fuſcum, piloſum.

Secus rivulos, fruticibus inſidet Junio. M.

Abdo-

Abdominis ſegmenta 1, 4, albida, colore pedum. Alæ hyalinæ, immaculatæ. Oculi nigri.

(**) *Antennis ſimplicibus in utroque ſexu.*

845. Tipula *Crocata.*

— *long.* lin. 7.

Linn. Syſt. Nat. p. 585.
Faun. Svec. 2. 1739.

Diagn. Nigra; alis macula fuſca; abdomine baſi cingulis ſenis flavis.
In pratis paludoſis.

Fœminam deſcribo, cui antennæ rufæ dentatæ, ſeu articulis dentatis (10), baſi villoſa fuſceſcente. Caput nigrum; puncto flavo quadrato prope antennas; collari flavo. Thorax niger; linea flava laterali; puncto flavo in medio dorſi; lineola lutea ſub alis utrinque. Halteres flavi. Abdomen acuminatum; diſtantia flavæ baſeos a primo cingulo, æqualis diſtantiæ primi cinguli a tertio; idem ſubtus pariter cingulis flavis (6). Pedes fulvi; geniculis fuſcis. Alæ baſi & coſta fulvæ; macula nigricante marginali.

846. Tipula *Rivoſa.*

— *long.* unc. 1.

Linn. Syſt. Nat. p. 585.
Faun. Svec. 2. 1738.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 113. maxima.

Diagn. Alæ fuſcæ: rivulo albo. Abdomen ferrugineum.
Habitat in aquis fluentibus, æſtate prodiens.
Maxima noſtrarum. Antennæ articuli pilos duos longos e baſi proferentes. *Mas* lineam ſemicircularem nigram in dorſo thoracis habet; alas ad coſtam maculis tribus fuſcis magnis, quibus albidæ interjacent duæ unitæ rivulo ab apice alæ genito longitudinali. *Fœmina* alarum venis fuſcis, maculis fere nullis. Pedes poſtici in mare etiam uncias duas & lineas quinque longi.

847. Tipula *Lunata.*

— *long.* lin. 7½.

Linn. Syſt. Nat. p. 586.
Faun. Svec. 2. 1744.

Diagn. Alæ macula lunata alba marginali; venis fuſcis. Oculi vireſcentes.

Habitat in lacubus.

Alæ macula fuſca prope albam poſita, & lineola transverſa fuſca ad baſim. Halteres capitulo ovato, fuſceſcente. Frons & latera thoracis pallidiora. Abdomen maris macula fuſca dorſali in quolibet ſegmento; fæminæ fuſcum; linea dorſali & utrinque alia laterali albidis. Femora rufa.

848. Tipula *Pratenſis.*

— *long.* lin. 6½.

Linn. Syſt. Nat. p. 586.
Faun. Svec. 2. 1745.

Diagn. Alæ macula lunata, fuſca, marginali. Frons crocata. Thorax niger: punctis flavis variegatus.

In herbidis collibus, prope flumina, Aprili M.

Mas. Caput nigrum, tuberculo croceo in fronte ſupra antennas. Thorax niger; antice lineola flava & alas inter ac apicem punctis flavis in ſingulo latere (4); idem poſtice duobus paribus punctorum flavorum, alio laterali utrinque inter alam & halterem. Halteres capituli apice flavo. Abdomen teres, apice craſſius dorſo glauceſcens; latere maculis flavicantibus tot quot inciſuræ nigris faſciis invicem diſtinctæ. Pedes nigricantes; femoribus poſticis baſi fulvis.

Fæmina a mare diverſa abdomine longiore craſſiore acuminato, ponens ova nigerrima lucida oblonga, ſubtus planiuſcula.

849. Tipula *Annulata.*

— *long.* lin. 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 586.
Faun. Svec. 2. 1752.

Diagn. Alæ maculis punctisque fuſcis variegatæ. Abdomen cineraſcens: cingulis atris.

Circa fontes.

Alæ

Alæ patulæ: maculis fuſcis prope coitam collocatis, alibi fuſco-punctatæ: punctis plerisque ſubrotundis. Halteres pallidi, macula transverſa obſcuriore prope baſin capituli ſubovati. Antennæ thorace breviores, attenuatæ, articulis (14): ultimo craſſiore aliis binis tribusve ſubjacentibus. Abdominis ſegmenta 2, 3, 4, 5, 6, uno pari punctorum nigrorum notata. Femora rufeſcentia: apice nigra. (*Mas.*)

Deſcriptio *Linnæana* non eadem, quæ data.

850. Tipula *Cimicoides.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Antennæ articulis quatuor, longitudine corporis.

Non rara apud nos, in aquoſis.

Alæ patulæ, pallide fuſcæ; vaſis obſcurioribus. Halteres petiolo cinereo; capitulo fuſceſcente. Antennæ erectæ, ſetaceæ, nigræ, villoſulæ, (4) lin. longæ; articulis quatuor. Thorax niger; lineis longitudinalibus cinereis. Abdomen nigrum, villoſulum. Pedes nigri; femoribus rufeſcentibus.

851. Tipula *Chirothecata.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Nigra; palmis pedum albis; alis fuſcis, hyalinis.

In *Carnioliæ ſuperioris* ſylveſtribus & aquoſis.

Antennæ ſetaceæ. Thorax laterali linea pallida. Abdomen nigrum. Pedes an motatorii fuerint, non adnotavi, ſed ſtatura & habitus removet a motatricibus. *Tipula Vibratrix* Linn. pluribus notis a noſtra differt. (*Mas.*)

852. Tipula *Lineata.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Flava; thoracis dorſo lineis tribus atris; abdomine ſeriebus punctorum nigrorum quatuor lineato.

Circa *Idriam.* Maio M.

Feciſſem ex hac *Cornicinam* aut *Flaveſcentem* Linn. niſi harum deſcriptiones adeo diſſentirent. Noſtræ enim Caput flavum; occipite oculisque nigris.

nigris. Antennæ nigræ: articulis (10.). Thorax luteus; lineis ſeu maculis oblongis, atris, nitidis, longitudinalibus. Alæ hyalinæ; puncto parumper obſcuriore, & nudis oculis vix diſtinguendo. *Mari* abdomen linea dorſali nigra, cæteris lineis ex punctis disjunctis factis. *Fœminæ* abdominis lineæ omnes punctis nigris diſtinctis compoſitæ: laterales obſcuriores. Pedes nigri.

853. Tipula *Ferruginea.*

— *long.* lin. 6½.

Diagn. Tota ferruginea; oculis nigris; alis hyalinis: baſi puncto ocellari.

Apud nos frequens.

Caput villoſulum. Antennæ breves attenuatæ. Abdomen ſubtusque punctis fuſceſcentibus in unam ſeriem diſpoſitis lineatum. Alæ baſi puncto oblongo, ſeu annulo fuſco.

854. Tipula *Oleracea.*

— *long.* lin. 8.

Linn. Syſt. Nat. p. 585.
Faun. Svec. 2. 1740.

Diagn. Alæ hyalinæ; coſta fuſca.

Habitat in terra culta.

Mas cineraſcens. *Fœmina* magis fuſca. Alæ coſta fuſceſcens, & alibi nullæ maculæ ſpeciem demonſtrant.

855. Tipula *Faſciata.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Alæ hyalinæ; faſciis duabus fuſcis, obſoletis. Abdomen nigrum.

In paludoſis.

Antennæ utrique ſexui ſetaceæ; quibus differt a T. *Idrienſi.* Halteres pallidi. Femora flaveſcentia.

856. Tipula *Inquieta.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Alæ hyalinæ; punctis (4) marginalibus, fuſceſcentibus. Pedes antici, longiſſimi motatorii.

In pratis paludoſis, umbroſis, ſylveſtribus.

Oculi nigri. Antennarum articuli apicibus nigris. Corpus ferrugineum. Pedes pallide ferruginei. Huic ſimilis in omnibus, ſed alis unico puncto obſoleto, reperta circa aqueductus *Fodinarum Idrienſium*, 14. Maii.

857. Tipula *Vibratrix ?*

— *long.* lin. 2½.

Linn. Faun. Svec. 2. 1761. quodammodo eadem.

Diagn. Corpus albo-virens, alæ albæ, oculi nigri, pedes motatorii.

Habitat circa paludes.

Culice non major. Alæ albæ immaculatæ. Pedes corpori concolores.

858. Tipula *Feneſtralis.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Alæ hyalinæ fuſco-maculatæ. Abdomen faſciis fuſcis (6). Pedes ferruginei; geniculis fuſcis.

In feneſtris intra cubilia frequens, ex hortis involans.

Alæ coſta, inter duas maculas fuſcas marginales majores, flaveſcens. Oculi ſubvirides. Abdomen ferrugineum, fuſco-faſciatum, villoſulum.

859. Tipula *Tremula.*

— *long.* lin. 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 587.

Faun. Svec. 2. 1762. eadem deſcriptione.

Diagn. Alæ vivido-hyalinæ, immaculatæ. Thorax maculis (2-3), obſcurioribus.

Paſſim occurrit.

Noſtræ, Antennæ articulis æqualibus: primo craſſiore. Thorax rufeſcens; maculis duabus, fuſcis. Abdomen fuſcum. Pedes colore thoracis. An ergo vere *Tremula* Linnæi ? Sit Linnæus ipſe judex.

860

860. TIPULA *Degener.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Antennæ articulis (24), piloſis.

In aquoſis, Junio M.

Caput inflexum. Oculi nigri. Alæ immaculatæ, pallide ferrugineæ: coſta piloſa. Color totius corporis lateritius.

861. TIPULA *Boleti.*

— *long.* lin. 2⅔.

Diagn. Teſtacea; abdomine faſciis fuſcis; alis annulo marginali fuſco.

Inter lobos & plicas *Boleti* cujuſdam ſeſſilis, Octobri M. *Labaco* adlati, erant *larvæ* quædam albidæ, teretes, fere unciales, linea paulo craſſiores, glabræ, glutine ubique madidæ, agiliſſimæ; capite ferrugineo: ſubtus emarginato; ore tribus foraminulis inſtructo: foramine medio majore; corpore, ſi luci oppoſitum fuerit, pellucido, in quo motus quidam periſtalticus videbatur una cum binis catenulis. Hinc *pupa* flaveſcens, lineam craſſa, tres fere longa, poſtice craſſior, oris cute ferruginea retrorſum revoluta ſupra thoracem, abdominis ſegmentis uno verrucarum pari exaſperatis. Inde *Tipula* cui Caput ſubrotundum, nigrum; palpis longis, colore pedum; occipite piloſo; antennis attenuatis, thorace duplo longioribus, articulis (14): primis duobus craſſioribus, ſecundo pilum e latere proferente, cæteris abſque pilo. Thorax nigricans, gibbus, punctatus, antice piloſus. Abdomen fuſcis teſtaceisque annulis alterne faſciatum. Alæ hyalinæ patentes. Halteres colore pedum. Pedes teſtacei, villoſuli.

862. TIPULA *Typhina.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Antennæ articulis (5). Abdomen nigricans; annulis albidis.

Circa lacus copioſa, Aprili. M.

Lin. tres longa. Thorax fuſcus; linea laterali pallidiore. Alæ patulæ. Abdomen villoſum; villis tuberculo innatis, unde ſcabriuſcula fit abdo-

minis ſuperficies. Femora tibiæque pallide luteæ. Per noctem relicta, in acu qua erat transfixa, altera die ex ano filum circinatum fuſcum protulit, ut ſolet idem facere *Ichneumon Gigas.*

863. Tipula *Hemerobioides.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Nigra; alis hyalinis, nigricantibus; abdomine linea fulva laterali.

In fruticibus non rara; *Hemerobio* ſimilis.

Alæ immaculatæ. Femora atro-rufa. Succum fulvum læſa fundit.

864. Tipula *Phalænoides.*

— *long.* lin. 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 588.
Faun. Svec. 2. 1771.

Diagn. Alis deflexis ſuper folia aſſiduo curſitat, parvula piloſaque tota.

Abunde & paſſim.

Caput in cadavere valde inflexum. Antennæ articulis ſubovatis. Corpus totum piloſum, cinereum. Alæ piloſæ fuſco-cinereæ, albo-punctatæ. Halteres fuſci.

Variat alis pallidioribus, immaculatis: margine nigris punctis notato.

865. Tipula *Labacenſis.*

— *long.* lin. 1½.

Diagn. Flava; thorace lineis tribus, longitudinalibus, nigris; abdomine faſciis (4), nigris: binis mediis approximatis.

R. P. Wulfen. *Labaco* miſit.

Oculi nigri. Subtus tota flava. Alæ albidæ, immaculatæ. Pedes genubus palmisque nigris. Pectus ad latera punctis duobus atris.

866. Tipula *Quadrinodia.*

— *long.* lin. 1.

Diagn. Virens; antennarum articulis quatuor; oculis nigris.

Circa

Circa hortos, Junio M.

Linea paulo longior. Alæ immaculatæ. Abdomen villoſum.

M U S C A.

Os armatum roſtro retractili: apice dilatato, baſi palpigero: palpis clavatis. Roesel. Muſc. Tab. 10. fig. 14.

I. *Nobiles.*

Alis ſitu ſuo triangulum efficientibus, ſeu divergentibus.

A. *Plumatæ.* Antennis plumula laterali.

(*) *Abdomine baſi truncato.*

867. Musca *Meridiana.*

Alæ *long.* lin. 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 595.
Faun. Svec. 2. 1827.

Diagn. Nigerrima; fronte lateraliter aurea; alis baſi luteo-ferrugineis.

In ſylveſtribus locis reperitur; Ego in folio *Aceris platanoid:* & trunco *Quercus rob.* cum *Scarabæis* & *Veſpa Crabrone.*

Major *Carnaria*; thorace piloſo, pone ſetoſo; abdomine nitido; inter oculos & antennas macula aurea nitidiſſima, ad apicem oris uſque producta. Alis baſi, ſquama halterum, & acceſſoria luteo-ferrugineis; halteribus nigris: pedunculo fuſco-ferrugineo.

868. Musca *Carnaria.*

— *long.* lin. 5.

Linn. Syſt. Nat. p. 596.
Faun. Svec. 2. 1832.
Frisch. Inſ. 7. Tab. 14. fig. 1.

Diagn. Nigra; halterum ſquama margine alba; abdomine cæruleo, nigro-teſſulato.

Habitat in Mammalibus, Avibus, recenter occiſis.

Celerrime & bombilando volat. Os fulveſcens piloſum: pilis binis longioribus cruciformiter impoſitis. Thorax pilorum longiorum ſeriebus tranſverſis quinis. Abdomen nitens, ſegmento penultimo pilis (34) longioribus ciliato.

869. Musca *Variegata.*

— *long.* lin. $4\frac{2}{3}$.

Diagn. Cineraſcens; thorace lineis tribus atris, abdomine nigro-teſſulato.

In horto capta, *Idriæ.*

Antennæ nigræ. Linea nigra ab antennis ad occiput uſque decurrens. Scutellum lineola longitudinali nigra. Abdomen nitens, linea dorſali media, maculisque nigris, apice ſetoſum; ſubtus nigris punctis adſperſum. Halterum ſquama alba. Alæ immaculatæ.

870. Musca *Maculata.*

— *long.* lin. $3\frac{1}{2}$.

Diagn. Dorſum lineis duabus maculisque (5) nigris; Abdomen ſegmentis 2, 3, maculis quinque; apice binis punctis, nigris.

Frequentat flores plantarum *Umbelliferarum.*

Statura *Muſcæ Cæſaris.* Oculi brunei: margine albido. Scutellum puncto trigono nigro.

Variat 1. Lineis thoracis mediis in unam unitis cum altera, quæ apicem ſuum ſupra ſcutellum extendit; abdomine ſupra ferrugineo; halterum ſquama pallide ferruginea.

2. Thorace cinereo lineis (2) maculisque (5) nigris. Abdomine cinereo. Halterum ſquama alba. An ſexus alius?

871. Musca *Cæſar.*

— *long.* lin. $3\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 595.

Faun. Svec. 2. 1828.

Diagn. Viridi; vel aurato-viridi nitens pedibus nigris.

Frequens in floribus *Angelicæ*, *Paſtinacæ* &c.

Oculi

Oculi brunei. Thorax, abdomini concolor, nitens.

Variat 1. Colore viridi.
2. — aurato-viridi.

872. Musca *Domeſtica.*

— *long.* lin. 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 596.
Faun. Svec. 2. 1833.

Diagn. Nigricans; thorace lineis (5) nigris; abdomine ſubferrugineo, maculis nigris teſſulato.

Habitat in fimo.

His venenum narcoticum eſt *Agaricus Muſcarius* lacti infuſus, cujus parca doſis ſopit unice nec enecat animal, altero die evigilans & ſanum denuo.

873. Musca *Cæſarina.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Omnia ut in *Muſca Cæſare*, ſed duplo minor, ſine puncto ferrugineo ad latera thoracis, & halterum ſquama nivea.

Plures ſimul vidi in cortice *Pyri* com.

Nitidior *Cæſare*, minusque ſetoſa.

(* *) *Abdomine ovato.*

874. Musca *Coloſſus.*

— *long.* lin. 6.

Diagn. Frons aurata. Oculi fulvi. Thorax cinereus; lineis (3) dorſalibus, nigris, parallelis. Abdomen thoraci ſubconcolor, nigro-teſſulatum.

In hortis noſtris; Majo M.

Maxima inter noſtras. Os ſetis duabus, cruciformiter incumbentibus, terminatum. Halterum ſquama alba. Abdomen incurvum, apice magis ſetoſum. Pedes nigri.

875. Musca *Martia.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Frons argentea. Thorax poſtice lineolis (4), cinereis. Abdomen albidum, nitidum, nigro-teſſulatum.

Circa domos, reperitur, Martio M.

Major *Domeſtica*; thorace nitido, ſetoſo & piloſo; ſcutello cinerascente: puncto nigro; tuberculo rufo ad latera thoracis prope caput. Halterum ſquama alba. Pedes nigri.

876. Musca *Tuguriorum.*

— *long.* lin. $3\frac{2}{3}$.

Diagn. Thorax fuſco-cinereus. Alæ linea punctoque fuſcis: baſi femoribusque mediis ac poſticis ferrugineis.

Circa æquinoctium vernum, prope Ruſticorum tuguria, frequens.

Paulo major M. *Domeſtica*; proboſcide apice palpisque baſi ferrugineis; fronte colore thoracis; ſcutelli apice ferrugineo; abdomine cinerascente, nigro-teſſulato, nitido.

877. Musca *Proſtrata.*

— *long.* lin. $2\frac{1}{2}$.

Diagn. *Domeſticæ* ſimillima, celerrime avolans revolansque in eundem locum, pectori & abdomini inſidet pedibus expanſis, quorum ungulæ albæ.

Circa feneſtras, & ruri, frequens.

Nigricans; abdomine teſſulato. An hæc M. *Albifrons* Linn.? Non videtur.

878. Musca *Nigrita.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Nigerrima, nitens; alis coſta nigris; halterum ſquama alba.

In herbidis collibus circa *Idriam.*

Oculi fuſci. Abdomen ſegmentis ciliatis. Alæ ad coſtam ſeminigræ. Halteres nigri: clavæ baſi pallidiore puncto notata.

879. Musca *Corni.*

— *long.* lin. $3\frac{1}{2}$.

Diagn. Nigra; alis baſi ſcutello pedibusque ferrugineis.

Reperta inter *Aphides Corni.*

Thorax lineis cinereis. Halterum ſquama ferruginea. Abdomen obcordatum.

880. Musca *Angelicæ*.

— *long.* lin. $3\frac{1}{4}$.

Diagn. Cinerea; ocello quadrato occipitali; alis baſi ferrugineis.

Frequens in floribus *Angelicæ ſylv.*

Statura M. *Domeſticæ*. Oculi brunei. Pedes ferruginei.

881. Musca *Rufiventris*.

— *long.* lin. 3.

Diagn. Fuſca; abdomine pedibusque ferrugineis.

In *Carniolia* calidiore.

Magnitudo prioris. Halterum ſquama ferruginea. Abdomen nitens, ſubpellucidum.

(***) *Abdomine oblongo.*

882. Musca *Tripunctata.*

— *long.* lin. $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Alæ ſedentis erectæ; punctis fuſcis tribus.

Martio M. capta circa *Idriam.*

Corpus agile, alarum longitudine. Caput ferrugineum. Oculi vireſcentes. Thorax antice gibbus. Halteres albidi, nudi. Abdomen oblongum, nitidum; ano piloſo & fuſcum ſtercus facile fundente. Alæ patulæ & erectæ.

B. *S[illegible]riæ*. Antennis ſeta laterali.

(*) *Abdomine ſubrotundo.*

883. Musca *Rotundata.*

— *long.* lin. 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 596.
Faun. Svec. 2. 1838.

Diagn. Alæ baſi ferrugineæ. Abdomen rufum; maculis longitudinalibus nigris.

In pratis non rara.

Generis etiamnum dubii ob rigidum & ore canaliculato exceptum roſtrum, ut in *Rhingia* noſtra. Sit itaque *Muſca*, donec diligens examen roſtri, dubium abſtergat.

Frons argentea. Oculi ruſeſcentes. Antennæ nigræ, lineam longæ. Thorax niger. Halteres ferruginei, albida ſquama tecti. Alæ hyalinæ, parumper fuſceſcentes: baſi luteo-ferruginea. Abdomen ambitu ſubrotundo ruſo, ſubtus immaculato. Pedes nigri.

Variat, maculis abdominis diſtinctis ſubrotundis, nec non cohærentibus & trigonis.

(**) *Abdomine ovato,*

884. Musca *Deceptoria.*

— *long.* lin. 3½.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 116.

Diagn. Abdomen ferrugineum, pellucidum, ſetoſum; linea dorſali nigra.

In pratis.

Et iſta dubia eſt, ob roſtrum ut in priore. Antennæ ruſeſcentes: apice obtuſo nigro. Frons alba; retro oculos caput lana caneſcente pubeſcens. Thorax fuſcus, lineis pallidioribus. Scutellum ferrugineum. Abdominis ſegmenta, præſertim poſtica, ſetulis nigris crebrioribus ciliata. Alæ baſis & coſta fere tota ferruginea. Halterum ſquama alba. Femora nigra. Tibiæ ruſeſcentes, nigris pilis adſperſæ. Conf. M. *Feram.* Linn. Faun. Svec. 2. 1836.

885. Musca *Temula.*

— *l[illegible].* lin. 3½.

Diagn. Nigerrima tota & nitens; a[illegible] baſi halterumque ſquamula luteo-ferrugineis.

In floribus *Chærophylli temuli.*

Pili in fronte pro varia lucis incidentia argenteo nitore fulgent. Halteres pallide rufi. Abdomen ſetoſum.

886. Musca *Falcata.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Alæ hyalinæ; coſta faſciisque binis, arcuatis, ferrugineis.

In pratis.

Statura *Domeſticæ.* Oculi virides. Frons fulva. Thorax pallide ferrugineus; punctorum nigrorum

rum ordinibus longitudinalibus (4): punctis tribus in ſingulo ordine lucidis. Scutellum punctis piliſque nigris (4). Abdomen baſi bidentatum, ſegmento quodlibet punctis (4) nigris. Linea ferruginea juxta alæ coſtam decurrens, abrupta eſt inter faſcias, quarum margo fuſcus; ad baſim alæ rudera tertiæ faſciæ conſpiciuntur pariter ferruginea. Pedes ferruginei.

887. Musca *Cæruleophthalmica.*

— *long.* lin. $1\frac{1}{4}$.

Diagn. Oculi cærulei. Frons pedesque flavi. In herbidis occurrit, Majo M.

Parva. Thorax villoſulus glauceſcens. Abdomen baſi bidentatum, fuſceſcens: apice flavo. Alæ hyalinæ: puncto fuſco. Sed denuo obſervandæ alæ, an vere *nobiles*, in hac & priore.

(***) *Abdomine ſubovato.*

888. Musca *Larvarum.*

Diagn. Nigricans, piloſa; fronte ſubargentea; abdomine inciſuris ciliatis.

Habitat intra larvas *Lepidopterorum.*

Habitus M. *Carnariæ*, vel *Domeſticæ.* Oculi brunei. Frons albedine ſubargentea nitens. Antennæ nigræ, deflexæ. Thorax cinéraſcens; lineis nigris, vel e contra. Abdomen poſtice attenuatum; ſegmento primo nigro, cæteris pro varia lucis incidentia ſubargenteis, margine & linea dorſali nigris: ſetæ ex marginibus ſegmentorum abdominis, ciliorum adinſtar. Pedes nigri. Hujus varietates haſce vidi.

1. M. Larvæ *Ph. Pavoniæ.*

— *long.* lin. $4\frac{1}{2}$.

Diagn. Carnaria nihilo minor. Scutelli puncto ferrugineo.

Ex larva involuta *Phalænæ Pavoniæ* viginti mihi natæ ſunt.

Thorax cinereus: lineis nigris. Alæ non hyalinæ. Abdomen pallidius teſſulatum.

Huic

Huic imprimis convenit definitio M. *Larvarum* ab Ill. LINNÆO data in Syſt. Nat. p. 569. etſi ſtaturam *Muſcæ Domeſticæ* non habeat.

2. M. Larvæ *Papil. Io.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Statura *Carnariam* inter & *Domeſticam* media. Scutellum thoraci concolor.

Alæ non hyalinæ, nec abdomen teſſulatum.

3. M. Larvæ *Phalænæ Quercus.*

— *long.* lin. 3.

Folliculi apicem protruſit & prodiit.

4. M. Larvæ *Phalænæ Laneſtris.*

— *long.* lin. 2½.

Alæ hyalinæ.

889. MUSCA *Alni.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Nigricans; oculis ferrugineis; halterum ſquama lactea.

Habitare in *Alno*, retulit Ill. p. m. Comes *Car.* a LAMBERG. Eq. Teut.

Carnariæ ſtatura. Palporum clavæ ferrugineæ. Scutelli albidi apex ferrugineus. Abdomen ſegmentis argenteis: margine nigris, ſetoſis. Pedes nigri.

890. MUSCA *Roralis.*

— *long.* lin. 2.

LINN. Syſt. Nat. p. 597.
Faun. Svec. 2. 1846.

Diagn. Tota nigra, nitida; alis hyalinis, immaculatis.

In floribus *Paſtinacæ ſativæ*, copioſa.

Minor domeſtica, villoſa; oculis bruneis.

891. MUSCA *Pluvialis.*

— *long.* lin. 2.

LINN. Syſt. Nat. p. 597.
Faun. Svec. 2. 1844.

Diagn.

Diagn. Cinerea; thorace maculis quinque; abdom. ſegmentis 2, 3, punctis tribus atris.

Paſſim in plantis occurrit.

Oculi fuſco-caſtanei. Antennæ nigræ. Thorax punctis duobus anticis, tribusque poſticis nigris: medio majore. Puncta tria conica nigra in ſingulo abdominis ſegmento ſecundo & tertio, quæ LINNÆO dicuntur maculæ obſoletæ tridentatæ. Alæ hyalinæ. Halterum ſquama alba: margine ferrugineo. Pedes nigri.

(****) *Abdomine oblongo.*

892. MUSCA *Doronici.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Tota nigra & pilosa, alis hyalinis; nervis fuſcis, piloſis.

Inveni ſedentem ſuper florem *Arnicæ ſcorpioidis* LINN. in ſummo M. *Dull.*

Domeſtica paulo minor, nigerrima & fere tomentoſa. Alæ immaculatæ.

893. MUSCA *Vernicina.*

— *long.* lin. 1$\frac{3}{4}$.

Diagn. Nigerrima, politura nitens; tibiis rufis.

Habitat in *Carniolia ſuper.*

Antennæ porrectæ, obtuſæ, ſeta propria breviores. Corpus villoſulum. Abdomen acuminatum.

894. MUSCA *Præceps.*

— *long.* lin. 3$\frac{1}{2}$.

Diagn. Thorax cinereus; lineis (2), dorſalibus, nigris. Abdomen ſubcylindricum, fulvum; linea dorſali, nigra. Femora fulva.

In hortis, circa feneſtras, non rara.

Continuo & celeriter curſitat, longis pedibus inſiſtens, expanſis alis, brevi tempore quieſcens & tunc anticos pedes ſæpe fricans & adterens. Præterea huic frons, certa lucis incidentia ſubargenteo nitore fulgens. Antennæ baſi piloſæ & fulvæ: articulo ultimo deflexo obtuſo nigro. Palpi fulvi, thorax cinereo-albicans, lineis nigris; vel econtra. Alæ hyalinæ, immaculatæ, baſi ferrugineæ. Halterum

rum ſquama albida: margine ferrugineo. Abdomen porrectum, nitens, fulvum, ſubpellucens: ſegmentis quatuor laxe piloſis, prope marginem ſetis verticillatis, dorſo macula nigra in lineam longitudinalem cum ſociis confluente. Femora fulva; pedes alibi nigri.

Variat abdomine nigro; lateribus fulvis.

895. Musca *Plumipes.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Ænea; oculis viridibus; femoribus ferrugineis; palmis mediis plumoſis.

In paludoſis Majo M.

Antennæ porrectæ, ferrugineæ: apice nigræ; ſetula nigra. Frons, ſeu linea inter oculos, aurea. Oculi viridis-æris colore elegantiſſimo tincti. Thorax & abdomen coloris ænei, aliquo virore immixti. Halteres ferruginei, ſubnudi. Alæ hyalinæ, immaculatæ. Abdominis ſegmenta margine fuſca. Genitale terminatum lamellis binis, albidis, ciliatis: ciliis nigris. Manus nigræ, ſed mediæ ad initium vere plumoſæ. Tibiæ poſticæ imprimis ſpinoſæ.

II. *Plebejæ.*

Alarum incumbentium coſtis ſubparallelis.

A. *Plumatæ.*

896. Musca *Scybalaria.*

— *long.* lin. 4. (mas)

Linn. Syſt. Nat. p. 599.
Faun. Svec. 2. 1860.

Diagn. Frons fulva. Thorax lineis longitudinalibus obſcurioribus. Alæ ad coſtam ſubferrugineæ; puncto medio obſcuriore. Antennæ ſubplumatæ.

Habitat in ſtercore humano.

Mas abdomine, pectore, femoribusque rufotomentoſis. Abdomine oblongo; major, cui vere convenit definitio Linnæana *Muſcæ ſcybalariæ.*

Fœmina absque rufo-tomento, obſcurior, minor; abdomine ovato; ſegmentis utrinque puncto late-

laterali nigro; cui convenit definitio LINNÆANA *Muſcæ Stercorariæ*. Sed & notæ clariores deſiderantur, quibus M. *Fimetaria* LINN. vere differat a fœmina *Scybalariæ*.

Variat tomento, plus minus ruſo, & denſiore.

897. MUSCA *Rufa*.

— *long* lin. $3\frac{1}{2}$.

Diagn. Tota rufa & nitens; oculis bruneis; nucha puncto nigro. Pedes corpore pallidiores.

Invenitur in hortis, Majo M.

Statura prioris. Occiput binis paribus pilorum nigrorum. Tubercula tria, pellucida, pallidiora, puncto nigro occipitali circumſtantia. Antennæ deflexæ; plumula nigricante, quæ nudis oculis ſeta videtur. Palpi roſtro obſcuriores. Thorax dorſo punctulato, raris pilis adſperſo. Scutellum pilis duobus terminatum. Halteres nudi, colore pedum. Femora & tibiæ pallide flaveſcunt. Alæ puncto & maculis deſtitutæ.

898. MUSCA *Amentaria*.

— *long*. lin. $3\frac{1}{2}$.

Diagn. Abdomen æneo-fuſcum: baſi truncatum. Thorax fuſcus, ſetoſus.

Copioſa occurrit in amentis *Salicis* Martio M.

Statura M. *Cæſaris*, eademque craſſitie. Antennæ deflexæ. Oculi caſtanei. Thorax pilis ruſeſcentibus, ſetisque nigris. Halterum ſquama pallide ferruginea. Abdomen fuſcum, æneum, nitens, villoſulum, ovo transverſim per medium ſecto ſimile. Pedes nigri.

899. MUSCA *Unguicornis*.

— *long* lin. $2\frac{1}{2}$.

Diagn. Caput ſupra, antennæ porrectæ, pedesque ruſi. Alæ coſta fuſca & poſtice fuſco-reticulatæ.

Habitat in *Carnioliæ* cultis, non rara,

Antennæ caput terminant porrectæ, cornuum adinſtar: articulo primo compreſſo ruſo piliſque nigris pubeſcente, ſecundo nigricante acuminato minore. Paria duo punctorum nigrorum inter nucham & antennas; puncto alio majore ad nucham, tho-

thoraci contiguo. Thorax fuſcus; linea fulva dorſali, & alia pariter fulva in ſingulo latere. Alæ hyalinæ: coſtá fuſca, & obſolete fuſco-reticulatæ infra medium halteres ſubnudi, capituli latere fuſco. Abdomen cylindraceum, nitens, fuſceſcens; linea longitudinali obſcuriore. Pedes rufi; femoribus craſſiuſculis, piloſis.

900. Musca *Fumigata.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Nigricans. Oculi faſciis tranſverſis binis rubris. Os album. Alæ coſta nigra, alibi fuſco-reticulatæ alboque maculatæ.

Apud nos non rara, in pratis.

Caput antennis terminatum porrectis fuſco-ferrugineis; pluma alba. Maculæ duæ nigerrimæ, oculis interne adjacentes. Nucha albida: puncto medio lucido nigro. Os ſubargenteum. Roſtri apex palpique ferruginei. Thorax fuſco-cineraſcens; punctis nigris. Alæ ad apicem punctis albis, rotundis, diſtinctis variegatæ, alibi fuſco-reticulatæ; margine craſſiore nigro. Halteres nudi. Abdomen oblongum, lucidum, nigricans. Pedes nigri.

901. Musca *Coryleti.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Ferruginea; Oculi faſciis duabus, fulvis. Alæ punctis ſtrigiſque fuſcis variegatæ.

Inter *Corylos*, non rara.

Antennæ porrectæ, caput terminantes, apice nigræ; plumula nigricante, baſi pallide ferruginea. Os argenteum. Caput ſupra lucidum, rufum. Thorax pallide ferrugineus; lineolis dorſalibus binis ſaturatioribus. Abdomen thoraci concolor, cylindraceum; ſegmentis margine obſcurioribus. Pedes ferruginei.

902. Musca *Longipes.*

— *long.* lin. 2⅔.

Diagn. Fuſca, nitens; fronte fulva; ore argenteo; pedibus ferrugineis, longis: femoribus poſticis abdomine duplo longioribus.

Habitat in ſylvis Majo M.

Lin.

Lin. ($3\frac{1}{2}$) longa, dimidiam craſſa; antennis rufis; halteribus pallidis, alis immaculatis: coſta veniſque ferrugineis, genubus faſcia nigra.

903. Musca *Fungorum.*

— *long.* lin. $1\frac{1}{2}$.

Roesel. Muſc. Tab. 8. fig. 3.

Frisch. Inſ. 3. Tab. 4. fig. 3. p. 15-16.

Diagn. Supra fuſceſcens, ſubtus, pedibusque pallidioribus; larva in *Agaricis* & *Boletis* habitans.

E *Boleto bovino* certius naſcitur.

Larva albida, non ſaltatrix, capite fuſco, abdominis apice bifido: ſegmentis decem, quorum margines pilis nigris brevibus ciliati; hinc *Muſca* parvula, lineam & dimidiam longa, oculis caſtaneis, roſtro halteribus concolore; occipitis tuberculo fuſco; abdomine oblongo, nitido, fuſco: ſegmentis margine ferrugineis; halteribus nudis; alis hyalinis corpore longioribus: margine craſſiore, veniſque fuſcis.

904. Musca *Putris.* (Caſei.)

— *long.* lin. $1\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 597.

Faun. Svec. 2. 1850. *β.*

Frisch. Inſ. 1. Tab. 7. fig. 4.

Diagn. Nigreſcens, glabra; oculis ferrugineis; larva ſaltatrix in Caſeo butyraceo molli & humidiore degens.

Habitat in caſeo, quocum avide voratur a multis, quibus has delitias non invideo.

905. Musca *Oenopota.*

— *long.* lin. $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Parvula, volitat circa orificia vaſorum & doliorum vinariorum.

Habitat in cellis vinariis, & domibus advolans amphoris vino plenis, quo ſæpe immergitur, bibentium incommodo.

M. *Cellarem* Linnæi eſſe nullus dubito, ſed neque *ſetaria*, nec vere nigra. Oculi ferruginei & fere rubelli ſunt, thorax æneo-fuſcus: poſtice tri-

bus ordinibus longitudinalibus pilorum brevium; minor *M. Fungorum.*

906. MUSCA *Punctulata.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Oculi ferruginei : faſciis duabus fulvis. Alæ nigræ : punctis rotundis albis variegatæ.

Circa *Idriam* capta.

Frons alba. Antennæ porrectæ, ferrugineæ, caput terminantes. Thorax pallide ferrugineus, punctulis fuſcis ſparſis minoribus, majoribusque in quatuor ſeries longitudinaliter diſpoſitis. Abdomen cinereum, oblongum, maculis nigris. Pedes pallidi: faſcia obſcuriore prope genua.

907. MUSCA *Coleoptrata.*

— *long.* lin. $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Alæ arcuatæ, fuſceſcentes. Corpus nigrum. Os, thorax ſubtus pedesque albidi.

In feneſtra domus meæ capta 30. Aug.

Iners, ſuperne nitens. Abdomen ellipticum. Alæ coſta obſcuriores, rigidulæ, arcuatæ, coleopteri adinſtar. Genua poſtica nigra.

B. *Setariæ.*

(*) *Seta terminali.*

908. MUSCA *Muraria.*

— *long.* lin. $1\frac{3}{4}$

Diagn. Nigra; fronte piloſa; ſetulis antennarum capite longioribus.

Curſitat ſuper muros & turres, gregatim, Aprili M.

Duas lineas longa. Caput, parvum; fronte & occipite erectis pilis barbato; antennis obtuſis, diſtinctis, brevibus; thorace gibbo, non piloſo; halteribus pallide rufis: clava ovali; alis hyalinis immaculatis; cruribus nigris; tibiis rufeſcentibus. *Mas* agilior, gracilior, in apice abdominis duo corpora uncinata inflexa gerens.

909. MUSCA *Curſoria.*

— *long.* lin. $1\frac{1}{2}$.

Diagn.

Diagn. Parva, vix volare poteſt, ſed celerrime curſitat, femoribus anticis craſſioribus.

In hortis.

Culice minor; capite parvo, rotundo; palpis albidis, pilo terminatis; roſtri vagina apice ferruginea; alis immaculatis: nervis fuſcis; thorace nigro; abdom. baſi teſtaceo, apice fuſco; pedibus anticis teſtaceis, craſſioribus: poſticorum femoribus apice nigris.

910. Musca *Formoſa.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Oculorum dimidia portio vireſcens, altera fuſca. Thorax lucidus virens. Abdomen lucidum violaceum: apice dilatatum.

Floribus dum inſidet alas patulas habet, alibi *plebejas.*

Antennæ ſetula baſi villoſa. Caput inter oculos nigrum, nitens. Thorax villoſulus. Abdomen lateribus acutis: ſegmentis (5). Halteres nudi, albidi. Roſtrum apice albidum. Alæ hyalinæ ad apicem nulla anaſtomoſi. Pedes nigri; geniculo primo albido.

911. Musca *Cupraria.*

— *long.* lin. 3½.

Linn. Syſt. Nat. p. 598.
Faun. Svec. 2. 1853.

Diagn. Thorax viridis nitens. Abdomen pyritoſum.

In pratis.

Oculi virides. Thorax villis ſubaureis pubeſcens. Abdomen pyritis flavi calore, nitens, villoſum, oblongum. Subtus, pedibusque nigricantibus; genubus abdominis colore.

912. Musca *Rara.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Nigro-flavoque varia; ſcutello flavo, biſpinoſo.

In arboribus *Carnioliæ mediæ*, rariſſime reperitur.

Antennæ ferrugineæ. Frons flava, in medio nigra. Thorax niger, lineis duabus dorſalibus & macula laterali flavis. Scutellum flavum; ſpinis duabus luteis. Abdomen ovatum, nigrum, maculis in ſingulo latere binis, aliaque terminali, flavis. Pedes flavi; femoribus baſi nigris. Halteres flavi.

913. Musca *Ferruginea.*

— *long.* lin. 6¼.

Diagn. Magna, ferruginea; abdomine ovato; ſcutello bidentato.

Labaco accepi.

Antennæ erant mutilatæ, hinc certus non ſum, an ſetula terminatæ an vero muticæ ſint. Oculi fuſci. Alæ nervis ferrugineis.

(**) *Seta laterali.*

(†) Antennis adſcendentibus.

914. Musca *Iridata.*

— *long.* lin 4½.

Diagn. Oculi faſcia iridiformi, ſeu cærulea rubraque. Thorax virens nitidiſſimus. Abdomen lucidum, lanceolatum, æneo-violaceum.

In pratis non rara, melliſuga.

Antennæ nigræ, clavatæ, villoſæ. Oculi nitentes, viridi-caſtanei. Roſtrum labiis albidis. Tubercula tria parva ad nucham. Thorax ſubovatus, villoſulus. Abdomen lineas tres longum, modice convexum, ſubtus nigricans. Pedes nigricantes. Alæ hyalinæ: linea fuſca marginali.

915. Musca *Violacea.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Habitus prioris, ſed duplo fere minor: oculis viridibus; faſcia violacea.

Habitat cum priore.

Roſtrum halteribus concolor. Caput inter oculos viridi-nitens. Thorax viridis. Halteres albi. Alæ nigredine in medio inquinatæ eaque fere faſciatæ. Abdomen violaceum totum. Dimidia oculi portio, ſupra faſciam, ſemicirculo violaceo cancellata. Puncta tria alba in fronte.

(††)

(††) Antennis porrectis.

916. Musca *Bipunctata.*

— *long.* lin. 4¼.

Diagn. Lucida; thorace viridi; abdomine violaceo; punctis duobus albis in fronte.

Habitat cum prioribus.

Antennæ nigræ, vix villoſæ. Roſtrum ferrugineum. Oculi fuſci. Thorax virens, lucidus, oblongus. Alæ baſi ferrugineæ. Halteres pallide flaveſcentes, nudi. Abdomen lanceolatum, baſi ferrugineum. Pedes ferruginei. Conf. *M. Glauca.* Linn. *Faun. Svec.* 2. 1813.

917. Musca *Spatula.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Antennæ longitudo alæ latitudinem æquat. Scutellum bicorne. Abdomen ſpatulæ capitulo ſimile, thorace latius.

Inveni circa *Idriam* 23. Junii, in herbido colle.

Corpus nigrum, ſeptem lineas longum. Antennæ nigræ, thorace vix breviores. Caput inter oculos flavum. Scutellum flaveſcens; ſpinis duabus. Abdomen lineas tres latum, tres & dimidiam longum, compreſſum, lateribus acutis, baſi truncatum. Alæ ita impoſitæ, ut nuda ſint latera abdominis. Halteres lutei. Femora fuſca. Tibiæ ferrugineæ.

918. Musca *Albiſeta.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Rufeſcens; ore argenteo; antennis ſeta alba; oculis ferrugineis: faſciis duabus fulvis.

In pratis & hortis.

Similis *M. Unguicorni.* Antennæ baſi ferrugineæ. Duo paria punctorum nigrorum inter antennas & nucham. Caput ſupra rufum; ſubtus tumidum, albo-argenteum. Thorax rufeſcens; lineis obſcurioribus. Alæ baſi & coſta ferrugineæ, poſtice anaſtomoſi flexuoſa, litteræ (S) ſimili notatæ, quale ſignum etiam habet *M. Cardui* Linn.; præter hanc lineam, decurrrunt longitudinaliter juxta venam mediam, puncta tria vel quatuor fuſca.

Roſtrum & femora ferruginea. Halteres albidi, nudi.

919. Musca *Spinipes.*

— *long.* lin. $2\frac{1}{2}$.

Diagn. Rufa; femoribus poſticis craſſioribus longioribus ſubtusque ſpinoſis; punctis duobus nigris ſupra, totidemque ſub antennis.

Ruri capta 17. Aprilis.

Oculi faſciis duabus rufis. Alæ puncto medio, fuſco. Pedes poſtici differentiam conſtituunt.

920. Musca *Buccata.*

— *long.* lin. $3\frac{1}{2}$.

Diagn. Nigricans; facie tumida, albida; alis nigris; antennis rufis.

In ſylvis. Majo M.

Caput ſupra planum, rufum. Oculi remoti. Antennæ obtuſæ, clavatæ. Thorax fuſco-rufeſcens. Ad baſim alæ lineola alba lunata. Abdomen teres, cylindricum, villoſum.

921. Musca *Virens.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Aurato-virens; thorace lineis nigris; pedibus longis.

In ſylveſtribus.

Antennæ nigræ, ſub apice ſetam ſeipſis longiorem proferentes. Tuberculum nigrum in occipite, e quo pili duo. Dorſum thoracis lineis longitudinalibus fuſcis quatuor, quibus pilorum ordo interjacet. Alæ hyalinæ; puncto medio ſubferrugineo. Halteres flavi. Abdomen teres, pone attenuatum; marginibus ſegmentorum nigris. Pedes longi obſcurius virides.

922. Musca *Ornithovora.*

— *long.* lin. $1\frac{1}{2}$.

Diagn. Nigra; fronte piloſa, roſtro pedibusque ferrugineis; antennis ſeta propria triplo brevioribus.

Habitat, in cadaveribus Avium & Piſcium; *Cibariæ* Linn. proixma.

Ab-

Abdomen baſi bidentatum, glabrum. Thorax absque pilis. Alæ immaculatæ, hyalinæ. Curſus celer. *Pupa* ferruginea; antice duobus corniculis ſetaceis, poſtice margine denticulato, lineà longitudinali ſuſceſcente.

923. Musca *Strumoſa.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Corpus gracile longum; caput ovatum, baſi ſubtus obeſum; pedes longi, femoribus rufis: faſcia fuſca.

Super folia arborum, frequens.

Corpus nigricans. Roſtrum albidum. Caput brevi collo, tanquam petiolo impoſitum; foveola in fronte. Thorax antice attenuatus. Alæ hyalinæ immaculatæ. Abdomen imberbe. Halteres albidi, nudi. *Mas* abdomine tenuiore: poſtice dilatato, pene recto ſetaceo. *Fœmina* longior, abdomine acuminato.

924. Musca *Lacuſtris.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Thorax æneus. Abdomen viridi-æneum. Ambulat ſuper aquas ſtagnantes tanquam *Cimex Lacuſtris.*

Habitat in lacubus.

Frons ſubargentea. Oculi virides. Pili duo divaricati in occipite. Antennæ nigræ, clavatæ, obtuſæ. Roſtrum palpis ſubvilloſis, parvis. Thorax æneus, glaber. Alæ hyalinæ, immaculatæ; coſta antice ferruginea. Scutellum edentatum, rotundatum, piloſum. Abdomen lineam longum, viridi-æneum, albido villo adſperſum, ſubtus ſubfuſcum: ſegmentis lateraliter punctatis. Pedes longi: lamellis unguium pallidis.

(†††) Antennis deflexis.

925. Musca *Hortulana.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Nigra, nitens; halterum ſquama albida.

In hortis & cultis.

Corpus lineas quinque longum, unam cum dimidia craſſum, villoſulum, atrum, nitens. Abdomen oblongum. Alæ immaculatæ.

926. Musca *Maritima.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Thorax æneus. Abdomen rufum: baſi apiceque nigrum. Femora poſtica denticulata.

Habitat circa *Mare Adriaticum*, prope *Tergeſtum.*

Abdominis latera parallella, ſegmenta 2, 3, rufo-fulva; cætera nigra. Tibiæ flaveſcentes. Femora poſtica craſſiora, ſubtusque ſpinulis pluribus hirta. Thorax æneus. Halteres albidi. Abdomen baſi ſubtus albidum.

927. Musca *Meticuloſa.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Nigra, nitens; tibiis rufis: faſcia nigra, poſticis curvis.

In hortis, ſuſpenſa in aere ante florem, priuſquam ei inſideat, facillime inde fugiens.

Alæ immaculatæ. Halterum ſquama alba.

928. Musca *Merulina.*

— *long.* lin. 1½.

Diagn. Tota nigra nitens; oculis rubellis; alis fuſceſcentibus.

Habitat, ruri, anthophila.

Oblonga, duas lineas longitudine, dimidiam craſſitie æquans, piloſa; abdomine tereti, ſubcylindrico; ſegmentorum marginibus ſetoſo-ciliatis. Pedes nigri.

929. Musca *Cannabina.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Thorax æneus. Abdomen pellucidum, flavum: faſciis nigris alterne anguſtioribus.

Habitat in *Cannabi*, ſub cujus foliis, Auguſto M. ſunt pupæ glabræ, fuſco-rubræ, antice craſſiores, poſtice pallidiores; corniculo ſupra caudam parvo bifido ſuberecto.

Oculi caſtanei: margine albo. Antennæ rufeſcentes. Thorax lucidus, glaber. Alæ hyalinæ. Scu-

Scutellum luteum. Halteres pallidi. Abdomen lanceolatum, compreſſum, tres lineas longum; faſciis nigris: binis ultimis ſolitariis, cæteris binatis. Linea nigra a baſi ad apicem abdominis per medium ſuperne decurrens. Pedes flaveſcentes.

930. Musca *Paluſtris.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Thorax æneus. Abdomen flavo-rufum; faſciis tribus, nigris.

Habitat in herbidis, paludoſis, umbroſisque.

Larva lin. (5) longa, depreſſa, ferruginea; corniculo caudali bifido, lineis transverſis nigris variegata, degens ſub lignis dejectis. *Muſca* lin. (4) longa; oculis bruneis; antennis rufis: ſeta nigra, apice fuſcis; fronte nitida, flaveſcente, ſupra antennas villoſa; thorax nitens, villoſus; ſcutellum flavicans; halteres albidi; abdomen ſubtus rufum; alæ immaculatæ: pedes ſcutello concolores. Prodiit mihi 26. Aprilis.

931. Musca *Pyraſtri.*

— *long.* lin. 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 594.
Faun. Svec. 2. 1817.

Diagn. Thorax villoſus. Abdomen lunularum flavarum paribus tribus.

In *Carniolia*, non rara.

Nihilo minor *Api Mellifica.* Antennæ clavatæ, breves, obtuſæ, nigræ. Frons ſordide flava. Thorax & pectus villo griſeo tomentoſa. Scutellum lividum. Abdomen nigrum; ſupra tribus paribus linearum lunatarum flavarum, convexitate abdominis apice reſpicientium, idem ſubtus ſubdiaphanum, ſordide flavum. Femora nigra. Tibiæ & femora antica mediaque dimidia parte ferruginea. Alæ immaculatæ; lineola marginali, ferruginea.

932. Musca *Erratica.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Thorax æneus. Scutellum atro-cæruleum. Abdomen nigrum: faſcia rufa.

In ſylvis, & ruri vagatur.

Frons atra, nitens. Antennæ nigricantes. Thorax nitens. Alæ hyalinæ, in medio fuſceſcentes. Halteres flavi. Abdomen nitens, compreſſum, lanceolatum, ſegmentis duobus ultimis margine glauco, faſcia ſubabrupta fulva utrinque in ſecundo ſegmento. Pedes circa genua, una cum palmis ferruginei.

933. Musca *Libatrix.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Thorax æneo-fuſcus: ſcutello flavo. Abdomen nigrum: faſciis quatuor, quarum tres anticæ abruptæ.

Flores adit, libat, antequam ſedeat.

Non confundenda cum *Muſca Menthaſtri* Linn. quæ *Muſca Domeſtica* dimidio minor, pedibus flavis. Thoracis lateribus linea lutea, abdomine lineis arcuatis. Noſtra vero *M. Domeſtica* major, thorace immaculato, villoſo, æneo-fuſco; ſcutello villoſiore; abdomine tribus paribus macularum cinguloque poſtico, flavis; pedibus nigris, circa genua tantum flaveſcentibus.

934. Musca *Mellina.*

— *long.* lin. 2¼.

Linn. Syſt. Nat. p. 594.
Faun. Svec. 2. 1821.

Diagn. Abdomen macularum fulvarum paribus quatuor: antico obſoleto.

In floribus ſæpe obvia.

Thorax æneo-fuſcus, nitens, una cum ſcutello. Abdominis maculæ trigonæ. Antennæ, halteres, pedesque flavi.

935. Musca *Vacua.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Abdomen flavum; faſciis quatuor nigris, ſegmento primo pellucido albido: linea nigra longitudinali faſciæ primæ inſerta.

In floribus nectar haurit.

Neque M. *Inanis*, neque *Pellucens* Linn. huic ſimiles. Thorax dorſo fuſco, alibi pallidior. Antennæ, pedes, abdomen ſubtus flavi coloris. Alæ immaculatæ, linea fuſca marginali.

636.

936. Musca *Lucida.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Thorax æneo-fuſcus villoſus. Abdomen compreſſum, lucidum, æneo-fuſcum. Alæ fuſceſcentes.

In *Carnioliæ* pratis.

Differt a *Meticuloſa.* Alis fuſceſcentibus, pedibus omnibus nigris, antennis ruſeſcentibus.

937. Musca *Chryſorrhæa.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Cinerea ſetoſa; alis baſi halteribusque luteo-ferrugineis.

In campis arenoſis *Carnioliæ ſuperioris.*

Statura M. *Domeſticæ.* Antennæ nigræ. Frons & linea circum oculos albo-argentea. Oculi brunei. Alæ abſque puncto & lineis: coſta nigra, baſi luteo-ferruginea. Halterum ſquama alba: margine ferrugineo, ciliato. Abdomen oblongum, acutum, ſtercus luteo-ferrugineum a morte fundens. Pedes nigri ſetoſo-piloſi. Ergo diverſa ab omni alia hactenus numerata.

938. Musca *Ænea.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Æneo-fuſca, nitens; tibiis rufis: faſcia fuſca.

In floribus reperitur.

Tota brevi, ſericeo, aureo villo adſperſa. Halteres capitulo ferrugineo. Palpi ſub apice faſcia nigra annulati, tenues. Halterum ſquama alba. Alæ coſta ſubferruginea. Abdomen ovatum, obtuſum. Genua rufa. Pedes alibi nigri.

939. Musca *Vibrans.*

— *long.* lin. 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 599.
Faun. Svec. 2. 1867.

Diagn. Nigra nitens; capite inter oculos rubro; alis apice macula fuſca.

Junio M. capta.

Mi-

Minor *Domeſtica.* Antennæ clavatæ ruſo-rubræ. Oculi ruſo-aurei. Roſtrum nigrum; palpis ruſis. Abdomen baſi bidentatum, ellipticum. Halteres albi. Alæ hyalinæ, puncto fuſco ad apicem notatæ. Pedes nigri; femoribus ſubtus magis ciliatis.

Melius diceretur *Rubrifrons*, quam *Vibrans*, cum alas vibret etiam M. *Cynipſea.*

940. Musca *Germinationis.*

— *long.* lin. 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 600.
Faun. Svec. 2. 1874.

Diagn. Frons fulva. Oculi virides. Corpus nigrum. Alæ coſta lineisque binis transverſis fuſcis.

In foliis arborum.

Minor *Domeſtica*, nitens. Oculi margo argenteus. Halteres albi, ſubnudi. Caput & thorax poſtice ſetulis nonnullis ciliata. Alæ hyalinæ: coſta fuſca, lineisque binis fuſcis, quarum una coſtæ, altera margini interno impoſita eſt. Abdomen baſi bidentatum, ſubovatum, obtuſum. Pedes nigri.

941. Musca *Arnicæ.*

— *long.* lin. 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 600.
Faun. Svec. 2. 1872.

Diagn. Alæ fuſcæ; maculis albis. Pedes rufi.

In thalamo florum *Arnicæ*, & adfinium.

Ad coſtam alæ ſunt maculæ duæ albæ magnæ, alibi vero puncta alba rotunda. Oculi virides. Roſtrum cum antennis rufum. Abdomen ovatum, fuſcum, immaculatum. Thorax fuſcus, absque punctis. Pedes absque faſciis. Setæ nonnullæ ad poſteriora capitis thoracisque.

Larva perforat diſcum floris *radiati*, vicina germina ſterilia reddit, mutatur in pupam atram, unde Junio M. mihi tres prodierunt.

942.

942. Musca *Aphidioides.*

— *long.* lin. 1¼.

Diagn. Statura *Aphidis*, nigra tota; alis cupreo-hyalinis; abdomine tereti, acuminato.

In hortis reperitur.

Parvitas animalculi non permiſit ut roſtrum examinarem. Tibiæ poſticæ piloſæ. Oculi fuſco-rufi: faſcia transverſa. Halteres albidi.

943. Musca *Luteola.*

— *long.* lin. 1¼.

Diagn. Flaveſcens; oculis viridibus; punctis tribus occipitalibus nigris.

In feneſtra Muſeoli mei capta, 23. May.

Antennæ ſetula nigra. Alæ immaculatæ, albidæ. Abdomen ovatum.

944. Musca *Oppidana.*

— *long.* lin. 1½.

Diagn. Flava, ut prior; ſed oculis violaceis; antennarum clava & tuberculo occipitali nigris.

Vagatur circa pagos, oppida, & tuguria ruſticorum.

945. Musca *Umbelliferarum.*

— *long.* lin. 1¼.

Diagn. Flavo-nigroque varia, oculis fuſco-vireſcentibus.

In floribus plantarum *Umbellatarum*, non rara.

Parvula, linea vix longior. Antennæ apice fuſcæ. Nucha tuberculo nigro. Thorax maculis tribus dorſalibus, fuſcis. Scutellum totum flavum. Sub alis utrinque macula ovata, nigra. Halteres capitulo albo. Abdomen obcordatum, flavum; ſegmentis mediis ſuperne fuſcis. Pedes flavi.

946. Musca *Feſtinans.*

— *long.* lin. 1¾.

Diagn. Nigra. piloſa; fronte ferruginea.

Celeriter curſitat, ſæpius quieſcens, hinc feſtinando defatigata.

Statura M. *Fungorum*. Antenn. clava rotundata; ſetula longa. Alæ immaculatæ hyalinæ: coſta piloſa. Halteres erecti, pallide-ferruginei. Pedes ad genua ruſeſcentes.

947. Musca *Cynipſea*.

— *long*. lin. 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 599.
Faun. Svec. 2. 1868.

Diagn. Abdomen poſtice coarctatum ut in *Veſpa Coarctata*. Alæ ad apicem puncto nigro. Pedes rufi.

Paſſim in foliis arborum, feneſtris &c.

Curſitans, alas erigit, vibrat, expandit; quieſcens aut frigore contriſtata eas gerit incumbentes. Abdomen nitens. Halteres albi, nudi.

C. *Muticæ*.

Absque plumula & ſeta.

948. Musca *Spoliata*.

— *long*. lin. $1\frac{1}{4}$.

Diagn. Nigra, glabra; oculis faſcia tranſverſa.

Junio M. in hortis occurrit.

Duas lineas longa. Faſcia obſcurior in quolibet oculo. Alæ abdomine non longiores. Halteres capitulo toto albo, ovato. Femora ruſeſcentia.

949. Musca *Saltitans*.

— *long*. lin. 2.

Diagn. Oculi fuſci, ſine faſcia. Alæ abdomine longiores.

Ruri degit, Junio M., non frequens, currens velociter, ſaltitando volans.

Antennæ biarticulatæ. Halteres ſupra nigri, ſubtus albidi.

CE-

Inſecta 867-950. omnia *Muſcæ* roſtrum datum gerere, certus ſum nondum.

CERIA.

Roſtrum *Muſcæ*. Antennæ moniliformes: articulo ultimo craſſiore.

950. Ceria *Decemnodia*.

— *long.* lin. 2.

Diagn. Antennæ articulis (10), ſubæqualibus.

In hortis & domibus, non infrequens.

Statura *Muſcæ Cynipſeæ*. Corpus nigrum, gracile. Caput parvum rotundum: tuberculis binis occipitalibus. Roſtrum retractile: palpis nigris, piloſis. Thorax gibbus, ſubtus prope caput macula flava. Alæ hyalinæ, immaculatæ, toto corpore longiores: nervis duobus nigris ad apicem alæ usque non productis, & infra medium unica anaſtomoſi junctis. Halteres nudi, pallidi, ſubdiaphani: clavula ſubrotunda Abdomen ovato-oblongum, nitens; baſi utrinque puncto flavo laterali. Pedes nigri. Macula lateralis ad baſim abdominis. Pedes poſtici longiores & craſſiores.

951. Ceria *Septemnodia*.

— *long.* lin. 1¼.

Diagn. Antennæ articulis (7) latere acuminatis: ultimo majore, ovato.

In tubo corollæ *Hemerocallis luteæ* 23. Maji.

Tota nigra, glabra, vix lineam longa. Alæ hyalinæ. *Mas* minor; *Fæmina* abdomine craſſiore, longiore, cylindraceo.

CONOPS.

Os armatum roſtro quadriſeto: ſetis binis longioribus, vagina retractili plus minus carnoſa, apice labiata: labio ſuperiore bilobo; inferiore bifido: ſegmentis acutis.

(*) *Antennis plumatis.*

952. Conops *Biſaſciatus*.

— *long.* lin. 6.

P. Foda. Muſ. Græc. p. 118. Zonarius.

Diagn. Maximus, abdomine flavo: cingulis nigris: ſupra binis, ſubtus tribus.

Flores frequentat, ego in cymis *Corni ſanguinariæ* reperi.

Definitio *Muſcæ Inanis* Linn. huic convenit, non vero deſcriptio Faun. Svec. 2. 1825. Caput inter oculos flavum, apice elongato, quadridentato: dentibus duobus intermediis, minimis. Thorax nigricans; lateribus ſcutelloque fuſco-rufis. Halteres capitulo albido, obtuſo. Alæ ad coſtam fere ſemiferrugineæ, infra apicem nebula fuſca. Abdomen ſubdiaphanum flavum, lin. (4) longum, paulò minus craſſum, baſi nigrum: ſegmento ſecundo ruſo-ferrugineo, linea nigra media abrupto, faſciis binis nigris; ſubtus ubique flavum: faſciis nigris tribus, in medio abdominis ſeſe contingentibus. Femora nigra: apice tibiisque fuſco-rufis.

953. Conops *Trifaſciatus.*

— *long.* lin. 5½.

Diagn. Abdomen flavum pellucens: cingulis tribus nigris.

In ſylvis, ſuper fructus immaturos *Hederæ helicis* frequentior.

Caput & alæ, ut in priore. Thorax dorſo fuſco, ſcutello lineisque lateralibus flavis; macula flava ſub alis. Halteres flavi. Abdomen baſi nigrum; cingulis tribus, nigris, utrinque. Pedes ut in priore.

954. Conops *Pertinax.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Caput totum & thorax canis villis pubeſcentia. Abdomen nigrum: cingulis tribus flaveſcentibus maculisque binis conicis lateralibus in primo ſegmento.

Paſſim adeſt, reditque ſæpius ad plantam unde pulſus.

Statura *Muſcæ Carnariæ.* Thorax fuſcus; ſcutello ſordido. Maculæ conicæ primæ abdominis inciſuræ baſi impoſitæ ſunt margini ejuſdem. Alæ puncto coſtali obſcuriore. Halterum ſquama alba: margine flaveſcente.

955. Conops *Bombilans.*

— *long.* lin. 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 591. Muſca n. 14. definitio, nam deſcriptio Faun. Svec. 2. 1792. non omnino conſentit.

Diagn. Nigerrimus; fronte pallide flaveſcente; abdominis apice fulvo.

Apud nos non frequens.

Tomentoſus; alæ macula media fuſceſcente interrupta, ſeu potius linea transverſa fuſca larvam, *Phalænæ Geometræ* actu incedentem & contractam referente.

Idem hic eſt *Conops Pocopyges* R. P. Poda. Muſ. Græc. p. 118-119. Sexus alter ſcutello ſordido, abdominisque apice flavicante.

956. Conops *Pennatus.*

— *long.* lin. 5½.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 118. Tricolor.

Diagn. Magnæ plumulæ antennarum. Frons, latera thoracis & ſcutellum flavo colore tincta. Abdomen nigrum; angulis baſeos apiceque albidis.

In *Carniolia* calidiore.

In alis linea eſt fuſca literæ (S) ſimilis. Plumulæ antenn. rachi flava: apice nigro. Totus ſubtus niger.

957. Conops *Dryaphilus.*

— *long.* lin. 5½.

Diagn. Abdomen nigrum baſi maculis duabus, pellucidis, fulvis: ſubtus albidis. Alæ macula media nigra: baſi luteo-ferruginea.

In *Quercubus* ſtillantem lingit humorem cum *Scarabæis* & M. *Crabrone.*

Caput inter oculos antennæque flavæ. Thorax nigricans, linea laterali ſcutelloque ſordide flavis. Halteres albidi. Alæ baſi ferrugineæ, macula nigra in medio impoſita coſtæ laticre ſua baſi, ad apicem ejusdem alæ linea fuſca longitudinali.

958. Conops *Leucorrhæus.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Abdomen nigrum: apice albo villo pubeſcente.

In ſylvis.

Statura *Muſcæ Carnariæ.* Frons albida: linea media lucida nigra ſub antennis ad os usque. Occiput rufis pilis tomentoſum, ut & thorax totus, qui fuſcus: ſcutello ſordide flavo. Abdomen nigrum, apice pilis albis pubeſcens. Alæ linea curva, fuſco-ferruginea. Pedes nigri. Tibiis dimidia parte, verſus genua, albis. M. *Intricaria* Linn. huic proxima, & forte eadem.

(**) *Antennis ſetariis.*

959. Conops *Floreus.*

— *long.* lin. 5¼.

Linn. Syſt. Nat. p. 591. Muſca n. 18.
Faun. Svec. 2. 1796.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 116. Muſca florea. *β.*

Diagn. Thorax flavus: faſciis duabus nigris. Abdomen faſciis tribus abruptis: prima majore.

In floribus paſſim.

A nucha ad apicem oris linea nigra decurrit, quam inter & oculos flavum caput eſt. Scutellum fuſco ſordideque flavum, margine flavo. Abdomen baſi linea albo lutea, ſcutello contigua transverſa, poſt quam maculæ duæ conicæ flavæ: baſi incumbentes margini abdominis; has ſequuntur cingula duo interrupta, dein tertium & integrum. Pedes nigri: genubus tibiisque ferrugineis, aut luteo-ferrugineis.

960. Conops *Vulgaris.*

— *long.* lin. 5½.

Diagn. Thorax fuſcus, griſeo, rufove villo tomentoſus. Scutellum ſordidum. Abdomen baſi faſcia magna interrupta, ſeu maculis binis.

Ubique reperitur.

Frons

Frons ſequitur colorem pilorum thoracis. Abdomen præter maculas dictas, habet etiam cingulum unum & plura earum colore tincta.

961. Conops *Fuſcus.*

— *long.* lin. 5½.

R. P. Poda. Muſ. Græc. Conops interruptus.

Diagn. Totus fuſcus; ſcutello ſordido.

Ad vias, & flores.

Statura *Apis Mellificæ.* Thorax ſubrufo villo tomentoſus. Abdomen nitens, absque faſciis. Genua rufeſcentia.

962. Conops *Cupreus.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Abdomen cupreum. Antennæ pedesque ferruginei.

In ſylvis, & Quercetis.

Caput ferrugineum. Oculi brunei. Antennæ ſeta nigra. Thorax fuſcus, villoſus, lateribus ſcutelloque ſetoſis, lineis longitudinalibus cinereis (4). Scutellum ſordidum. Abdomen cupreum, nitidum, aureo villo præſertim apice pubeſcens. Alæ apice obſcuriores, maculis duabus fuſcis parvis mediis. Halteres ferruginei; capitulo fuſco truncato, ſquamula albida. Pedes toti ferruginei.

963. Conops *Femoratus.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Femora poſtica craſſiora, ſpinoſa. Thorax æneus. Abdomen fuſcum, ſemicylindricum.

In ſylveſtribus. Majo M.

Antennæ rufeſcentes. Thorax rufo villo tomentoſus. Alæ incumbentes, linea obliqua repanda media. Abdomen nitens.

964. Conops *Feſtivus.*

— *long.* lin. 4⅔.

Linn. Syſt. Nat. p. 592. Muſca n. 33. Faun. Svec. 2. 1812.

Diagn. Antennæ porrectæ, longæ, triarticulatæ, tuberculo impoſitæ. Abdomen marginatum: paribus quatuor linearum arcuatarum flavarumque.

Habitat in ſylvis & nemoribus.

Niger, glaber, exiguis villis punctula referentibus adſperſus. Antennæ nigræ, longitudine ſua thoracis latitudinem æquantes, ſetula ex apice articuli medii, non vero terminali Linn. Frons flava, macula nigra ſub antennis. Thorax in dorſo lineis binis albidis approximatis, linea flava & macula cordiformi in ſingulo latere. Scutellum nigrum: margine flavo. Alæ macula fuſca ad marginem craſſiorem, infra quam ala ibidem ferruginea eſt. Halteres flavi; ſquamula ferruginea. Pedes ferruginei; tibiis flaveſcentibus.

965. Conops *Gemmatus.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Thorax niger: linea laterali ſcutelloque flavis, maculis quatuor argenteis inter pedes & alas utroque in latere. Abdomen cingulis quatuor flavis: poſtico interrupto.

Floribus inſidet.

Niger. Antennæ flavæ. Frons argentea: macula nigra ſupra antennas. Alæ hyalinæ. Halteres flavi. Abdomen ſubtus pedesque flavi.

966. Conops *Glaucius.*

— *long.* lin. 4½.

Linn. Syſt. Nat. p. 593. Muſca. n. 35.
Faun. Svec. 2. 1813.

Diagn. Abdomen cingulis tribus albidis interruptis.

Habitat in pratis montanis.

Frons flava. Thorax fuſcus, rufo villo pubeſcens. Scutellum ſordidum. Abdomen nigrum, ribus paribus linearum albidarum. Pedes maxima parte ferruginei.

967. Conops *Æneus.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Oculi cinerei, fuſco-punctati. Abdomen æneum, nitens.

M. Aprilit 27. captus circa *Idriam.*

Statura M. *Cæſaris.* Frons pallide-rufis pilis pubeſcens. Thorax niger: lineolis pallidis. Abdo-

domen ovatum, ſubtus obſcurius. Halterum ſquama albi. Alæ immaculatæ, hyalinæ.

968. Conops *Præcinctus.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Abdomen nigrum: baſi album. Alæ macula fuſca.

In *Auſtriaco Litorali.*

Paulo major M. *Cæſare.* Antennæ nigræ. Frons albida, linea media longitudinali lucida nigra. Thorax fuſcus, rufo villo tomentoſus. Abdomen villoſum, ovatum: baſi utrinque album.

969. Conops *Pipiens.*

— *long.* lin. 2½.

Linn. Syſt. Nat. p. 594. Muſca. n. 44.
Faun. Svec. 2. 1822.

Diagn. Nigra; thorace abdomineque utrinque lateraliter albido-maculatis, femoribus poſticis clavatis dentatis.

Habitat ruri, *Sonchi* & *Menthæ* floribus involans.

Frons ſubargentea. Antennæ ſubrufæ. Oculi brunei. Thoracis latera albida. Alæ hyalinæ, immaculatæ. Halteres albi; ſquama alba. Abdomen ſegmento primo prope ſquamulam halterum ciliato, ultimo utrinque nigro. Femora nigra: poſtica baſi & macula utrinque rufis. Tibiæ poſticæ curvæ: annulo rufo. Roſtri figuram elegantem ſubmiſit demum R. P. Poda, quæ *Conopis* ſpeciem eſſe confirmat.

970. Conops *Clavatus.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Abdomen ſubpetiolatum, clavatum, ſubtus concavum, rectum, ferrugineum: cingulis binis fuſcis.

In *Corylo* captus, Julio M.

Tres lineas longus, gracilis. Antennæ fuſcæ. Thorax fuſcus. Abdomen flavicans: baſi attenuatum, ac ſi petiolatum eſſet. Femora poſtica clavata, craſſa, lutea: antice fuſca, non dentata.

ANTHRAX.

Os armatum roſtro biſeto: vagina baſi carnoſa retractili; apice dilatata, non labiata; medio palpigera, univalvi.

971. Anthrax *Morio.*

— *long.* lin. 5½.

Linn. Syſt. Nat. p. 590. Muſca n. 7.
Faun. Svec. 2. 1784.

Diagn. Nigra, hirta; alis corpore longioribus, nigris: apice excolore.

Circa vias argillaceas ſabuloſas, & ſepes.

Antennæ diſtinctæ, parvæ, teretes, biarticulatæ: articulo ultimo rotundato, compreſſo, majore, terminato ſetula, apice piloſa nigra. Alarum color niger verſus apicem & marginem tenuiorem crenulatim evaneſcens; alæ eædem ſedentis patulæ. Abdomen ovatum, baſi ad latus ſingulum prope halteres pilis albis variegatum; punctis binis, albis, poſticis.

RHINGIA.

Os armatum roſtro triſeto: ſeta media longiore bifida, lateralibus æqualibus minoribus acuminatis palpigeris: vagina attenuata applicata canali oris, eademque univalvi.

972. Rhingia *Roſtrata.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Antennæ, roſtrum, ſcutellum, abdomen, ferruginea. Thorax cineraſcens: lineis nigris longitudinalibus.

Apud nos non rara, ruri, ſuper arbores, herbas &c.

Statura *Muſcæ Cæſaris*, quandoque etiam *Domeſticæ*. Antennæ deflexæ, ſubplumatæ. Roſtrum oris, ſeu facies in corneum convergens lucidum, apice bifidum elongata, cujus averſa pars canalem habet, qui roſtrum excipit. Abdomen ovatum, ſubpellucidum; linea dorſali, ſegmentiſque margine fuſcis. Alæ incumbentes: coſta ferruginea, puncto medio fuſco. Pedes nigro ferrugineoque varii. Conf. *Conops Roſtrata* Linn.

ERAX.

ERAX. (†)

Os armatum roſtro trifeto: ſetis duabus brevioribus, ſæpius palpigeris: vagina univalvi longitudinem capitis non ſuperante.

(*) *Fronte barbata.*

973. Erax *Proſtratus.*

— *long.* lin. 6.

Linn. Syſt. Nat. p. 605. Aſilus ater.

Diagn. Niger, tumida fronte, barba albida.

Volat æſtate circa ſepes hortorum, & aquæductus, pectori, dum ſedet, incumbens, expanſis pedibus.

Roſtri vagina nigra: apice bifida, piloſa, præter ſetas tres dictas, etiam quartam fovet incumbentem ſetæ longiori. Palpi nigri, clava piloſa. Abdomen nitens. Alæ incumbentes. Lamellæ unguium pallide ferrugineæ. Antennæ erectæ, clavatæ, muticæ.

974. Erax *Crabroniformis.*

— *long.* lin. $6\frac{1}{2}$.

Linn. Syſt. Nat. p. 605. Aſilus n. 3.

Frisch. Inſ. 3. Tab. 8. fig. 3. p. 35.

Diagn. Abdominis ſegmenta tria nigra, reliqua flava. Alæ ferrugineæ: margine tenuiore maculis fuſcis variegato.

In herbidis reperitur.

Antennæ porrectæ: clava oblonga, nigra, ſeta terminata. Frons ferruginea, barbata prope roſtrum. Thorax fuſco-ferrugineus, poſtice ſetoſus; ſcutello nigricante. Abdominis ſegmenta 1, 2, 3, nigra, reliqua flava, ultimo forcipe rufa nitida terminato. Pedes ferruginei.

975. Erax *Forcipatus.*

— *long.* lin. $6\frac{1}{2}$.

 Linn.

(†) Victitat rapina *Dipterorum*, præſertim *Tipularum.*

Linn. Syſt. Nat. 2. 606. Aſilus n. 9.
Faun. Svec. 2. 1914.
Frisch. Inſ. 3. Tab. 7. fig. 3. p. 32-34.
Diagn. Rufeſcens; thorace linea dorſali & maculis utrinque tribus pedibusque fuſcis; femoribus ſubtus ſpinoſis.

Frequens in pratis, & collibus herbidis.

Deſcriptio ab Ill. Linnæo data, noſtro non convenit, & tamen idem qui a Frischio pictus; nempe ſeptem lineis nunquam brevior, cui antennæ nigræ, adſcendentes: articulo ultimo longiore ſubulato, mutico. Frons rufa, nigris rufis deflexisque pilis barbata. Roſtrum nigrum antrorſum vergens: vagina apice emarginata. Thorax gibbus. Alæ immaculatæ. Halteres flavi. Abdomen ſupra, certa lucis incidentia fuſcum: cingulis rufis. Pedes nigricantes. Femora ſpinoſa: ſpinis poſticorum rufis, aliorum nigris.

976. Erax *Barbatus.*

— *long.* lin. 5½.

Diagn. Fuſco-cinereus; barba alba; alis puncto fuſco: apice fuſceſcentibus.

Habitat cum priore, etſi rarior.

Cauda forcipata, antennæ, femoraque ſpinoſa ut in priore. Diverſus barba alba, fronte piloſiore, roſtri apice rufo, thorace linea equidem dorſali obſcuriore, ſed absque maculis fuſcis, abdomine punctorum nigricantium ſeriebus tribus, halteribus capitulo fuſco, pedibus fuſco-ferrugineis, alis puncto medio fuſco, & apice fuſceſcente.

977. Erax *Ferox.*

— *long.* lin. 7½.

Diagn. Niger; thorace poſtice rufis villis tomentoſo; femoribus craſſis; tibiis poſticis curvis.

Habitat Junio M. circa aquæductus *Fodinarum Idrienſium* in *Struk.*

Frons pilis rufis barbata. Antennæ adſcendentes, clavatæ, obtuſæ, muticæ. Dorſum in medio fere glabrum, poſtice tomentoſum: pilis rufis aut fulvis. Halteres fulvi. Alæ incumbentes, fuſceſcentes: baſi excolore. Abdomen ſupra antice glabriuſcu-

briuſculum, poſtice & lateraliter hirſutum, cylindraceum. Femora omnia craſſa valde & ſpinoſa. Tibiæ poſticæ arcuatæ. Abdomen terminatum laminis tribus: apice rotundatis, ſubovatis, nigris. *Sexus unus* major, tomento fulvo abdominali, inter lamellas poſticas fovens ſetam acuminatam, parvis lamellis binis munitam; *alter* tomento rufo, & inter lamellas caudales corpore molli albido ciliato, cui utrinque adjacet corpus aliud falcatum bicorne: cornu inferiore baſi dente notato.

978. ERAX *Conopſoides.*

— *long.* lin. 5½.

Diagn. Niger hirſutus; abdomine ovato: ſupra fulvo-tomentoſo; femoribus poſticis, clavatis; Tibiis omnibus cineraſcente villo externe barbatis.

Rarior apud nos, ſubmiſſus etiam a R. P. PODA.

Septem fere lineas longus. Halteres albidi. Abdomen inflexum, ovatum. Alis neque fuſcis, neque maculatis. Diverſiſſimus a *Crabroniformi*. & *Gilvo* Celeberr. LINNÆI: qui fuſcas alas habet.

979. ERAX *Tenthredoides.*

— *long.* lin. 6½.

Diagn. Niger, glaber; antennis, alis coſta, femoribus, tibiiſque ferrugineis.

Circa *Labacum.*

Frons pallide flaveſcens. Thorax linea laterali maculiſque lateralibus aureo nitore fulgidis, quarum una etiam utrinque diſtinguit ſegmenta abdominis; ſimilium punctorum par ſub ſcutello, nec non duo inter baſes pedum mediorum & anticorum. Halteres ferruginei. Palmæ nigræ. Alarum nervi ferruginei. Abdomen cylindricum convexum, ſubtus concavum, glabrum, lin. 5½ longum, 1½ craſſum.

980. ERAX *Rufipes.*

— *long.* lin. 6.

Diagn. Niger totus; fronte barbata; antennis pedibuſque ferrugineis.

Ruri degit.

Antennæ articulus ultimus in ſetam continuatus. Dorſum & abdomen abſque maculis. Halteres ferruginei. Pedes toti ferruginei. Alæ excolores: apice paulo obſcuriores: nervis fuſcis.

981. Erax *Niger*.

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Niger, fronte, halteribus, abdominisque inciſuris margine aureis.

In floribus, Majo M.

Antennæ clavatæ, muticæ. Aureus nitor frontis & marginis lateralis ſegmentorum abdominis in alio oculi ſitu fere evaneſcit. Abdomen ſemicylindricum. Oculi fuſco-vireſcentes. Alæ ſubvioláceæ: baſi excolores.

982. Erax *Aquaticus*.

— *long.* lin. 3.

Diagn. Niger; halteribus, abdominisque inciſuris margine albis.

Ad aquæductus *Idrienſes*, Majo M. nec alibi.

Quatuor lineas longus, totus niger. Halteres albi: capitulo compreſſo. Alæ hyalinæ, ſine maculis. Abdomen ſemicylindricum.

(**) *Fronte imberbi.*

983. Erax *Puſillus*.

— *long.* lin. 2¼.

Diagn. Nigricans, thorace cineraſcente: lineis nigris, halteribus albis.

In ſylveſtribus, Majo M.

Corpus tres lineas longum. Oculi caſtanei. Alæ immaculatæ, hyalinæ: venis fuſcis, linea marginali nigra. Abdominis inciſuræ margine albidæ.

984. Erax *Maculatus*.

— *long.* lin. 6.

Diagn. Oculi ſubvirides. Thorax fuſcus: lineis pallidioribus. Abdomen ferrugineum: linea laterali maculisque dorſalibus nigris.

In ſylvis & Ericetis, non rarus.

Anten-

Antennæ articulus ultimus ſubrotundus, ſetula nigra terminatus. Oculi fuſco-virides. Pectus, cui pedes inſeruntur, cinereum. Alæ, linea marginali ferruginea, venis fuſcis, patentes. Femora ferruginea. Tibiæ ferrugineæ: apice fuſcæ. Palmæ fuſcæ. *Mas* ſegmentis abdominis 2, 3, 4, 5, macula nigra tetragona, ceteris ubique nigris: margine ferrugineo. *Femina* maculis ſegmentorum abdominis prædictorum conicis contiguis, ſubtus vero tetragonis.

985. Erax *Inquinatus.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Alæ hyalinæ: apice, veniſque fuſcis; linea coſtali nigra.

In pratis.

Antennæ, abdomen, pedeſque ferruginei. Thorax cinereus: lineis fuſcis. Abdomen maculis trigonis dorſalibus. Alæ apice fuſceſcentes, ſub quo in medio eſt punctum fuſcum transverſum, ſupra baſim transverſa ſerpentina linea decurrit. Variat ſtatura majore, nempe alis lineas quinque longis.

986. Erax *Rufus.*

— *long.* lin. $4\frac{1}{2}$.

Diagn. Totus rufus. Thorax lineis dorſalibus fuſcis tribus longitudinalibus. Abdomen dorſo punctis (4) nigris.

In herbidis collibus.

Non debet confundi cum maculato, a quo pluribus notis differt, præſertim vero alis abſque linea fuſca marginali, iiſdemque ad coſtam rufis, oculiſque viridibus.

ASILUS. (†)

Os armatum roſtro quadriſeto: vagina porrecta, rigida, capite longiore, convergente bivalvi.

987. Asilus *Mucronatus.*

— *long.* lin. 4.

Diagn.

(†) *Aſili* capite parvo ſubrotundo, dorſo gibbo, pedibus longis, imprimis autem roſtro longo inflexo tenui dignoſcuntur. Vivunt rapina *Tipularum.*

Diagn. Abdomen baſi attenuatum, poſtice ovatum; apice mucronato. Femora & tibiæ ferrugineæ.

Per prata vagatur.

Abdominis porto ovalis, ſubtus plana eſt, ſupra convexa. Thorax dorſo lineis tribus fuſcis longitudinaliter ſtriatus. Sexus alter mucrone abdominis caret.

988. Asilus *Punctatus.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Abdomen antice ad latera piloſum. Thorax lateribus ſcutelloque ſetoſis.

Super plantas & arbores, non rarus.

Antennæ notabiliter divaricatæ. Thorax lineis tribus dorſalibus obſcurioribus, quarum media duas ſeries pilorum continet, laterales autem tres. Abdomen villoſum, ſed magis antice ad latera. Alæ coſta fuſca. Halteres ferruginei. Femora ferruginea; genubus fuſcis. Tibiæ ferrugineæ.

989. Asilus *Ferrugineus.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Thorax & abdomen linea longitudinali fuſca dorſali.

Ruri degit.

Corpus lineas tres longum. Oculi brunei. Antennæ fuſcæ. Thorax præter lineam dorſalem, puncto quoque fuſco laterali utrinque notatus. Abdomen alia linea fuſca in ſingulo latere. Alæ hyalinæ, venis fuſcis, puncto marginali fuſceſcente.

990. Asilus *Lineatus.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Alæ linea & puncto fuſco ad coſtam, lineola ad apicem aliaque in medio obliquis fuſcis, variegatæ.

In pratis.

Thorax cinereus: lineis longitudinalibus duabus fuſcis in dorſo, quibus tenuior & tertia interjacet. Alæ baſi ferrugineæ, hyalinæ, venis fuſcis. Halteres ferruginei. Abdomen fuſceſcens: ſegmen-

mentis margine pallidioribus. Femora & tibiæ ferrugineæ.

991. Asilus *Setoſus.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Thorax fuſco-cinereus. Abdomen pedesque ferruginei. Setulæ nigræ in nucha, dorſo, ſcutello, & marginibus ſegmentorum abdominis.

In umbroſis, herbidis, udisque.

Scutellum ferrugineum, ſetulis quatuor. Abdomen villoſum. Palmæ pedum fuſcæ.

992. Asilus *Cinereus.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Thorax cum abdomine cinereus. Alæ apice fuſceſcentes. Femora tibiæque ferrugineæ.

In ſylveſtribus locis.

Thorax duabus lineis fuſcis in dorſo. Halteres ferruginei. Alæ baſi ſubferrugineæ, linea fuſca marginali. Abdomen (ut etiam thorax) villoſum: baſibus pilorum, lente obſervatis, totidem puncta referentibus. Palmæ nigræ.

993. Asilus *Æſtivus.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Cineraſcens; thorace lineis pedibusque nigris.

Æſtate occurrit, inter frutices.

Dorſum thoracis lineis quatuor nigris. Halteres albidi. Alæ pulchræ hyalinæ: linea nigra marginali. Abdomen maris apice mucronatum. Pedes toti nigri.

994. Asilus *Pennipes.*

— *long.* lin. 2.

Linn. Syſt. Nat. p. 604. Empis. n. 2.
Faun. Svec. 2 1896.

Diagn. Pedes poſtici longi: alteri ſexui pennati.

M. April. 27. captus in herbido colle.

Totus niger. Halteres pallidi. Alæ immaculatæ.

995.

995. Asilus *Flavipes.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Niger; antennis pedibusque teſtaceis.

In *Coryli* foliis reperitur.

Statura *Culicis*, agilis, niger. Palpi albidi roſtro incumbentes, ut in *Tabanis.* Antennæ articulo pyriformi ſetula longa fuſca terminato. Oculi ſubvirides. Ab occipite ad frontem linea alba. Alæ hyalinæ, immaculatæ: vaſis teſtaceis. Halteres colore pedum. Femora media craſſiora omnia villoſa.

996. Asilus *Fulcratus.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Thorax antice, alæ baſi, pedesque ferruginei. Femora media craſſa.

Majo M. in foliis arborum.

Antennæ fuſcæ. Thorax poſtice fuſcus. Alæ hyalinæ, immaculatæ: venis ferrugineis. Genua media ſpina nigra terminata. Abdomen ſingulo ſegmento pari uno punctorum & macula nigra lucida depreſſa.

997. Asilus *Dubius.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Niger; halteribus ferrugineis; pedibus poſticis longioribus craſſioribusque.

In *Ceraſo* & *Quercu* convenit, nuptias initurus, Aprili & Majo M.

Genere dubium Animal. Roſtro uniſeto brevi: vagina bivalvi: valva inferiore apice dilatata, obtuſa, baſi attenuata; ſuperiore convergente, acuminata; Palpis e baſi roſtri natis. Potuerunt tamen aliæ duæ roſtri ſetulæ, ob ſummam forte parvitatem, meos oculos, meaque vitra effugiſſe, hic aliis notis cum Aſilo conſentiens Dipterum, hoc loco poſui, donec novis obſervationibus de roſtri fabrica genuina certior factus fuero.

Antennæ triarticulatæ: articulo medio minore rotundo, ultimo unguiculato ut in *Tabanis* plerisque. Oculi contigui. Tuberculum in occipite. Thorax ſubrotundus, villoſus. Halteres pallide ferruginei. Alæ hyalinæ, leniter fuſceſcentes. Abdo-

do-

dominis ſegmento ſingulo punctis quatuor impreſſis. Pedes nigri. Femora poſtica longiora, craſſiora, compreſſa.

Prædatur *Tipulas*, & *Muſcas.*

S T Y R E X.

Os armatum roſtro uniſeto: vagina retractili, palpigera: apice dilatata, obtuſa.

998. Styrex *Holoſericeus.*

— *long.* lin. 3.

Diagn. Totus ater, villoque tenui denſo tectus. Alæ hyalinæ; puncto fuſco marginali.

In pratis noſtris ſubmontanis, non rarus.

Roſtrum ſingulare prorſus; nempe ovatum corpus acumen profert, quod eſt ipſa ſeta; infra hoc acumen oritur vagina retractilis, e cujus medio palpi clavati prodeunt, hujus apex latior eſt quam baſis idemque obtuſus & fere truncatus. Antennæ articulis binis, terminali rotundo & ſetula terminato. Abdomen pone attenuatum, teres, cylindraceum, inflexum. Pedes longi, lamellis unguium albidis.

H I R T E A.

Os armatum roſtro uniſeto: ſeta canaliculata obtuſa: vagina retractili, apice labiata, baſi palpigera.

999. Hirtea *Longicornis.*

— *long.* lin. 5.

Diagn. Corpus ſemiunciale, pubeſcens. Oculi fuſceſcentes: faſciis duabus violaceis.

In horto *Collegii Labacenſis* captam, communicavit R. P. Wulfen.

Frons, una cum thorace albido villo pubeſcens. Antennæ porrectæ, roſtro duplo longiores. Alæ ſubferrugineæ. Halteres albi, ſquamula alba. Abdomen lineas tres craſſum, nigrum, baſi trun-

catum

catum, thorace vix longius, ſupra fulvo villo tomentoſum.

E M P I S.

Os armatum roſtro uniſeto: vagina: baſi membranacea retractili palpigera; alibi lucida rigida attenuata porrecta longa.

1000. Empis *Petiolata.*

— *long.* lin. 3.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 118.

Diagn. Antennæ longæ, porrectæ, clavatæ, acuminatæ, absque plumula & ſeta. Abdomen petiolatum

In herbidis *Carnioliæ* calidioris, non frequens.

Roſtri vagina apice dilatata. Antennæ nigræ. Frons flava. Nucha nigra. Thorax niger, punctatus. Alæ hyalinæ dimidia parte longitudinali verſus coſtam fuſco-ferrugineæ. Halteres flavi, nudi. Abdomen eſt clava fuſca, obtuſa, nigricans, oblonga, leniter incurva, petiolata: petiolo rufo, baſi & apice flavo. Pedes rufi.

1001. Empis *Calcitrans.*

— *long.* lin. 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 6c4. Conops. n. 2. Faun. Svec. 2. 1900.

Diagn. Muſcæ Domeſticæ ſimilis ut ovum ovo, ingruente pluvia tibias noſtras valde pungens; abdomine ovato, cinereo, nigris punctis teſſulato.

Habitat paſſim.

Antennæ deflexæ nigræ, obtuſæ, plumatæ. Frons ſubaureo nitore fulgens. Punctum fulvum ſupra antennas. Thorax cinereus, punctis lineisque nigris variegatus. Abdomen baſi obtuſum ſubovatum. Alæ hyalinæ. Halterum ſquama albeſcens. Pedes toti nigri. Alæ ſedentis magis patulæ, quam in *Muſca Domeſtica.*

1002. Empis *Rufipes.*

— *long.* lin. 2½.

Diagn. Cineraſcens; antennis pedibusque rufis.

Ha-

Habitat ruri, minus frequens.

Habitus & ſtatura prioris. Antennæ plumatæ, deflexæ. Oculi brunei. Caput alibi album. Roſtri baſis ferruginea. Thorax cinereus, villoſus. Abdomen oblongum, ſegmentis margine ſetoſis. Femora omnia ferruginea.

1003. Empis *Paluſtris.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Antennæ ſetariæ: articulo ultimo nigro. Abdomen ſubovatum cinereo-rufum. Femora ferruginea.

Habitat circa paludes, Majo M.

Minor prioribus, cinerea ſed cum aliquo rufo immixto colore, piloſa. Abdomine ſegmentis margine ſetoſis.

S I C U S.

Os armatum roſtro uniſeto: vagina rigida, porrecta, longa, e medio refracta & inflexa, baſi palpigera.

1004. Sicus *Ferrugineus.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Antennæ ſeta brevi laterali. Abdomen teres, incurvum, ferrugineum.

Habitat in pratis, & etiam in ſylvis.

Antennæ ferrugineæ. Frons aurea. Thorax fuſco-rufus. Alæ immaculatæ. Abdomen ſpiraliter incurvum. Roſtri vagina apice bifida.

1005. Sicus *Buccatus.*

— *long.* lin. 3.

Linn. Syſt. Nat. p. 605. Conops n. 6.
Faun. Svec. 2. 1905.

Diagn. Facies veſicularis, alba. Abdomen incurvum pedesque rufi.

In pratis.

Antennæ rufæ, ſetariæ. Oculi fuſci. Alæ puncto medio fuſco. Abdomen apice maculis lateralibus cineraſcentibus utrinque (3-4). Pedes rufi. Genua pallidiora.

TABANUS

LINN. *Syſt. Nat.* p. 601.

Os armatum roſtro quinqueſeto: vagina univalvi obtuſa. Palpi duo acuminati, porrecti, paralleli, roſtro incumbentes, quæ alteram vaginæ valvam conſtituunt.

1006. TABANUS *Bovinus.*

— *long.* lin. 8½.

LINN. Syſt. Nat. p. 601.
Faun. Svec. 2. 1882.

Diagn. Maximus; abdominis dorſo maculis trigonis, ſegmentisque margine lateraliter albidis.

Paſſim occurrit Bobus & Equis infenſus. Cepi etiam duos in medio ampli Lacus *Veldenſis* ſupra naviculam. Inſidet quoque floribus plantarum *Umbellatarum.*

Oculi modo vireſcentes absque faſciis, modo ſubvirides cum linea rubella transverſa, modo denique immaculati & fuſceſcentes; cavendum itaque ne ex coloribus & faſciis oculorum, perperam multiplicentur ſpecies in hoc Genere. Antennæ articulus primus rufus aut fuſcus. Facies albo, aut pallide rufo villo pubeſcens. Circum oculos linea alba, vel nulla. Inter oculos lineola nigra, vel nulla. Thorax fuſcus, villoſus, lineis longitudinalibus cineraſcentibus quatuor. Alarum nervi fuſco-ferruginei. Abdomen fuſcum, ſub alis ruſeſcens: ſegmentis ſubtus margine albidis, in medio fuſcis, absque maculis trigonis. Femora fuſca. Tibiæ ferrugineæ, aut fuſco-ferrugineæ.

1007. TABANUS *Autumnalis.*

— *long.* lin. 5½.

LINN. Faun. Svec. 2. 1883.

Diagn.

Tabanorum oculi in vivis animalibus examinandi; larvæ an ex ſtercore Bovino? an potius aquaticæ? copioſa certe hæc animalia circa fluvios, aquas, paludes, pecorum paſcua etiam alpina.

Diagn. Abdomen triplici ordine macularum albarum: mediis trigonis.

In *Carniolia* frequentior priore.

T. *Bovino* minor. Thorax fuſcus; lineis longitudinalibus, cinereis, obſoletis, quinque. Abdomen ſupra fuſcum, ſubtus cineraſcens. Alæ nervis fuſcis. Halteres albi. Oculi virides: faſciis tribus ferrugineis, aut fuſcis.

1008. Tabanus *Tropicus.*

— *long.* lin. 6½.

Linn. Syſt. Nat. p. 602.
Faun. Svec. 2. 1886.

Diagn. Oculi virides; faſciis tribus, fuſco-ferrugineis. Abdomen ſupra lateribus, ſubtus baſi ferrugineum vel fulvum.

In ſylveſtribus *Carnioliæ ſuper.* copioſior.

Variat 1. Linea alba inter oculos poſita, punctis tribus nigris notata; thorace fuſco: lineis (5), cineraſcentibus, longitudinalibus; abdominis dorſo maculis trigonis, albidis, obſoletis, eodem ſubtus fere toto ferrugineo.

2. Linea alba inter oculos, nigra lineola punctoque occipitali variegata, thorace fuſco: lineis vix diſcernendis, abdomine ſine maculis dorſalibus, ſubtus ſegmentis 1, 2, fulvis, cæteris fuſcis.

3. Linea frontali alba punctis tribus atris, thorace fuſco ſine lineis, abdomine abſque maculis: ſubtus fulvo toto.

4. Linea frontali ut in Var. 3. thorace fuſco: lineis pallidioribus obſoletis, abdomine ſine maculis, ſupra fuſco-cinereo, ſubtus ferrugineo.

1009. Tabanus *Ferus.*

— *long.* lin. 5½.

Diagn. Oculi virides: maculis tribus atris. Corpus totum ſordide flaveſcens.

In *Carniolia ſuper.* frequens.

Punctum nigrum in fronte, ſupra antennas ferrugineas. Roſtri vagina & palmarum extrema nigra. Alæ immaculatæ: coſta ferruginea. Villoſus totus, cito feriens: ictu cruento.

1010. Tabanus *Alpinus.*

— *long.* lin. 4½.

Diagn. Oculi virides: punctis confertis. Thorax cinereus. Antennæ, abdomen, pedesque ferruginei.

In alpibus *Carnioliæ ſuper. in der Vochein.*

Statura *Muſcæ Cæſaris.* Punctum lucidum nigrum in fronte. Antennæ ferrugineæ: apice nigræ. Roſtri vagina nigricans. Thorax glaber. Halteres ferruginei. Abdomen ovatum. Palmarum extremitates nigricantes.

1011. Tabanus *Bromius.*

— *long.* lin. 4½.

Linn. Syſt. Nat. p. 602.
Faun. Svec. 2. 1885.

Diagn. Oculi virides: faſcia unica. Corpus cinereo fuſcoque varium.

Frequens ubique, Equis præſertim moleſtiſſimus.

Linea frontalis alba: punctis tribus nigris. Thorax fuſcus: lineis ſex cinereis longitudinalibus. Abdomen fuſcum: triplici ordine macularum albidarum. Corpus ſubtus cinereum. Palmæ fuſcæ.

1012. Tabanus *Pluvialis.*

— *long.* lin. 4.

Linn. Syſt. Nat. p. 602.
Faun. Svec. 2. 1887.

Diagn. Oculi brunei: faſciis quatuor, repandis, viridibus. Frons punctis tribus, nigris, in triangulum diſpoſitis: impare minore. Alæ fuſceſcentes; maculis albis.

Vulgaris ubique.

Antennæ capitis latitudinem ſua longitudine fere æquantes, nigræ. Caput ſub oculis nigropunctatum. Facies & corpus totum ſubtus cinereum. Thorax fuſcus: lineis tribus unoque pari punctorum albidorum. Halteres capitulo albo.

Alæ

Alæ fuſcæ, hyalinæ, præſertim verſus marginem tenuiorem, eædem lineis curvis punctisque albis ubique variegatæ & deflexæ. Abdomen ſegmentis margine albidis, linea dorſali albida, alibi fuſcum aut nigricans. Punctum fuſcum circa medium in alæ coſta. Tibiæ mediæ & poſticæ ferrugineæ totæ: apice faſciaque fuſcis. Variat faſciis (3) oculorum.

1013. TABANUS *Rufus.*

— *long.* lin. 6.

Diagn. Rufus; oculis viridibus; abdomine faſciis roſtri vagina femoribusque nigris.

Submiſſus a R. P. WULFEN.

Totus pilis rufis pubeſcens. Oculi neque faſciati, neque punctati.

1014. TABANUS *Cæcutiens.*

— *long.* lin. $3\frac{1}{2}$.

LINN. Syſt. Nat. p. 602.
Faun. Svec. 2. 1888.

Diagn. Alæ fuſcæ; macula prope baſim lineaque poſtica albis. Abdomen baſi ſupra pallide rufum; punctis duobus, ovatis, contiguis, divaricatis.

Circa aquas non raro, & valde importunus.

Antennæ thoracis longitudine, villoſæ: baſi ferrugineæ. Tuberculum nigrum, lucidum in fronte, & aliud ad nucham. Thorax fuſcus, dorſo glaber: lineis duabus pallidioribus, latere rufo villo pubeſcens. Abdominis ſegmentum primum punctis dictis notatum, reliqua nigra: margine & macula dorſali trigona pallide rufis; idem ſubtus baſi ad latera ſubpellucidum. Facies punctorum nigrorum lucidorum paribus tribus (:.:).

1015. TABANUS *Salinarius.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Niger. Alæ fuſcæ; lineis duabus, transverſis, punctoque intermedio albidis.

Circa *Tergeſtum* alle Saline.

Statura, puncta nigra faciei, habitus prioris. Sed totus niger; abdomine punctis obſoletis dorſalibus trigonis pallidioribus.

Variat macula antica, loco lineæ, abdom. pallido: ſegmentis ſingulis uno pari punctorum nigrorum.

1016. TABANUS *Maritimus*.

— *long*. lin. 4.

Diagn. Alæ albidæ; faſcia lata & margine craſſiore fuſcis.

Circa littora *Maris Adriatici*, copioſus.

Habitus, antennæ, puncta faciei, ut in prioribus. Sed alæ aliter maculatæ, & abdomen baſi lateraliter rufeſcens, una cum puncto ſubrufo dorſali ad baſim.

Hic poteſt eſſe *Tabanus Lugubris* LINN. Faun. Svec. 2. 1889. de cujus a prioribus binis vera differentia mihi nondum certo conſtat.

CULEX.

LINN. *Syſt. Nat. p.* 602.

Os armatum roſtro quadriſeto, ſetis duabus brevioribus: vagina longa porrecta. Palpi duo incumbentes roſtri baſi.

1017. CULEX *Pipiens*.

— *long*. lin. 1½.

LINN. Syſt. Nat. p. 602.
Faun. Svec. 2. 1890.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 117.

Diagn. Cinereus; abdomine cingulis vel paribus punctorum nigrorum tot, quot ſegmenta.

Habitat in aquis ſtagnantibus.

Pupa albida, thorace craſſo ſubrotundo, oculis nigris ſphæricis, abdomine inflexo ſubpiloſo. Hæc paritura flaveſcit, tres lineas elevatas in capite gerit, & maculas duas ſubaureas circa thoracem.

Copia horum animalium, ſolum paludoſum, & aeris inſalubritatem indicat.

BOMBYLIUS.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 606.

Os armatum roſtro biſeto: vagina longa porrecta bivalvi: valva ſuperiore breviore integerrima ariſtata, inferiore apice bifida mutica. Palpi duo depreſſi, e baſi valvæ inferioris.

1018. BOMBYLIUS *Major.*

— *long.* lin. 5.

LINN. Syſt. Nat. l. c.
Faun. Svec. 2. 1918.

Diagn. Rufo villo tomentoſus; alis hyalinis, immaculatis baſi fuſcis.

Habitat circa fontium ſcaturigines, & in pratis, non rarus.

Apud nos certe minor ſequenti. Totus rufus, ſeu rufo-caneſcens. Oculi fuſco-virides. Frons barbata.

1019. BOMBYLIUS *Medius.*

— *long.* lin. 6.

LINN. Syſt. Nat. l. c.
Faun. Svec. 2. 1919.

Diagn. Totus ſubrufa hirſutie pubeſcens, poſtice niger; alis fuſco-punctatis.

Habitat cum priore.

Abdomen apice nigrum, ibidemque ſerie una punctorum alborum in dorſo, ani regione fulva. Alæ baſi & verſum coſtam fuſcæ, vix hyalinæ.

1020. BOMBYLIUS *Minor.*

— *long.* lin. 3.

LINN. Syſt. Nat. p. 607.
Faun. Svec. 2. 1920.

Diagn. Totus ſubrufa lana tectus, unicolor; alis immaculatis, hyalinis.

In pratis.

Minor priore.

1021. Bombylius *Ater.*

— *long.* lin. 3½.

Diagn. Niger; abdomine punctis quinque, argenteis; alis margine craſſiore antice ſemifuſcis.

Habitat in collibus herbidis, rarior.

Totus piloſus & niger. Abdomen lateribus magis piloſis; pilis faſciculatis. Puncta abdominis argentea dorſalia (5), nempe duo paria, cum intermedio quinto. Alæ verſus baſim lineola repanda, & in medio puncto fuſco notatæ. Pedes nigri. Frons huic valde barbata.

HIPPOBOSCA.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 607.

Os armatum roſtro uniſeto: vagina bivalvi porrecta. Pedes tetraochichi.

1022. Hippobosca *Equina.*

— *long.* lin. 3½.

Linn. Syſt. Nat. l. c.
Faun. Svec. 2. 1921.
Frisch. Inſ. 5. Tab. 10. p. 28.

Diagn. Corpus ſupra nitens, fuſcum. Labium ſuperius & ſcutellum macula alba.

Equis, Bobus, quandoque & Canibus infeſta.

Oculi nitidi, nigri. Lineæ duæ flavæ parallelæ elevatæ longitudinales inter oculos puncto trigono concolore in nucha. Thorax ad angulos anticos, arcuata albida linea, inter quam angulus ipſe flavo-rufus. Abdomen villoſum. Pedes rufoteſtacei, villoſi.

1023. Hippobosca *Hirundinis.*

— *long.* lin. 2½.

Linn. Syſt. Nat. l. c.
Faun. Svec. 2. 1923.

Diagn.

Diagn. Abdomen poſtice dilatatum emarginatum. Roſtrum piloſum. Pedes ſinguli unguibus ſenis.

Habitat in *Hirundinum* pullis.

1024. Hippobosca *Corvi.*

Diagn. Femora viridia. Ungues nigri, longi, quatuor.

Habitat in *Corvo Corace.*

Statura *H. Equinæ,* ſed diverſiſſima; tibiis non faſciatis; oculis minus nitidis & caſtaneis; occipite non tubere albido trigono. ſed tuberculis tribus contiguis nigris; ſcutello thoracis non albo, ſed concolore; ore non albo; alarum coſta imberbi; abdomine non toto villoſo; corpore rufeſcente.

ORDO VII.

PEDESTRIA.

APTERA.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 608.

ALÆ NULLÆ IN OMNI SEXU.

LEPISMA.

LINN. *Syſt. Nat.* l. c.

1025. LEPISMA *Longicornis.*

Corporis *long.* lin. 2½.

LINN. Syſt Nat. p 608. ſaccharina?

Diagn. Antennæ corpore longiores.

Labaco. miſſa a R. P. WULFEN Soc. J.

Corpus ſupra fuſceſcens, & ſquamulis imbricatis ſubargenteis tectum. Caput piloſum. Antennæ pallide ferrugineæ villoſulæ. Tota ſubtus albida, tibiis antennarum colore. Femora compreſſa. Setæ caudales longiores tres, villoſæ, corpore breviores, quibus ſubjacent duæ aliæ breviores.

1026. LEPISMA *Vulgaris.*

— *long.* lin. 4·5.

Diagn. Antennæ corpore paulo breviores. Squama denticulata adjacens femoribus ſingulis.

Habitat in ciſtis, inter veſtes, & alibi in domibus, frequens.

Tota ſquamulis argenteis tecta, ſubtus argentea. Oculi fuſci. Corpus anguſtius & longius ac in priore.

PO-

Inſecta alata ab apteris ordine diverſa, ut piſces inermes ab acanthopterygiis. Nonne vides hic Naturam Arti illudere, ſuaque arcana poſteris reſervare?

PODURA.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 608.

1027. Podura *Aquatica.*

— *long.* lin. 8½.

Linn. Syſt. Nat. p. 609.
Faun. Svec. 2. 1934.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 120.

Diagn Gibba, fuſca, compreſſa; capite obovato, depreſſo; ore maxilloſo; collo elongato.

Habitat in aquis ſtagnantibus.

Os palpis (4), duobus rectis ſetulis terminatum. Antennæ palpis breviores: articulis duobus. Oculi ſunt tubercula duo fuſco-rubinea. Caput ſubtus nitidius, duobusque ſulcis longitudinaliter exaratum. Corporis ſegmenta decem, dempto collo, quæ pellucent in arido cadavere. Cauda ſetulis binis parallelis, lineam vix longis. Pedes utrinque tres, femoribus teretibus, tibiis triarticulatis. Corpus compreſſum, ut in *Cancro*, *Pulice*.

1028. Podura *Squamoſa.*

— *long.* lin. 5-6.

P. Poda. Muſ. Græc. p. 121. macroura.

Diagn. Corpus ſquamoſum. Cauda extenſa, tripilis, corpore longior aut eidem æqualis.

Habitat in muris, & ſylvis ad arbores inter muſcos.

Habitus *Lepismæ*, ſed cauda ſaltatrix.

Corpus murinum, ſquamulis exiguis, quæ digitis faciliime adhærent, ubique tectum. Antennæ caudali ſeta media breviores. Palpi longi, pediformes, inflexi, attenuati. Abdomen ſegmentis (11). Pedes albis annulis faſciati. Cauda nigra, triſeta, erectiuſcula in vivo animali.

Variat corpore nigro fuſcoque vario.

1029. Podura *Terreſtris.*

— *long.* lin. 1½.

Linn. Syſt. Nat. p. 609. fimetaria?
Faun. Svec. 2. 1935. poteſt eſſe.

Diagn.

Diagn. Nivea; ſetis caudalibus binis, corpore triplo brevioribus: apice ferrugineis.

Habitat in terra prægnante, & humo vegetabili, in hortis & ſylvis, inter muſcos.

Pediculo humano minor; pedibus villoſulis. Antennæ articulis (4).

1030. PODURA *Arborea.*

— *long.* lin. 1½.

LINN. Syſt. Nat. p. 609.
Faun. Svec. 2. 1932.

Diagn. Fuſceſcens; pedibus furcaque albis.

Intra lamellas labyrinthiformes *Agarici querci-ni*, Januario M. reperit. R. P. WULFEN.

Ruſo-fuſca, lateribus atris, piloſiſſima; oculis nigris. Os ſine palpis & maxillis. Oculi compoſiti ex octo tuberculis atris, ſplendidis, inæqualibus. Antennæ piloſæ, articulis quatuor. Abdomen apice ſub bruneum, ſubtus cavum, fovens eo canali caudam bifidam, furca capillacea inæquali.

1031. PODURA *Termiformis.*

— *long.* lin. 1.

Diagn. Oblonga, fuſca; dorſo piloſo; antennis binodiis.

Inveni in cortice *Fagi*, & circa hortos.

Habitus & ſtatura *Termis Pulſatorii.* Dorſum gibbum, faſciculo pilorum, tanquam penicillo, criſtatum. Setæ caudales piloſæ. Pedes pallidi, nigro-annulati.

TERMES.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 609.

1032. TERMES *Pulſatorium.*

— *long.* lin. ⅓.

LINN. Syſt. Nat. p. 610.
Faun. Svec. 2. 1937.

Diagn. Antennæ articulis (18). Os palpis binis, clavatis.

Cur-

Currit velociter, inter Inſecta adſervata, in herbariis, cyſtisque ligneis.

Oculi magni, nigri, ad microſcopium illuminatum flavi. Maxillæ ſub bidentatæ. Os ex rufo nigricans. Antennæ villoſæ. Thorax utrinque quaſi bidentatus. Abdomen ovatum, villoſulum. Pedes piloſi: primis ultra os extenſis, uti poſtici ultra anum. Femora ſubclavata.

1033. TERMES *Sylvarum.*

— *long.* lin. ½.

Diagn. Ovatus, albus; antennis craſſis uniarticulatis.

In terra ſylvarum.

Abdomen piloſum, obtuſum.

1034. TERMES *Florum.*

— *long.* lin. ½.

Diagn. Fulvus; antennis trinodiis.

Vidi in flore *Allii Urſini.*

Oculi fuſci. Corpus oblongum, agile. Antennæ albidæ, porrectæ: articulo ultimo ſetula terminato.

Hoc & prius Inſectum ob os maxilloſum huc retuli.

PEDICULUS.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 610.

(*) *Avium.*

1035. PEDICULUS *Hæmatopus.*

Diagn. Abdomen ovatum album: margine pedibusque rubris.

Habitat in *Falcone Palumbrio,* & *Strige Ulula.*

Caput ſubcordatum, obtuſum, antice declive, nudum, ſplendens, ſpadiceo-fulvum. Antennæ mobiles, capiti concolores. Abdomen linea dorſali nigra, utrinque.

In

Pediculos jam notos omiſi.

In *Strige* idem prorſus, ſed dorſo abſque macula nigra.

1036. Pediculus *Maximus.*

— *long.* lin 4.

Diagn. Abdomen inciſuris (9), marginatis: prope marginem punctatis.

Habitat in *Falcone Buteone.*

Fuſceſcens. Caput ſubcordatum, antice truncatum, poſtice in medio macula fuſco-ferruginea, antice ad apicem punctis duobus fuſcis. Thorax ſubrotundatus, lævis: lineis tribus fuſcis longitudinalibus: media ad marginem poſticum non protenſa. Abdomen lanceolatum, marginatum: margine obſcuriore, punctis duobus impreſſis prope marginem in ſingulis ſegmentis.

1037. Pediculus *Coarctatus.*

Diagn. Thorax latere acuminatus, capite duplo anguſtior. Abdomen utrinque maculis conicis lateralibus fuſcis (7).

Habitat in *Lario. Collur.*

Oblongus, albidus. Caput antice rotundatum, ruſeſcens, pone truncatum: angulis acutis, pilo terminatis. Abdomen albidum, apice faſcia fuſca.

1038. Pediculus *Ocellatus.*

Diagn. Abdomen, maculis conicis lateralibus pallido puncto ocellatis, faſciatum.

Habitat copioſus in capite *Corvi Coracis*, & *Cornicis.*

Piloſus, lividus, & albidus. Caput ſubcordatum, obtuſiuſculum: antice nitens. Antennæ 4-nodiæ, capite paulo breviores. Oculi nigri. Pedes nigro-faſciati. Ova circa oculos *Corvi*, in circulum diſpoſita. Sub abdomine prope apicem, macula lanceolata transverſa, binis punctulis ocellata, rufa, uno latere plana, altero convexa.

1039. Pediculus *Dolichocephalus.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Albus; capite longo.

Habitat in *Coracia Oriolo.*

Gla-

Glaber totus. Abdomen ſubtus marginatum, ſupra linea fuſca dorſali. Pedes antici breviores.

1040. Pediculus *Faſciatus.*

Diagn. Abdomen albidum: faſciis fuſcis.

Habitat in *Cuculo Canoro.*.

Oblongus, depreſſus, nitens, linea brevior. Caput cordatum, thorace latius. Abdomen pilis longis raris adſperſum. Pedes æquediſſiti, pallidi: anticis brevioribus. Oculi fuſci.

1041. Pediculus *Auritus.*

Diagn. Ad baſim antennæ ſingulæ nervulus auriformis.

Habitat in *Pico Majore*, & *Martio.*

Caput ſubcordatum, obtuſum, dilute fulvum: ſubtus ad latera oris piloſum. Antennæ longitudine thoracis, valde mobiles. Corpus ovatum: lateribus a bis. Anus ſetoſus. Pedes antici antennis breviores.

1042. Pediculus *Dentatus.*

— *long.* lin. 2.

Diagn. Abdominis inciſuræ ſex: lateribus dentatis.

Habitat in *Anate.*

Fuſco-ferrugineus. Caput ſubtrilobum, latere poſtico ſingulo tripili. Thorax lateraliter acuminatus. Femora craſſiuſcula.

1043. Pediculus *Craſſicornis.*

Diagn. Antennæ craſſæ pedum inſtar. Pedes medii anticis fere duplo longiores: poſtici a reliquis remotiores.

Habitat in *Anate Boſchate.*

Longus valde, albus, fere linearis. Caput oblongum, obtuſum: baſi rotundatum. Os & caput rufum. Abdomen lanceolatum, capite quadruplo longius: ſegmento primo longiore, ſuperne canali medio, ſeu ſulco exaratum. Pedes antici poſticis triplo breviores.

1044.

1044. Pediculus *Piloſus*.

Diagn. Caput rufum. Anus imprimis piloſus: pilis parallelis.

Habitat in *Fulica Atra*.

Caput rufum. Abdomen longum.

1045. Pediculus *Colymbinus*.

Diagn. Abdomen ovatum: macula elliptica nigra dorſali.

Habitat in *Colymbo Aurito*.

Priori ſimilis; ſed non adeo longus, nec piloſus adeo; capitis angulis poſticis obtuſis. Adultus ruſeſcit.

1046. Pediculus *Ardealis*.

Linn. Syſt. Nat. p. 613. n. 26.
Frisch. Inſect. 5. Tab. 4. nimis piloſa figura.

Diagn. Frons macula ferruginea. Maxillæ tridentatæ.

Habitat in *Ardea Ciconia*.

Oblongus, albidus. Caput cordatum, obtuſum. Antennæ articulo terminali apice fuſco. Oculi fuſci. Maxillæ ſubtus fuſcæ. Abdomen albidum, ovatum.

1047. Pediculus *Ovalis*.

Diagn. Abdomen ſegmentis octo. Corpus depreſſum, ovatum.

Habitat in *Scolopace Arguata*.

Pediculo humano minor. Antennæ capite breviores, thorace longiores. Color ruſo-bruneus.

1048. Pediculus *Junceus*.

Diagn. Thorax valde tenuis ad initium abdominis.

Habitat in *Tringa Vanello*.

Totus pallide bruneus, nitens. Caput margine ſubrubro, pubeſcente. Abdomen oblongum.

Pe-

Pedes primi a reliquis remotiores. Differt a *Pediculo Craſſicorni*, quod brevior, piloſior, magis fuſcus & lucidior, quod pedes antici non tam remoti a reliquis, quod abdominis futuræ fere æquales inter ſeſe, denique quod antennæ non ſint pedibus anticis longiores.

1049. PEDICULUS *Cuſpidatus.*

Diagn. Cuſpis recta ad baſim antennæ cujusque.

Habitat in *Rallo Aquat.*

Oblongus. Caput lucide rufum, nitidulum, læve. Corporis latera piloſa. Caput antice attenuatum, oblongum, depreſſum. Pedes ſubæquali inter ſe diſtantia. Ergo non idem cum *Pediculo Ralli Crecis* LINN.

1050. PEDICULUS *Bidendatus.*

Diagn. Caput hemiſphæricum: angulis poſticis biſetis. Thorax margine poſtice bidentato.

Habitat in *Columba Palumbo.*

Caput in medio foveam habet, lucidum, thorace latius. Abdomen ovatum, albidum, depreſſum: margine ciliatum. Pedes albi.

1051. PEDICULUS *Albiventris.*

Diagn. Caput rufum, cordatum. Oculi fuſci. Abdomen album, antice attenuatum.

Habitat in *Motacilla Troglodyte.*

Caput nitens, læve. Abdomen obovatum, latere ciliatum, ſupra convexum. An vere diverſus a *Pediculo Paſſerum* LINN?

(**) *Inſectorum.*

1052. PEDICULUS *Roſtratus.*

Diagn. Abdomen & thorax hæmiſphærici rubri; pedes albi. Roſtrum nigrum, inflexum.

In *Gryllo Gryllotalpa* primus invenit, deſcripſit, & ad microſcopium factam iconem, cum aliis benevole communicavit R. P. Wulfen.

Corpus cinnaberinum. Roſtrum non videtur niſi in obverſo corpore, quod utrinque cavernoſum eſt. Pedes poſtici a reliquis remoti ſunt.

1053. Pediculus *Coccineus.*

Diagn. Corpus ovatum, coccineum. Oculi fuſci. Pedes pallidiores.

Habitat in *Hemerobiis, Muſca Cynipſea, Leptura Melanura. Phriganea Bicaudata.*

Corpus ovatum: poſtice obtuſum & villoſulum; antice puncta duo nigra. Pedes pallidiores, æquediſtiti. Situs quieſcentis vere ſingularis; inſidet enim capiti, pedesque retrorſum extenſos gerit, quorum numerus ſenarius Genus indicat, licet habitu & figura *Acaris* accedat.

1054. Pediculus *Cerambycinus.*

Diagn. Antennæ corpore longiores.

Habitat in *Api Violacea.*

Albus, minutus, ſegnis. Corpus ovale. Antennæ aſſiduo & lente mobiles. Pedes ſex, breves, piloſi, æquediſtiti.

PULEX.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 614.

1055. Pulex *Irritans.*

Linn. Syſt. Nat. l. c.
Faun. Svec. 2. 1965.

Diagn. Antennæ articulis (4). Oculi nigri: pupilla alba.

Habitat in Domibus cum *Homine*, inter fiſſuras, aſſerum, quibus ſtrata cubilia. Vidi etiam in tuguriis Paſtorum, ſummis in alpibus; in *Sciuro Scandente*; in *Erinaceo Europæo*; in *Fele Cato*, cujus adoleſcens corpus totum, adulti vero ſolam fron-

tem

tem & oculorum regionem adit; in *Cane Familiari*; *Lepore Timido*.

Extirpatur frequenti ſcopatione, foliis *Alni* eorumque decocto, lavando ſæpe ſtrata cubilium & lectorum lixivio cinerum ſaturatiore.

ACARUS.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 615.

1056. ACARUS *Radiatus*.

Corporis *long*. lin. 2.

Diagn. Corpus ovatum fuſcum: margine fulvo, poſtice ſtriato: ſtriis octonis unipunctatis.

Habitat in *Teſtudine Mida*.

Paulo major, aut æqualis *Cimici Lectulario*. Os ferrugineum, truncatum, bifidum. Macula dorſalis excavata, ferruginea. Corpus margine ſubtusque fulvum; poſtice lineis (8) marginalibus, in quarum qualibet punctum impreſſum. Verrucæ duo poſticæ, punctulo nigro notatæ. Pedes fuſci, albo-anuulati. Poſticis partibus *Teſtudinis* alte infixus eſt, ut *Acarus Ricinus* in *Canibus*.

1057. ACARUS *Ricinus*.

LINN. Syſt. Nat. p. 615.
Faun. Svec. 2. 1967.
FRISCH. Inſ. 5. Tab. 19. p. 41-42.

Diagn. Fuſco-ferrugineus, ovatus: macula dorſali ſubrotunda nitida fuſca exarata lineis depreſſis obſoletis obliquis quatuor.

Habitat in *Canibus*, circa caput.

Articuli pedum villoſi.

1058. ACARUS *Veſpertilionis*.

LINN. Syſt. Nat. p. 611. Pediculus. n. 4.
Faun. Svec. 2. 1941.
FRISCH. Inſ. 7. Tab. 7.

Diagn. Corpus rotundatum. Pedes æquediſſiti: apice obtuſi.

Habitat in *Veſpertilione Murino.*
Pedum numerus imprimis *Acarum* indicat.

1059. Acarus *Cornicis.*

Diagn. Pedes æquales. Abdomen poſtice bicorne: cornibus biſetis.

In humeris *Corvi Cornicis* invenit. R. P. Wulfen. & iconem miſit; 30. Febr. M.

Magnitudo pulviſculi Nicotianæ. Color dilute bruneus. Pilus plumoſus ad latus abdominis utrinque unus. Pedes piloſi: poſtici & medii ab aliis remotiores; antici filo brevi: apice fere palmato. Cornua ani teretiuſcula, biſeta divergentia.

1060. Acarus *Locuſta.*

Diagn. Abdomen ſetoſum: lateribus ſublobatis. Pedes poſtici longiſſimi.

Habitat in *Paro Cæruleo*; R. P. Wulfen, a quo iconem habui.

Albus, ſed caput & femora ferruginea. Corporis pars antica fere quadrata convexiuſcula. Abdomen apice valde ſetoſum: ſetis parallelis. Pedes antici ſæpius palmati, medii longiores tenuiores minusque piloſi.

1061. Acarus *Collurionis.*

Diagn. Roſtrum lateribus denticulatis, palporum longitudine. Pedes antici & poſtici longiores.

Inveni in *Lanio Collur.* prope dextrum oris angulum 16. Julii M.

Lineam longus, rotundus. Dorſum rufum, nitens. Abdomen glabrum, ſupra cineraſcens. Pedes rufi, æquediſſiti, vix villoſi. Palpi porrecti.

1062. Acarus *Pici.*

Diagn. Oblongus, poſtice acuminatus; pedibus anticis remotiſſimis, poſticis brevioribus.

In remigibus *Pici Medii* R. P. Wulfen. 10. Junii.

Cor-

Corpus adoleſcens ovatum, adultum lanceolatum. Seta una utrinque ex apice thoracis.

1063. Acarus *Turdi.*

Diagn. Corpus ſubrotundum. Antennæ teretes, obtuſæ, villoſæ, extrorſum leniter dilatatæ, roſtro craſſiores.

Habitat in *Turdo Saxatili.*

Fuſcus, lucidus, depreſſus, glaber. Roſtrum longum, acuminatum. Pedes æquediſtiti. Curſus celer. Statura eſt tertia pars lineæ.

1064. Acarus *Coleoptratorum.*

Linn. Syſt. Nat. p. 618.
Faun. Svec. 2. 1983.
Frisch. Inſ. 4. Tab. 10. p. 12-22.
Roesel. Suppl. Tom IV. Tab. 1. fig. 4.

Diagn. Rufus, ano albicante.

In Inſectis effœtis Coleoptratis, *Scarabæo Fimetario* & *Fullone*, in *Derm-ſte Veſpill.* & *Agaricorum*, vidi etiam in *Api Bombinatrice* lapidaria.

Colore variat, ut habitu potius & domicilio dignoſcatur.

1065. Acarus *Coccinellæ.*

Diagn. Thorax rufus. Abdomen albidum, ſeriebus binis punctorum impreſſorum longitudinalibus.

Habitat in *Coccinella Populi.*

Ovatus. Pedes æquediſſiti. villoſuli.

1066. Acarus *Muſcarum.*

Diagn. Ovatus, nitidus, ferrugineus; pedibus pallidioribus.

Habitat in *Muſcis*, ſub ventre.

Palpi longi. Corpus glabrum, ſubtus pallidius. Pedes æquediſſiti, medii & poſtici craſſiores, hos vero longiſſimos & filiformes non invenio, niſi de alio *Acaro* loquatur Linnæus.

1067. ACARUS *Formicarum.*

Diagn. Ovatus, albidus, ſuperne villoſus. Antennæ motatoriæ

Habitat in *Formicis Alatis, Rufis.*

Junior albus, adultus obſcurior eſt, agilis valde; antennis aut palpis abdomine longioribus.

1068. ACARUS *Holoſericeus.*

LINN. Syſt. Nat. p. 617.
Faun. Svec. 2. 1979.

Diagn. Ovatus, ruber: poſtice obtuſus. Pedes duo poſtici ab aliis remoti; intermedii breviores. Ab A *Aquatico* differt lateribus pectoris cinereo veluti colore tinctis.

Habitat in Hortis non raro; plures ſimul vidi in Cadavere *Falconis* cujuſdam.

Totum corpus denſo lucido villo, tanquam holoſerico, tomentoſum. Abdomen potius convexum, quam depreſſum. Palpi apice ſubtus appendiculam brevem habent.

1069. ACARUS *Cancroides.*

LINN. Syſt. Nat. p. 616.
Faun. Svec. 2. 1968.
ROESEL. Suppl. Tab. 64. ſcorpio minimus.
FRISCH. Inſ. 8. Tab. 1. chelis imberbibus.
P. PODA. Muſ. Græc. p. 122. Tab. 1. fig. 14.

Diagn. Chelæ cancrinæ pedum anticorum. Inceſſus retrogradus.

Habitat in cyſtis ligneis, & Herbariis. Inveni etiam in ſylvis.

1070. ACARUS *Nepeformis.*

— *long.* lin. 4.

Diagn. Color & facies *Nepæ Cimicoidis.* Totus punctis eminentibus confertis ſcaber.

Reperi non ſemel inter *Muſcos*, ad *Fagorum* radices.

Ob-

Oblongus, depreſſus inſtar folii, coloris terrei, iners valde. Antennæ moniliformes. Pedes antici & medii breviores. Os ovatum. Pedes ſecundi & poſtici corpore longiores.

1071. Acarus *Muſcorum.*

Diagn. Ovatus, nitidus, niger; pedibus ferrugineis.
Habitat inter *Muſcos.*
Duplo major *Acaro Coleoptrat.* Politiſſimus & longis villis inſtructus.

1072. Acarus *Agaricorum.*

Linn. Syſt. Nat. p. 618. fungorum?
Diagn. Ovatus, ſubfulvus; femoribus mediis craſſioribus.
Habitat in *Agaricis.*
Statura *A. Coleoptratorum.*

1073. Acarus *Lichenum.*

Diagn. Albus, ellipticus, poſtice obtuſus; pedibus æqualibus piloſis.
Habitat inter *Lichenes* in arboribus.
Minor *Acaro Coleoptrat.* Thorax binis veluti tuberculis. Abdomen pone piloſum, ſuperne verſus latera fuſceſcens. Pedes æquediſſiti.

1074. Acarus *Baccarum.*

Linn. Syſt. Nat. p. 617.
Faun. Svec. 2. 1980.
Diagn. Ruber, abdomine poſtice pedibusque fulvis, palpis obtuſis, ore nigro.
Curſitat ſuper plantas.
Corpus ſubrotundum, pone obtuſum, villis raris adſperſum. Palpi pedesque villoſi.

1075. Acarus *Telarius.*

Linn. Syſt. Nat. p. 616.
Faun. Svec. 2. 1974.

Diagn. Ovatus, nitidus; pedibus anticis longioribus.

In folio *Tiliæ*.

1076. Acarus *Piger*.

Diagn. Ferrugineus; ovatus, nitens; macula dorſali, ovata, fuſca.

Super *Lichenem cruſtaceum* vidi.

Valde ſplendet, tarde incedit, dorſo impoſitus vix ſe invertere poteſt, irritatus caput inflectit pedesque ut ſolent *Oniſci*. Pedes anticos inflexos gerit: ovo *Pediculi Humani* minor eſt. Huic anus infra apicem abdominis fuſceſcens, pili nonnuli ad apicem ventris, pedes parvi & æquediſtiti.

A R A N E A.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 619.

(a) *Primariæ*. Hoc ſitu oculorum. (:⁚:)

1077. Aranea *Linnæi*.

Syſt. Nat. p. 619. Diadema. n. 1.
Faun. Svec. 2. 1993.
Roesel. Tom. IV. Tab. 35. fig. 1.
Frisch. Inſ. 7. Tab. 4. fig. 1.

Diagn. Abdomen ſubrotundum: cruce alba dorſali facta maculis punctisque inæqualibus.

Habitat inter Arbores.

Ai-

Immortalibus Nominibus Clariſſ. Virorum, qui obſervationibus ſuis Entomologicum ſtudium locupletarunt, meas ſpecies *Aranearum*, novis ordinibus inſignitas, venerabundus inſcribo.

Araneæ meditabundæ, ſolitariæ, vigiles, famelicæ, exoſæ, fœcunditate ſumma plurium calamitatum cauſæ.

Auceps; tela perpendiculari, rotunda, laxa, in cujus centro Aranea

Magna, villoſa, rufeſcens. Abdomen baſi dilatatum. Pedes fuſco-faſciati. Palpi articulus ultimus tenuior. Varietas abdomine flavo femoribus pallide croceis, ex ſylvis adlata ſub finem Septembris.

1078. ARANEA *Reaumurii.*

Diagn. Abdomen ſubrotundum, turgidum valde, albidum, lateraliter flaveſcens: ſupra tredecim paribus punctorum nigrorum impreſſorum; ſubtus unico.

In folio *Inulæ helenii* convoluto, ad me lata.

Maxima, ventricoſa: ventre lineas (8) longo, (7) craſſo, poſt mortem crepante, ſubvilloſo. Papillæ nigræ. Thorax lineis tribus fuſcis. Pedes pallidi: geniculis nigris. Immerſa ſpiritui vini vixit decem minuta. Palpi prioris.

1079. ARANEA *Swammerdamii.*

Diagn. Fuſceſcens, thorace abdomineque albis pilis marginatis, pedibus longis: tibiis teſtaceo faſciatis.

Habitat Ruri.

Facies *Araneæ* FRISCH. Inſ. 12. Tab. 13. ſed oculis lateralibus non disjunctis. Palpi clavati. Abdomen ovatum, cum thorace villoſum: margine linea repanda albida, in medio foveis rotundis nitidis binis. Femora antica longiora tota fuſca, alia baſi teſtacea. Pedes antici unciam & lineam unam longi. Abdominis longitudo lin. (5).

Araneæ 1. *Textores* reti horizontali.
2. *Aucupes* — perpendiculari.
3. *Captivæ* ſeſe includentes intra folia convoluta, fructus, graminum paniculas contractas &c.
4. *Erraticæ* prædam diſcurrendo quærentes.
5. *Geometræ*, pedibus anticis extenſis.
6. *Vibrantes*, ſaltatoriæ coarctatæ.
7. *Laterigradæ*, inceſſu etiam laterali.

1080. ARANEA *Raji.*

Diagn. Abdomen ovatum fuſcum: maculis didymis dorſalibus, & quinis aliis in ſingulo latere flavis.

In arboribus.

Rete laxum obliquum, cui loco putei eſt folium ab Aranea convolutum. Palpi articulis æqualibus. Thorax fulvus. Abdomen quatuor fere lineas longum, tres craſſum: baſi ſubtus arcu flaveſcente, maculiſque duabus flavis clavatis. Pedes fulvo-fuſcoque varii.

1081. ARANEA *Leuwenhoekii.*

Diagn. Fuſco-rufa, abdomine ovato: ſupra ad baſim macula ovata fuſca, ſubtus ibidem pari uno punctorum albidorum.

In gramineis, primo Vere.

Palpi articulis æqualibus. Corpus totum lin. (3½) longum. Thorax fuſceſcens. Pedes fuſco-rufi.

1082. ARANEA *Aldrovandi.*

Diagn. Fulva, abdomine ſubrotundo: fovearum paribus quinis, faſciis quatuor fuſcis: una interrupta.

In collibus, inter frutices.

Auceps. Palpi æquales. Abdomen lin. (2) longum, prope baſim lineis binis arcuatis obliquis oppoſitis albidis. Puncta impreſſa inſident faſciis integris, quibus contiguum eſt punctum luteum.

1083. ARANEA *Redii.*

Diagn. Rufa, abdomine ovato: faſciis ſex fuſcis: primis duabus remotioribus punctoque albo in medio ſignatis.

Habitat in ſylvis.

Auceps. Palpi æquales. Abdomen lin. (1½) longum; baſi lineam latum; ſubtus punctis duobus albis poſticis.

1084. Aranea *Merianæ.*

Diagn. Fuſca, abdomine ovato, pedibus pallidioribus fuſco faſciatis punctatiſque.

Habitat inter *Muſcos*, præſertim *Hypnum complanatum.*

Abdomen lineam cum dimidia longum, parvis villis pubeſcens. Thorax pedibus concolor. Palpi æquales, fuſco-faſciati vel punctati. Femora verſus genua faſciis duabus, verſus baſim nonnullis punctis fuſcis; tibiæ faſciis quatuor fuſcis.

1085. Aranea *De Geerii.*

Diagn. Abdomen albidum ellipticum: faſciis arcuatis flavis lineiſque tribus nigris.

Habitat in plantis.

Thorax cornei coloris, margine laterali fuſco. Palpi æquales. Abdomen duas lineas vix longum, ſuperne lineolis tribus parvis anticis, quatuorque lateralibus obliquis, ſubtus nigro-flavoque varium. Pedes piloſi, colore thoracis.

1086. Aranea *Friſchii.*

Diagn. Flavicans, abdomine ovato: punctorum nigrorum paribus quinque ſubmarginalibus.

Habitat inter *Corylos*, Maj. M.

Thorax concolor pedibus ſordide flaveſcentibus. Palpi clavati. Abdomen viridi-luteum, punctis binis pallidioribus in dorſi medio, ſubtus apice macula rubra notato. Variat thorace laterali margine fuſco, pedibus fulvis: articulis nigris, tibiis faſcia nigra.

1087. Aranea *Roeſelii.*

Diagn. Thorax rufeſcens: linea media dorſali & lateribus albidis. Abdomen oblongum: ſupra nigricans: punctorum albeſcentium obſoletorum paribus quatuor.

In gramine rete parat horizontale; puteo obliquo longo ad terram uſque producto, cui cadavera concredit.

Palpi

Palpi æquales. Papillæ textoriæ ſuperiores longiores. Pedes fuſceſcentes.

1088. ARANEA *Goedarti.*

Diagn. Fuſca, abdomine ovato: lateribus albidis, pedibus rufis fuſco-faſciatis.
Habitat in Pratis.
Non contundenda cum *Aran. Merianæ.* Hæc enim *auceps*, tela horizontali, abdomine lin. 2½. longo.

1089. ARANEA *Albini.*

Diagn. Abdomen ovatum nigrum: linea alba laterali; pedes rufi.
Habitat in Ericetis.
Palpi æquales. Punctum rufum ad baſim abdominis inter extremitates linearum albarum lateralium conniventes. Rete horizontale, ſparſum, abſque puteo, Aranea ſub reti in medio quieſcente.

1090. ARANEA *Clerkii.*

Diagn. Ferruginea, abdomine ſubrotundo: duobus paribus punctorum impreſſorum.
Habitat inter folia plantarum.
Duas lineas longa, palpis æqualibus, abdomine villoſulo: ſubtus ad lentem ſublivido.

1091. ARANEA *Malphigii.*

Diagn. Palpi clavati, petiolati: petiolo abdominis longitudine. Maxillæ longæ, falcatæ, tenues.
Habitat in domibus.
Oculi medii antici protuberantes. Abdomen ovatum, fuſcum, villoſum: punctis (4) albidis, obſoletis, longitudinalem ſeriem facientibus. Pedes villoſi, pallidiores; geniculis fuſcis.

(b) *Attentæ* — — Ocul. (::::).

[x] Oculis mediis ſeriei poſticæ majoribus & remotioribus (::::).

1092. ARANEA *Schæfferi.*

Diagn. Fuſco-rufa, thoracis abdominisque lateribus albidis.

Habitat in gramineis.

Erratica. Palpi æquales. Abdomen oblongum: ſubtus fuſco-ferrugineum, ſuperne paulo obſcurius, linea albida laterali a baſi ad apicem excurrente; ejus longitudo lin. (3½) eſt. Pedes fuſceſcentes, piloſi: poſtici lineas (8-9) longi. Oculi feriei poſticæ majores omnes.

1093. ARANEA *Liſteri.*

Diagn. Fuſco-griſea, abdomine oblongo: ſubtus ad latera fulvo-rufo. Thorace linea alba dorſali media: poſtice bifida.

In pratis & collibus, Junio M.

Erratica, ſecum ferens ſaccum oviferum ſphæricum albidum Piſi majoris magnitudine, corpore ſemiunciam fere longo, palpis longis æqualibus.

Huic proxima *Aranea Paluſtris.* LINN. Syſt. Nat. p. 623. & FRISCHIANA. Inſ. 8. Tab. 2.

1094. ARANEA *Rolandri.*

Diagn. Teſtacea, abdomine eliptico lateribus angulisque anticis thoracis albidis.

In gramineis.

Captiva, *Erratica.* Thorax cinereo-rufeſcens: poſtice lineola alba dorſali. Abdomen duas lineas longum, duobus paribus punctorum impreſſorum. Palpi æquales.

1095. ARANEA *Solandri.*

Diagn. Maxillæ craſſæ magnæ. Abdomen ſupra flavicans: lineis longitudinalibus undatis rubellis (4).

Habitat in lacubus, ſuper *Equiſeta.*

Geo-

Geometra. Thorax pedesque fuſco-rufi. Abdomen oblongum, ſubtus fuſcum lineisque duabus flavis: area interjecta nigra.

Variat abdomine ſubargenteo: lineis duabus auratis.

Conf. *Aranea Extenſa.* Linn.

1096. Aranea *Mouffeti.*

Diagn. Abdomen cylindricum ſubargenteum: linea media fuſca, lateribus luteis.

Habitat inter frutices.

Geometra. Thorax pedesque teſtacei. Palpi clavati. Maxillæ longæ, craſſæ. Abdomen pallide argenteum, lineis lateralibus repandis aquoſiſſime luteis; idem in medio lineam impreſſam habet, cui antice incumbit alia transverſa crucem faciens: extremis puncto impreſſo notatis.

(β.) Oculis æquediſſitis.

1097. Aranea *Forskælii.*

Diagn. Cineraſcens, abdomine ovato: macula dorſali lanceolata nigra, thorace antice rugis tribus.

Habitat in apricis collibus *Carnioliæ ſuper.*

Erratica. Oculi medii ſeriei poſticæ valleculis plicarum impoſiti. Abdomen lin. (2½) longum. Palpi æquales.

1098. Aranea *Petiverii.*

Diagn. Nigra, abdomine ovato.

In herbidis ſylveſtribus, Martio M.

Palpi æquales. Corpus lineas tres longum. Abdomen baſi planiuſculum, foveola notatum.

(c) *Curioſæ* — — Ocul. (∴∵)

(a) Laterigradæ; pedibus binis anticis longioribus, transverſim expanſis.

1099. Aranea *Kleinii.*

Diagn. Ferruginea, abdomine punctis tribus impreſſis: ſubtus lateralibus plicis transverſis.

La-

Latet ſub floribus *Scabioſæ*, aliisque, Apes Muſcasque nectar collecturas invadens, jugulans.

Erratica, apivora. Palpi æquales. Abdomen tres lineas longum, fere totidem latum: apice rotundatum; baſi anguſtius, obſcurius coloratum; ſubtus plicis arcuatis ſtriatum.

1100. ARANEA *Oſbekii.*

Diagn. Albida, aut lutea; abdomine punctorum impreſſorum paribus duobus, & tribus cum impare majore ad baſim.

In Umbellis *Angelicæ archangelicæ*, & *Heraclei ſphondylii.*

Hæc deorſum ſe demittens, pedes longiores expanſos & deflexos tenet, cæteros vero contractos; eadem vitæ adeo tenax, ut acu transfixa vixerit a die 27 Julii, ad 6. Septembris. Habitus prioris, ſed colores diverſi. Abdomen tres lineas longum, ſubtus inter papillas & baſim ſex paribus punctorum exiguorum impreſſorum. Conf. FRISCH. Inſ. 7. Tab. 5.

Hanc etiam, cum ſociis indicat, definitio *Araneæ Levipedis* Ill. LINNÆI; ſed tam diverſa animalia in unam ſpeciem conjungere, nobis nullo modo licet.

1101. ARANEA *Kalmii.*

Diagn. Fuſceſcens, abdomine ovato: lateribus faſciisque abruptis albis.

Habitat in ſylvis.

Palpi clavati. Corpus lin. ($2\frac{1}{2}$) longum. Dorſum lineis duabus albidis poſtice coeuntibus. Irritata retroit, ut *Cancer.*

1102. ARANEA *Haſſelquiſtii.*

Diagn. Virens, abdomine albo-luteo: lateribus fuſceſcentibus.

In cortice *Pruni hortenſis*, M. Aprili.

Palpi æquales. Corpus lin. ($1\frac{1}{2}$) longum. Oculi nigri. Abdomen ovatum. Tibiæ punctis nigris piliferis.

1103. ARANEA *Uddmanni.*

Diagn. Flava, abdomine fulvo.
Inter frutices, rarior.
Abdomen ovatum, lineam longum.

(b) Pedibus æqualiter expanſis.

1104. ARANEA *Derhamii.*

Diagn. Pallide fuſca, hirſuta; abdomine ovato fuſco-maculato; palpis clavatis.

Habitat in domibus, rete ſtruens in angulis cubilium, & circa feneſtras.

Pallide fuſca, aut rufeſcens; Lippis Tonſoribusque nota.

1105. ARANEA *Jonſtoni.*

Diagn. Thorax pedesque teſtacei. Maxillæ longæ craſſæ nigræ. Abdomen oblongum ſubfuſcum.

In ſylveſtribus *Carnioliæ.*

Captiva. Oculi medii antici majores. Abdomen villoſum, lin. (2½) longum, ſubtus pallidius; ſupra punctis binis impreſſis.

1106. ARANEA *Wilkii.*

Diagn. Cinereo-nigroque varia. Pedes cinerei, nigro annulati.

Aprili M. in herbidis collibus.

Thorax antice macula laterali utrinque nigra. Palpi nigro-annulati, æquales. Abdomen linea paulo longius, ovatum, paribus tribus punctorum nigrorum, & ſulco antice exaratum.

1107. ARANEA *Roberti.*

Diagn. Abdomen oblongum, villoſum, fuſco rubrum: baſi ſubtus punctis binis flaveſcentibus. Corpus alibi teſtaceum.

In pratis.

Ab-

Abdomen lin. (1½) longum. Palpi æquales.

(d) *Peregrinatrices* — — Ocul. (:. .:). Vibrantes. Saltatoriæ.

1108. ARANEA *Sloanii.*

Diagn. Nigra; abdomine ſubrotundo rubro: macula media lanceolata nigra.

Habitat circa hortos, & agros.

Palpi clavati. Abdomine petiolo breviſſimo nitido. Tibiæ ſupra obſcuro quodam rubore tinctæ, ſubtus nigræ. Statura *Araneæ Sacciferæ.* Hæc una cum ſororibus, palpos continuo movet, inquieta, antice retroque incedens, ſaltu ab hoſte fugiens, rete non exſtruens, in ſaxoſis habitat. Eſt *Aranea Chryſops.* R. P. PODA. Muſ. Græc. p. 123.

1109. ARANEA *Catesbæi.*

Diagn. Tota cinereis pilis pubeſcens, thoracis dorſo fuſco, abdomine ovato fuſco: lineis dorſalibus binis longitudinalibus albis.

Habitat in muris ſiccis, ſeu ſaxis prata ſepientibus.

Statura prioris. Palpi æquales. Abdomen ſubtus ſordide flavum. Papillarum regio nigra.

1110. ARANEA *Rumpſii.*

Diagn. Griſeo fuſcoque varia. Abdomen ellipticum: linea albida dorſali: margine utrinque dentata.

Habitat in truncis arborum.

Caput inter oculos fulvum. Palpi æquales. Corpus lin. (4) longum. Abdomen ſubtus ad latera fuſcum. Caput ſubtus fulvis pilis barbatum.

1111. ARANEA *Marcgravii.*

Diagn. Fuſcum corpus. Palpi pedesque nigri. Lineæ duæ transverſæ albæ palpos inter & oculos.

In plantis reperitur.

Minor prioribus. Palpi clavati, Oculi virore aliquo tincti. Abdomen ovatum, immaculatum, abſque foveis.

1112. Aranea *Blancardi.*

Diagn. Pallide rufeſcunt thorax & abdomen, utriusque margo albus. Pedes albo nigroque varii.

In ſylvis.

Thorax antice & lateribus albis, poſtice niger. Abdomen lineam unam longum, ovatum, ſubtus ad latera nigricans.

1113. Aranea *Joblotii.*

Diagn. Nigra; abdomine faſcia femoribusque rufis.

In convolutis foliis latet per totam hyemem. Reperi etiam in cotyla glandis tela tecta, ſub qua latebat.

Statura & habitu formicæ minoris. Palpi clavati: clava piloſa oblonga. Abdomen oblongum, lucidum, ſubtus faſcia pallidiore villoſa. Femora antica baſi nigra.

1114. Aranea *Ritteri.*

Diagn. Æneo-fuſca, abdomine elliptico: punctorum impreſſorum unico pari.

In plantis.

Palpi clavati. Abdomen lineam longum. Femora pallide rufeſcentia.

1115. Aranea *Olearii.*

Diagn. Nigra, albis pilis adſperſa; pedibus albo-faſciatis.

In arborum corticibus, primo vere.

Parvula; thorace lateribus albis; palpis clavatis. Abdomen ovatum.

(e) *Sedulæ* — — Ocul. (∴∵).

1116. ARANEA *Lyonetti.*

LINN. Syſt. Nat. p. 623. ſaccata.
Faun. Svec. 2. 2021.
FRISCH. Inſ. 8. Tab. 2. fig. 1.

Diagn. Fuſca, terreſtris, erratica; thorace linea dorſali pallidiore, pedibus rufo-faſciatis.

Paſſim in hortis & cultis locis occurrit, ſaccum oviferum ſecum circumferens.

Abdomen ovatum, ſupra ad baſim faſciculo pilorum alborum.

1117. ARANEA *R. P. Podæ.*

Diagn. Fuſco-rufa. Maxillæ craſſæ, nitidæ, nigricantes. Abdomen ovatum, in uno ſexu ſuperne albido-maculatum.

Currit per herbida loca, non infrequens.

Statura prioris. Palpi æquales. Corpus villoſum. Abdomen ſubtus pallidius.

1118. ARANEA *Knorrii.*

Diagn. Fuſca, abdomine elliptico villoſo, lateribus ſubtusque pallidiore.

Curſitat ſuper aquas, easque petit fugiens.

Non diverſa *Aranea Fimbriata* LINNÆI.

Palpi clavati. Femora fuſco-faſciata, rufeſcentia. Statura *Saccatæ.*

(f) *Senoculatæ.* — — Ocul. (∵∴)

1119. ARANEA *Hombergii.*

Diagn. Thorax niger, nitens, punctatus. Abdomen ellipticum, fuſco-ferrugineum: foveolarum pari uno. Pedes nitidi fulvi.

Sub ſaxis, & antiquis lignis, reticulo oblongo incluſam, non ſemel reperi.

Statura A. *Saccatæ*, Palpi æquales.

An hæc A. *Senoculata* Celeberr. LINNÆI?

Alium ordinem habet FRISCHIUS, Oculis (∵∵), nondum a me viſis.

(g) *Oeconomæ.* — — Ocul. (·:..:·)

1120. Aranea *Pluchii.*

Diagn. Abdomen ſubcylindricum. Pedes longiſſimi: poſtici ſedentis erecti.

Fila trahit varie implexa & inordinata, intra cubilia, minus lucidis in locis, ubi plures ſimul habitant.

Albo-cineraſcens. Palpi clavati. Maxillæ apice nigræ. Abdomen maculis nigris.

PHALANGIUM.

Linn. *Syſt. Nat.* pag. 618.

1121. Phalangium *Opilio.*

Linn. Syſt. Nat. l. c..
Faun. Svec. 2. 1992.
Spectacle de la Nat. Tom. I. Entr. 4. p. 109. le Faucheur.

Diagn. Corpus ovatum, depreſſum, rugoſum, fuſcum. Pedes baſi ferruginei; alibi fuſci: geniculis albidis.

In arboribus, ſylvis, & domibus.

Maxillæ ut in *Araneis*, ſed binis dentibus terminatæ, adinſtar chelæ. Oculi verticales duo approximati, nec alii. Palpi articulis quatuor. Abdomen pone obtuſum. Corpus lineas duas longum, palpis æquale, ſubtus pallidius. Pedes ſecundi unciam & lineas decem longi; poſtici unciam unam & lineas ſex.

An varietas alia? corpore poſtice dilatato, ſuperne rubello: ſegmentis pleriſque lateraliter punctatis.

SCORPIO.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 624.

1122. Scorpio *Europæus.*

Linn. Syſt. Nat. p. 625.
Matth. Dioſc. p. 231.

Diagn.

Diagn. Pectines ſinguli dentibus (9). Manus angulatæ. Thorax in medio tuberculis duobus, nigris. Oculi compoſiti.

Habitat circa *Vipacum* ſub ſaxis, & *Goritiæ* paſſim, etiam in domibus, & circa *Neumarktl.*

Non raro biuncialis. Brachia biarticulata. Manus tetragonæ; digitis æqualibus. Pedes corpore pallidiores compreſſi. Cauda articulis ſex: ultimo oblongo & mucronato. Abdomen inciſuris (7). Pectinum dens unus in junioribus quandoque deficit.

CANCER.

LINN. *Syſt. Nat.* p. 625.

1123. CANCER *Mænas.*

LINN. Syſt. Nat. p. 627.
Faun. Svec. 2. 2026. absque deſcriptione.
MATTH. Dioſ. p. 226. 227.

Diagn. Thorax glaber a baſi ultra medium dilatatus demum convergit: latere ſingulo convergente quinquedentato, antica parte obiter triloba.

Habitat in *Adriatico* Mari.

Incolæ ibidem vocant *Granci.*

Thorax lineas impreſſas, & rudem difformis faciei effigiem præferentes habet, hujus margo divergens marginatus, longitudo fere æqualis latitudini ab uno dente medio ad alterum deſumpta. Pedes omnes teſta longiores; ungulbus antennarum longitudine. Brachii articulus ſecundus bidentatus. Manus ſubovatæ: latere digito mobili reſpondente angulato. Digitus mobilis quatuor ſulcis exaratus, paulo longior, interno latere dentatus; fixus ſulcis tribus, pariter interne dentatus: dentibus obtuſis.

1124. CANCER *Depurator.*

LINN. Syſt. Nat. p. 627.

Diagn. Differt a priore 1. Thoracis cruſta molliore: antice tridentata, poſtice obtuſiore; 2. Pedibus poſticis lamina ovali, unguis loco, terminatis.

Habitat cum priore.

Incolis ibidem *Maſinetta*, quidam tamen priorem etiam ita vocant.

Antica pars teſtæ, dentibus (3-5) inſtructa, infra quos latus ſingulum quinquedentatum. Ab origine dentis quarti lateralis ad alium ducta linea recta, æqualis eſt rectæ a baſi thoracis ad apicem ductæ. Brachii articulus ſecundus bidentatus: dente utroque acuminato.

1125. Cancer *Pagurus*.

Linn. Syſt. Nat. p. 627.
Faun. Svec. 2. 2028.
Matth. Dioſc. p. 230.

Diagn. Thorax ſubrotundatus, lævis: latere ſingulo infra orbitam oculorum dentibus (6): anterioribus quatuor bifidis; Oculi orbita dentata; antica pars thoracis inter oculos bifida, duplici ſerie dentium in ſingulo ſegmento: ſerie antica dentibus (5), altera (3).

Habitat cum prioribus.

Incolis *Grancipori*.

Huic brachia craſſa valde. Manus tumidæ, ſupra tuberculis ſubacutis villisque interjectis hiſpidæ; qui in adultis decidunt, aculei vero obtuſi fiunt. Digiti caſtanei, ac demum nigri.

1126. Cancer *Maja*.

Linn. Syſt. Nat. p. 629.
Faun. Svec. 2. 2031.
Matth. Dioſc. p. 229.

Diagn. Thorax ovatus, undique aculeis muricatus, ruber, villoſus: antice biroſtris. Pedes corpore longiores, teretes, villis hiſpidi. Brachia pedibus ſimilia; manibus cylindricis imberbibus; digitis ſubulatis, lævibus, ſubæqualibus, ex livido-fuſcis, apice albis.

Habitat ibidem.

Incolis *Granceroli*.

Thorax dentibus longis lateralibus utrinque (7). Ova ruberrima, crepitantia in igne, valide purgantia, hinc abiicienda. Oculi non retractiles, ſed oblique reponendi.

1127. CANCER *Gammarus.*

LINN. Syſt. Nat. p. 631.
Faun. Svec. 2. 2033.
MATH. Dioſc. p. 228. Aſtacus.

Diagn. Longitudo & latitudo humani brachii. Thorax productus in roſtrum ſupra ſulcatum, lateribus ſubquadridentatis, ſubtus villoſum, baſi utrinque dente duplici. Manus ſpinis quatuor.

Habitat in ſinu *Liburnico* & *Tergeſtino*, diciturque *Aſtiſche.*

Similis ſequenti, profunde cæruleus. Thorax lævis, ſemicylindrico-conicus, ſulco transverſo ut in *Cancro Aſtaco.* Corporis latera & caudæ maculis albis inordinatis. Pedes craſſitie digiti humani, prope apicem villoſi: antici duo apice bipartiti, ſeu ſubcheliformes. Antennæ longitudine thoracis una cum cauda, ad latera corporis retrorſum projiciendæ: baſi bicuſpidatæ. Tentacula bipartita duo ſupra antennas. Cauda ſuturis (5); apex foliaceus, lobis (5) pulchre cæruleis. R. P. WULFEN.

1128. CANCER *Aſtacus.*

LINN. Syſt. Nat. p. 631.
Faun. Svec. 2. 2034.
ROESEL. Suppl. Tab. 54-58.
MATTH. Dioſc. p. 227. Gammarus.

Diagn. Nigricans. Roſtrum depreſſum: ſub apice utrinque dente uno, & denuo alio minore utrinque ad baſim. Manus, & digiti latere interiore ſerrati.

Copioſi in lacu *Zirchnicenſi*, in cryptis *Kamine* & *Sueinskaiamma;* maximi ad *Gurk*, in fluvio ejusdem nominis (*Kerka*), quorum quinque hominis altitudinem æquaſſe meminit VALVASOR *Chron. Carn.* cap. 32. Carn. *Rak*; Tergeſtinis *Gambaro.*

Nutriuntur in Domibus hepate bovis, Urticæ foliis; conſervantur diu vivi aceto adſperſo. Hoc unum, cum fratribus, inter Inſecta, cibum Homini præbet delicitiorum.

1129. Cancer *Squilla.*

Linn. Syſt. Nat. p. 632.
Faun. Svec. 2. 2037.
Matth. Dioſc. p. 229.

Diagn. Corpus pellucidum; roſtro ancipiti aciebus verticalibus; ſuperiore 5-8 dentata; inferiore antice tridentata; latere linea elevata longitudinali media.

Habitat in Mari & foſſis circa *Tergeſtum*, *Gambarello* dictus.

Color lividus; vitreus, rubellus; lævis ubique & glaberrimus. Latera thoracis infra oculos utrinque denticulis duobus. Antennæ toto corpore longiores. Tentacula duo tripartita: baſi unidentata. Brachia pedibus ſimilia. Manus baſi cylindricæ. Digiti æquales, fere recti.

1130. Cancer *Bernhardus.*

Linn. Syſt. Nat. p. 631.
Faun. Svec. 2. 2032.
Spectacle de la Nat. Tom. III. p. 226. fig. f. g.
Matth. Dioſc. p. 239. Cancelli.

Diagn. Habitat intra teſtas concharum univalvium reformatarum, chelas læves habens.

In *Trocho Muricato*, & *Turbonibus Turritis*, apud nos frequens, in *Adriatico* Mari. Teſtam obducit carne ſicca ſpongioſa fuſco-rubra, incorruptibili, quam latere perforat, ibique degit *Cancer Eremita*, cauda ſemper introrſum, capite extrorſum vergente. Huic Thorax glaber, ſubcylindricus: pone paulo latior, infra medium linea arcuata depreſſa, ſupra quam teſta punctata apparet, præſertim antice & lateraliter; infra hanc lineam thoracis latera rugoſa ſunt idem antice truncatus & tridentatus: dente medio majore; inter hos dentes oculorum petioli teretes, paralleli, prominent; antennæ articulis (38) pilo ad latera terminatis, quarum longitudo thoraci fere æqualis eſt. Brachia tuberculoſa: articulo primo interne glaberrimo & macula violaceo-rubra notato. Manus non corda-

tæ,

tæ, ſed una cum digitis ſubovatæ figuræ. Digiti in perfecta manu æquales, apice piloſi. Pedes articulis 2, 3, ſuperiore latere dentatis, ultimo compreſſo, ungue brevi concolore. Cauda thorace longior, ſed tenuior, carnoſa, difficulter examinanda.

1131. CANCER *Diogenes?*

LINN. Syſt. Nat. p. 631.

Diagn. Facies prioris. Inter antennas lamellæ binæ denticulatæ. Antennæ articulis (12) manuum digiti apice albi, imberbes;

Habitat in Teſtis concharum, ſed abſque carnoſa Eremo.

Lamellæ dictæ oculorum petiolis adpoſitæ. Thorax paribus duobus anticis punctorum rubrorum. Petioli oculorum leniter divergentes. Antennæ fuſco-annulatæ, articulis pilis verticillatis. Brachia piloſa. Manus tuberculatæ, ovatæ. Digiti æquales, ſine pilis. Pedes piloſi.

An prioris Varietas? An uterque *Diogenes?* An nova ſpecies?

1132. CANCER *Iſtrianus.*

Diagn. Brachyurus, thorace ſuborbiculato lævi: utrinque bidentato: apice inter oculos dentibus tribus; medio majore.

In ſinu *Liburnico.*

In meo ſpecimine Teſta *Cimice Lectulario* paulo major. Cancri totius color obſcure rufus; corpus neque piloſum, neque tuberculoſum. Thorax glaberrimus, modice convexus, ambitu fere circulari; poſtice marginatus, antice rotundatus, latere ſingulo, ubi teſta convergit, dentibus duobus. Dens anticus major truncatus, denticulatus. Sternum ſubrotundum, baſi minime excavatum, ſulcis transverſis parallelis, palati in modum, exaratum. Cauda brevis, fere conica. Brachia pedibus multo craſſiora, articulo primo magno dente terminali, ſecunda ſubtus bidentato. Manus lanceolatæ, brachio longiores, compreſſæ, ſubancipites, punctatæ; digitis rectis: mobili longiore. Pedum articulus ultimus ſubtus ſpinoſo-dentatus, ungue parvo, concolore.

1133. Cancer *Nutrix.*

Diagn. Brachyurus, lævis, hexapus? In *Oſtreis Edulibus* frequens, quas nutrit, ut ait Populus.

Habitat in Mari *Adriatico.*

Cancri hujus deſcriptionem hanc communicavit R. P. Wulfen. Si expanſus, non longior quam latitudo unguis humani pollicis; ſi caudam ſupra ventrem incurvet, uti ſolet, vix dimidiam latitudinem unguis humani pollicis æquat, & tunc fere rotundus eſt. Cauda reipſa reliquo corpore longior, ſed ſupra ventrem reclinata, more Cancrorum brachyurorum, quibus etiam habitu ſimilis. Cauda eſt elliptoidica, ſuturis ſex: mediis latioribus & longioribus, ſubtus concava, ſupra convexiuſcula, rotundata, obtuſa, mollis; apice non foliaceo, ſed circulariter fere rotundo. Thorax ſubrotundatus, lævis, ſupra convexiuſculus, magnitudine lentis. Pedes utrinque tres tantum numeravi. Manus chelatæ: chelis inflatis, latere interiore prope baſim villoſis. Digiti ſubæquales, latere interiore prope ſinum uno dente inſtructi. Oculi ſunt puncta duo parva nigra in anteriore thoracis margine. Antennæ minimæ capillaceæ. Infra caudam, quæ totum ſubtus tegit corpus, utrinque ſex ſetæ, verſum baſim longiores. Autoptæ affirmant Oſtreis majoribus cibum offerre, admitti a concha apertis valvis.

1134. Cancer *Cruentatus.*

Linn. Syſt. Nat. p. 630.

Diagn. Teſta triangularis, tuberculo acuminato, antice proferens roſtrum lineare obtuſiuſculum: latere ſingulo bidentato. Pedes teretes, lineares, teſta triplo longiores.

Habitat in Mari, circa *Tergeſtum.*

Teſta convexa, poſtice ſanguinea, antice pallidior. Frons cylindrica, linea media depreſſa, roſtro dicto, duas lineas longo, terminata. Antennæ piloſæ. Brachia lateribus piloſis; articulo primo apice dentibus quatuor, ſecundo binis, utriusque latere poſtico crebris denticulis horrido. Manus ulna longiores, latere digitum fixum reſpiciente denticulato, altero ſimiliter ſed rarius dentato. Digiti

incur-

incurvi, acuminati, punctati, poſtice ſulco piloſo exarati, baſi dente craſſo obtuſo, aliisque minoribus armati.

1135. Cancer *Mantis*.

Linn. Syſt. Nat. p. 633.
Faun. Svec. 2. 2035.

Diagn. Thorax oblongo-cordatus, lævis: lineis eminentibus (5). Manus adactylæ, falcatæ, compreſſæ, dentibus (6) longis unilateralibus. Abdomine ſuturis (10): anticis minoribus, omnibus ſex lineis elevatis longitudinaliter angulatis.

Habitat frequens in Mari *Adriatico*, & *Liburnico* ſinu, *Canochia* dictus.

Teſta fere cartilaginea, antice attenuata, pone emarginata, lævis, angulata, poſticorum pedum longitudine; antice utroque in latere denticulo terminata; roſtro obtuſo, marginato, oculorum longitudine. Antennæ tribus articulis: ultimo ſuſtinente ſetas tres unciales, ſeu manuum fere longitudine. Lamina lanceolata, manuum longitudine plana, ciliata, baſi biarticulata, retro oculos una utrinque. Corporis ſegmentum 1, latere acutum, brevius; 2, 3, 4, pediferum; reliqua marginata. Caudam conſtituit lamina magna, ſubquadrata, margine tumido dentatoque & rugoſo: dentibus terminalibus lateralibus longioribus; huic, ultimæ ſuturæ corporis inarticulatæ adjacent laminæ aliæ utrinque duæ lanceolatæ: quarum ſuperior longior, tribus articulis; altera brevior. Inter primam corporis ſuturam ac thoracem oriuntur Dactyli ſex, ovali villoſa lamina terminati, pediformes. Sub abdomine utrinque ſquamæ quatuor obtuſæ cochleatæ obliquæ. Articulus primus laminæ caudalis longioris, ſubtus auctus proceſſu oſſeo bidentato. Brachii articulus primus inflatus angulatus; ſecundus compreſſus, longior, extrorſum latior. Manus eſt pecten uncialis, pallidior, quod ab animali ita movetur, ut fere adprimatur brachii articulo ſecundo.

1136. Cancer *Locuſta?*

Linn. Syſt. Nat. p. 634.
Faun. Svec. 2. 2042.

Diagn.

Diagn. Corpus oblongum, gibbum, nitens, lateraliter compreſſum. Palpi antennis triplo longiores: articulis (20). Corpus ſeſe incurvando & explicando ſaltans, *Poduræ* adinſtar.

Habitat abunde, circa littora Maris, ſub ſaxis, prope *Tergeſtum.*

Statura fere *Poduræ Aquaticæ.* Habitus *Cancri Pulicis.* Corpus pellucens, ferrugineum, ſuturis (11), & denuo ſeptem aliis utrinque ad baſes femorum. Antennæ attenuatæ, articulis ſex. Oculi fuſci, minime petiolati. Pedes utrinque ſex, hinc ſimul duodecim, quorum 1, 2, 3, 6. (a cauda antrorſum numerando) femora ovata, compreſſa gerunt. Tibiæ vero primi paris pariter ovatæ, compreſſæ, & margine denticulatæ. Par ultimum capiti proximum, ſeu brachia, manu falcata unguiformi, unico dente in medio armata. Cauda adſcendens, conica, linea brevior, ſubjectas habet ſetas duas ad baſim uſque bifidas. Hæc *Podura Maritima* R. P. Poda. Muſ. Græc. p. 121.

1137. Cancer *Pulex.*

Linn. Syſt. Nat. p. 633.
Faun. Svec. 2. 2041.
Friſch. Inſ. 7. Tab. 18. fig. 1.

Diagn. Facies prioris, ſed duplo minor, & albidus. Antennæ palpis longiores, ſed non craſſiores. Pedes piloſi. Maculæ croceæ laterales.

Habitat ſub *Hypnis*, & ſaxis, ad ſcaturigines fontium.

Hic certe idem, qui a Friſchio pictus, ſed ſemper habitans in aquis dulcibus, non vero circa Mare, hinc dubito cum priore a Linnæo confundi, cum *Cancer Locuſta* ab eo aliter deſcribatur, quam a nobis. Hic, quando exſiccatus, fulvus redditur, natat in latere, rarius in dorſo; os fulvum gerit, nec corpus poſtice acuminatum. Interim certum adeo nobis cum priore a *Cancris* aliis diverſum eſſe, ut novum Genus non immerito conſtitueret.

MONO-

MONOCULUS.

Linn. *Syſt. Nat. pag.* 634.

1138. Monoculus *Apus.*

Linn. Syſt. Nat. p. 635.
Faun. Svec. 2. 2046.
Frisch. Inſ. 10. Tab. 1. fig. a. b. c.
Habitat in foſſis.

1129. Monoculus *Quadricornis.*

Linn. Syſt. Nat. p. 635.
Faun. Svec. 2. 2049.
Roesel. Polyp. Tab. 98. fig. 2. 4.
Habitat in lacubus, copioſus primo vere.

ONISCUS.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 636.

1140. Oniscus *Bicaudatus.*

P. Poda. Muſ. Græc. p. 120. Lepisma bifurca.

Diagn. Cauda duplex: utraque biſeta.

Habitat copioſus *Tergeſti* ad litus maris, inter ſaxa curſitans.

Corpus ellipticum, fuſcum, ſemiunciam non æquans. Thorax ſegmentis ſeptem marginatis: margine fuſco-punctato, ſordido. Cauda ſegmentis ſex. Oculi fuſci, prominuli, rotundati. Quælibet cauda duas ſetas habet, quarum altera longior. Pedes (14). An *On. Aquaticus* Linn?

1141. Oniscus *Tridens.*

P. Poda. Muſ. Græc. p. 125.

Diagn. Semicylindricus, caudæ apice tridentato truncato.

Habitat in Mari *Adriatico.*

Corpus

Corpus lin. 7-8. longum, duas craſſum, ſemicylindricum; thorace tamen in medio latiore.

Thorax ſegmentis (7), quibus utrinque ſquamula inarticulata eſt, hinc ſimilia foliolis lateralibus caudæ *Cancri Aſtaci*; ſquama hæc pallidior, fuſco-punctata, & marginata eſt. Caput convexum, ſubquadratum, marginatum. Antennæ longitudo æquat latitudinem ſegmentorum corporis; articulis tribus primis craſſioribus punctatis, cæteris (17) extrorſum tenuioribus. Palpi articulis 2-4. Cauda fit una longa ſquama: apice tridentata: dente medio majore & acutiore; hæc ſubtus gerit lamellas binas parallelas, fuſco-punctatas, factasque articulis duobus: extimè breviore & obtuſo. Pedes utrinque ſeptem, pallidiores, fuſco-punctati: articulis apice ſpinoſis.

1142. Oniscus *Aſellus*.

Linn. Syſt. Nat. p. 637.
Faun. Svec. 2. 2058.
Matth. Dioſc. p. 257.

Diagn. Antennæ ſexnodiæ. Cauda ſegmentis (6): ultimo tribus ſquamis facto: media majore.

Habitat in Domibus, lucifugus. Maxime in cellis vinariis *Tergeſtinis* fere uncialis.

Var. 1. Colore fuſceſcente: macula albida ſemicirculari prope caput.
2. Colore ſubferrugineo, corpore immaculato.
3. Corpore lineis maculiſque parvis ſordidis variegato, quali in ſylvis habitat intra truncos carioſos.

1143. Oniscus *Aſilus*?

Linn. Syſt. Nat. p. 636.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 125.

Diagn. Antennæ articulis (18). Cauda ſquamulis lanceolatis marginalibus utrinque binis.

Inveni ſub ſaxis, *Tergeſti*, prope Mare, poſt refluxum.

Corpus

Corpus ovatum, ſubferrugineum, fuſco-punctatum, inciſuris (8); caudali unica majore. Squamæ ad latera caudæ, una alteri ita impoſitæ, ut videatur unica.

1144. Oniscus *Armadillo.*

Linn. Syſt. Nat. p. 637.
Faun. Svec. 2. 2059.
P. Poda. Muſ. Græc. p. 126. *β.*

Diagn. Corpus ovatum: ſegmentis (10). Antennæ articulis (5) ultimo craſſiore. Pedes a ſingulo latere (14).

Habitat circa *Vipacum*, *Goritiam*, *Tergeſtum*, & alibi ſub ſaxis.

Niger totus & lucens: ſegmento primo maculis rubris quatuor, aliis 4, 5, 6, 7, unico pari punctorum rubrorum. Cauda fit unica ſquama obtuſa, bipunctata. Si tangatur, contrahitur in globum, & diutius in hoc ſitu manet, quam *On Aſelus.* Proprietate hac *Erinaceum* imitatur.

1145. Oniscus *Muſcorum.*

Diagn. Oblongus, antennis quadrinodiis, cauda lamellis parvis lanceolatis binis acuminatis.

Apud nos non rarus in ſylvis inter muſcos, imo & circa hortos ſub ſaxis.

Ab omni alio hactenus noto diverſus. Corpus fuſcum, luteo maculatum. Segmenta corporis (7), caudæ (6). Antennæ attenuatæ. Caudæ ſutura ultima mucronem effert, ſub quo alius bifidus: ſegmentis pilo terminatis. Lamellæ duæ poſticæ, huic uni propriæ.

SCO-

SCOLOPENDRA.

Linn. *Syſt. Nat. pag.* 637.

Corpus planiuſculum. Pes ſub pleriſque corporis ſegmentis utrinque unus. Antennæ ſetaceæ.

1146. Scolopendra *Forficata.*

Linn. Syſt. Nat. p. 638.
Faun. Svec. 2. 2064.

Diagn. Pedes utrinque quindecim.

Habitat ſub ſaxis, in ſylvis.

Apud nos uncia longior. Caput marginatum, baſi truncatum, antice rotundatum. Antennæ articulis (30). Maxillarum paria duo: inferiore majore. Corporis articuli (14): alternis majoribus.

1147. Scolopendra *Aranea.*

Diagn. Pedes utrinque tredecim.

Labaco miſſa.

Ferruginea, decem lineas longa, habitu prioris. Antennæ ſetaceæ, decem lineas longæ. Pedes ſex poſtici lin. 9-10. longi, femoribus fuſco-bifaſciatis. Corporis articuli emarginati; macula fuſca ibidem notati, (7); idem ſubtus ſegmentis (15), quæ tribus ſquamis compoſita: media emarginata.

1148. Scolopendra *Nivea.*

Diagn. Pedes utrinque duodecim.

Habitat ſub ſaxis, in ſylvis, non frequens.

Diſtincta a *Julo Laguro*, defectu penicillorum, & pedum numero. Hæc lineam longa, tenuis & alba tota. Antennæ obtuſæ, teretes, piloſæ, pedibus duplo longiores Inter corporis articulos duos quosque pilus albus prodit.

1149. Scolopendra *Clavicornis.*

Diagn. Pedes utrinque ſeptemdecim. Antennæ ſubclavatæ, quinquenodiæ.

Cum *Agaricis* autumno domum delata.

Duas lineas longa, ſuperne obſolete rubens, ſubtus pallidior. Antennæ piloſæ, articulis tribus ultimis craſſioribus. Frons villoſa. Corporis articuli margine tridentati. Pedes, ſub tribus primis articulis utrinque tres, ſeu unicus e ſingulo articulo, ex aliis vero articulis ſingulis utrinque duo.

1150. Scolopendra *Julacea.*

P. Poda. Muſ. Græc. p. 127. Julus Scolopendricus.

Diagn. Pedes utrinque triginta & unus.

Habitat in ſylvis, inter *Muſcos*, non rara.

Corpus unciale, planum, ſubfuſcum, margine colore pedum; quandoque ſegmenta poſtica in medio glauca ſunt, lateribus fuſco-rufis, non raro latera ſegmentorum 2, 6, 9, 11. pallide lutea. Inveni etiam totam ferrugineam. Segmentum ſingulum linea transverſa, & tuberculis nonnullis notatum, margine laterali crenulato. Antennæ articulis (6) piloſis. Pedes e ſegmentis primis tribus utrinque tres, ſeu unus e quolibet articulo utrinque, alibi vero utrinque duo e ſingulis articulis.

1151. Scolopendra *Marina?*

Linn. Syſt. Nat. p. 639.

Matth. Dioſc. p. 235. fig. infer.

Diagn. Corpus tenue lumbriciforme, pedibus utrinque ultra centum & quinquaginta.

Habitat in *Fucis* & *Algis* Maris *Adriatici*, frequens.

Corpus uncias duas longum, lineam craſſum, planum, glabrum, lucens: ſegmentis alternis majoribus, in medio fuſcis: laterali margine tumido ferrugineo. Pedes ſubpellucidi, ferruginei.

JULUS.

Linn. *Syſt. Nat.* p. 639.

Corpus convexum aut ſemicylindricum. Pedes e quolibet corporis articulo utrinque duo. Antennæ moniliformes.

1152. Julus *Terreſtris*.

Linn. Syſt. Nat. p. 639.
Faun. Svec. 2. 2066.

Diagn. Corpus annulis (50); ſingulis utrinque duos pedes habentibus.

Habitat in terra, & ſub ſaxis.

Annuli læves, duri. Intra mandibulas utrinque palpus flaveſcens, articulatus. Antennæ pedibus longiores: articulis rotundis. Pedes luteoli, aut albidi.

1153. Julus *Lagurus*.

Linn. Syſt. Nat. p. 637. Scolopendra n. 1.
Faun. Svec. p. 2. 2063.

Diagn. Pedes utrinque duodecim.

Sub corticibus arborum, in Pomariis, & Salicetis.

Corpus oblongum. Antennæ articulis quinque. Corpus ſubteſtaceum, articulis ſenis, qui ſuperne pilis erectis verticillatis diſtincti. Caput antice piloſum. Faſciculi pilorum e ſingulo latere proſtantes utrinque ſex. Cauda penicillis duobus pilorum alborum terminata, qui in mortuo animali uniti, unicum repræſentant. Sub quolibet corporis ſegmento. ſeu faſciculo pilorum lateralium, oriuntur utrinque pedes duo, non vero unus. Hinc *Julus* non *Scolopendra.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NOTANDA.

§. 21. Scarabæus *Alpinus* valde ſimilis Scarabæo *Fimetario* & idem forte.

§. 133. Delendus; eſt enim Tenebrio *Flavus* deſcriptus §. 160.

§. 434. & §. 435. *Papiliones* non ſunt diſtinctæ ſpecies.

§. 461. P. *Arion*, P. *Argus* &c. uſque ad §. 462. pro varietatibus habeo.

ERRATA.

Pag.	2.	lin.	29.	*Anthophylli*	lege	*Anthophili.*
—	3.	—	18.	Anthophyllus	—	Anthophilus.
—	6.	—	8.	res	—	tres.
—	23.	—	13.	*Cirſio acanthoide*	—	*Cirſio eriſithale* Jacquin.
—	36.	—	5.	Bauchin	—	Bauhin.
—	42.	—	5.	culis	—	oculis.
—	53.	—	31.	*Vipaſcenſi*	—	*Vipacenſi.*
—	64.	—	29.	*Aſtrantiæ aculis*	—	*Aſtrantiæ epipactis.*
—	99.	—	33.	287-292	—	300-305.
—	—	—	ult.	293-298	—	306-311.
—	142.	—	19.	ordinata	—	ordinatæ.
—	144.	—	10.	*Salice ceraſo*	—	*Salice, Ceraſo.*
—	—	—	15.	duo	—	duæ.
—	146.	—	9.	corticinio	—	corticino.
—	147.	—	19.	duo	—	duæ.
—	156.	—	17.	ab baſim	—	ad baſim.
—	159.	—	7.	totas	—	datas.
—	171.	—	14.	exolere	—	excolore.
—	—	—	38.	corticineo	—	corticino.
—	182.	—	13.	*Oeelata*	—	*Ocelata.*
—	190.	—	17.	duo	—	duæ.
—	259.	—	7.	*long.* lin. 7.	—	*long.* unc. 1. lin. 7.
—	276.	—	29.	puncto	—	puncta.

Leviora vg. §. 301 *Fulſipes* pro *Fulvipes*, §. 377 *Lectulurio* pro *Lectulario*, p. 155 fuſcis pro fuſcis &c. quivis nullo incommodo advertet.

MONITUM AUCTORIS.

Cum fama de vulgando hoc libello, typo pene jam abſoluto, ad noſtrates Entomologiæ cultores permanaſſet; petiere vehementer, ut ad expeditiorem ejus uſum icones omnino omnes deſcriptorum entomorum adjicerentur. Horum itaque incitamento, favore, & forſan auſpiciis, icones deſcriptorum in hac Entomologia Inſectorum brevi dabo iis numeris diſtinctas, quibus ſuperius Inſecta ipſa enumeravi. Poterunt igitur Tabulæ iconum vel ad calcem opuſculi hujus adjici, vel cum ſupplementis, quæ meditor, partem Entomologiæ alteram facere.

Digitized by Google

Digitized by Google

Del Dottor Chiaro Bonelli P 60

Digitized by Google